


B D












396

No. 780.a





Firmant consilium pietas politia coronā

Calviniani dicunt aut Deus vult hos quos-
dam perire, aut no[n] vult, si vult e[st] causa
mortis ac, & sic et autor peccati: si non vult
nemo perit, cum Deo nolente nihil fit.

R[esponsio] Est fallacia ἐλλείψεως κ[αὶ] διαιρέσεως
sic debebant dicere aut vult aut non vult
aut no[n] delectatur, eodem modo philosophi
qui omittunt velle nolle & non probare
ita inquit Hebraeus אָבָה vult לֹא אָבָה
non vult & לֹא חָפֵץ non delectatur ut
Ezech 18


Non simpliciter aliquis damnatur quia pecca-
vit alias om[n]es condemnaremur siquidem om[n]es
peccavimus. Sed is demum condemnatur qui non cre-
dit. ideo dicit Dominus qui crediderit salvus erit
qui non crediderit condemnabitur, no[n] dicit qui
peccavit condemnabitur. Quare dicimus quia hor-
renda sunt & blasphema quae Calviniani crebro
decantant. Christum non pro omnibus mortuum esse nec
pro omnibus satisfecisse. Nec si ita esset quid illi
crederent & quomodo in Christum crederent cum qui
pro illis no[n] satisfecisset. λύτρον λ[έγεται] ὑπὲρ πάντ[ων],
ὑπ[ὲρ] ἀντίλυτρον praesupponit &c:



De Methodis
LIBRI DVO,

QVORVM PRIOR QVIDEM OMNIVM METHODORVM VNIVERSALIVM ET particularium, quarum vſus eſt in Philoſophia, breuem ac dilucidam declarationem: Poſterior vero Eccleſiaſten ſiue methodum theologicam interpretandi, concionandique continet.

Authore
NICOLAO HEMMINGIO.



Τὰ ἀγαθὰ πάντα πόνῳ κτώμεθα.

CVM PRIVILEGIO CAESAREO.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

SERENISSIMO
AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. CHRISTIANO

(huius nominis tertio) Daniæ, Noruegiæ, Sclauorum & Gottorum Regi, Duci Slesuigæ, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmersiæ, Comiti Oldenburgensi & Delmenhorst: Domino suo clementissimo.

MAXIMVS OLIM REGIBVS cum à veris Philosophis, tum à Poëtis summus honos est habitus. Perspexerũt enim sapientissimi homines heroicas regiasque virtutes minime vulgares esse, sed diuinitus paucis admodum ordinis politici & œconomici conseruandi gratia collatas. Nam fieri non posse animaduerterunt, vt hic mundus diu incolumis stare posit, nisi sint, qui sapientia excellentes, probitate conspicui, autoritate graues, & rebus gerendis idonei reliquam multitudinem legibus & disciplina coherceant, ac in officio retineant.

Hoc Plato grauissimus Philosophus in multis locis testatur: Quemadmodum, inquit, boues non à bobus, nec capræ à

capris reguntur, ſed à præſtantiori genere nimirum ab homine: Sic genus humanum infirmius eſt, quam vt ſeipſum regere poſsit. Quare Deus præfecit Rebuſpub. heroas, qui cum habeant ipſi proſperos ſucceſſus, nobis quoque imperia eorum grata & facilia ſunt. Hi ita curant nos, vt pacem, pudorem, libertatem, iuſticiam conſeruent. Et alio loco Regem gubernatori nauium confert. Nam vt nauis in turbulento mari iactata nequaquam in portum incolumis peruenire poteſt ſine gubernatoris arte & induſtria, qui & nauis & nautarum ſalutem vnice ſpectat: ita reſpublica euertitur prorſus, vbi peritus & amans ſalutis ciuium magiſtratus non fert laboranti opem, Iuxta Theognidis ſententiam:

Φορτηγοὶ δ' ἄρχουσι, κακοὶ δ' ἀγαθῶν καθύπερθεν
Δειμαίνω μή πως ναῦ κατὰ κῦμα πίῃ.

Hinc eſſe exiſtimo, quod rectores Rerumpub. gubernatores, vocabulo à nauibus translato, dicantur. Nec aliud diuinus Homerus ſenſiſſe putandus eſt, qui reges ſæpe διοτρεφεῖς, nonnunquam κοσμήτορας λάων, interdum ποιμένας λάων, aliquando ἡγήτορας, rurſus ἠπίους πατέρας nominat. His enim titulis officia regia exprimere voluit. Nam reges & principes

viri

viri non nisi diuino motu & heroico res magnas gerunt, salutares Rebuspublicis, politias præclaris legibus ornant, discipli-na pascunt, iusticia, clementia ac omnis ge neris virtutibus præcedunt, & tanquam blandi patres suos ciues & incolas summo complectuntur amore, vt qui subditorum saluti commodisq; non secus seruire solent, quam εὔστοργοι parentes suorum liberorum curam gerunt. Hinc est quod idem Homerus Iouem patrem vocauit. Quod enim patria potestas est in vna familia, id regium est imperium in integro regno. Theseus apud Euripidem rex placidus & bonus, breui quidem versiculo si numerum spectes, sed copioso admodum si quid in se breuitas illa contineat, euoluas, virtutes regias erga subditos complexus inquit:

Εὐεργέτης βροτοῖσι, καὶ μέγας φίλος. Vere εὐεργέτης qui tanquam Atlas quispiam Rempub. quasi suis humeris sustinet, vnde merito βασιλέως nomen apud Græcos obtinuit. Hæc tanta cura nisi ex summo erga ciues amore proficisci non potest. Nec frangitur animo vsitata subditorum ingratitudine, qui vere regio animo fuerit præditus. Tametsi autem multi reges improbitate mundi & insidijs Sathanæ

decepti ſunt, ac in tyrannos degenerarũt: tamen nequaquam audiendi ſunt, qui ob vel plurimorum errata parum verecunde de regio munere diſſerere audent. Fatendum quidem eſt nihil tyrannide triſtius, nihil immanius, nihil nocentius. Nec negandum, proh dolor, teterrima quædam fuiſſe monſtra, quæ regium honorem ac dignitatem vſurparunt, in quorum numero fuerunt Phalaris, Dionyſius, Echetus, Tarquinius, Atrëus, Et huius generis complures δηλήμονες βροτῶν, qui omnem humanitatem exuiſſe videntur. Quid enim inhumanius potuit eſſe, quam quod Atrëus fratri Tyeſti proprios liberos comedendos appoſuerit? Quid indignius homine, quam quod idem omnem humanitatem, fidem, ſanctitatem à regibus viris alienam voluerit? Sed colloquium ipſius cum ſeruo ex Seneca aſſcribam, quo magis ipſius immanitas conſpiciatur. ATREVS. Maximum hoc regni bonum eſt, quod facta domini cogitur populus ſui quàm ferre, tam laudare. SERVVS. Quos cogit metus laudare, eoſdem reddit inimicos metus, At qui fauoris gloriam vere petit, animo magis quam voce laudari volet. ATREVS. Laus vera & humili ſæpe contingit viro, non

nisi

niſi potenti falſa, quod nolunt, velint. SERVVS. Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. ATREVS. Vbicunque tantum honeſta dominanti licent, precario regnatur. SERVVS. Vbi non eſt pudor, cura iuris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt. ATREVS. Sanctitas, pietas, fides, priuata bona ſunt, quâ iuuat reges eant. Ecce quam graphice hic ſub perſona Atrëi imaginem tyranni expreſsit Seneca: & contra quam rege dignas virtutes, ſua oratione ſeruus domino commendauit. Non enim regium eſt facere quod libido ſuadet, ſed quod ratio iuſticiaq; monet. Quare laudandum eſt Xenophontis dictum: μέτρον δὲ αὐτῷ οὐχ ἡ ψυχὴ, ἀλλὰ ὁ νόμος ἐστί. Ex his non difficile eſt iudicare, vehementer hallucinari eos, qui propter multorum iniuſtam tyrannidem, in ipſum regium ſtatum, qui Deum autorem habet, conuicia iaciunt. Sed tale ingenium eſt malignæ naturæ, vt ne ordinationi quidem Dei parcat. At viri boni ordinisq; diuini amantes facile intelligunt Philoſophorum & Poëtarum encomia de bonis regibus non eſſe fumos, ſed veritatis teſtimonia. Quis quæſo mortaliū ſatis agnoſcere poteſt bonitatē Dei erga eas Reſpub. quibus

placidi amantesq; suorũ reges contingũt, quibus cum chara patria chari sunt & incolæ? Sed philosophorum & Poëtarum schola sic quidem de regibus sentit: Nunc autem quas virtutes verbum Dei requirit in regibus videamus. Prima itaque sit regia virtus, cuius secundus Psalmus meminit cum inquit: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne quando irascatur, & pereatis in via. Beati omnes qui confidunt in eo. Hîc Spiritus sanctus vult reges filio Dei procumbere ad genua, eum osculari, eique cum debito seruitio veroque cultu homagium præstare. Et quemadmodum pœnas minatur ijs, qui debitum cultum Dei filio exhibere recusant: ita beatitudinem obsequentibus promittit. Huic secunda regia virtus adijciatur, quam Psalmus 122. regibus commendat. Lætor, inquit sanctissimus rex, cum mihi dicitur, in domum Domini eamus. Hoc regium & dictum & exemplum vult, vt reges non solum vera pietate alijs antecellant, verumetiam vt summum sit illorum gaudium habere ecclesias bene constitutas ac consentientes in vera religione. Sit ter-

tia virtus regum, quam idem Psalmus his verbis effert: Propter fratres meos & proximos meos loquar tibi pacem, propter domum domini Dei nostri quæram bona tibi. Hic significat Dauid vere regium esse, consilijs & facultatibus Ecclesiam iuuare, ac ministerium verbi promouere. Huc spectat Esaiæ dictum cap. 49. Et erunt reges nutricij tui, & reginæ eorum nutrices tuæ. Hac sententia Esaias non vulgarem fidei professionem requirit à regibus, verumetiam, quoniam potentia rerumque copia ipsis quam alijs tributa est maior, vult vt reges Ecclesiam Christi (quam Sathan cum suis belli ducibus, Turca & Papa, flumine sanguinis delere conatur) tueantur. Vult vt facultatibus suis Ecclesiarum ministros alant: vult vt scholas erigant, bona ingenia foueant, sine quibus verbi ministerium collabi necesse est. Vtinam reges & principes perpenderent, quàm augustus hic sit titulus, quo Spiritus sanctus ipsos ornat, dum eos nutricios ecclesiæ appellat. Quænam quæso gloria maior esse poterit? quod augustius nomen, quàm à Spiritu sancto Ecclesiæ nutricium dici? Quid gloriosius regibus mundi, quam quod rex cœlorum Deus illis sponsam filij sui vni-

 geniti

geniti domini noſtri Ieſu Chriſti nutriendam ac fouendam commiſerit? Hanc quarta comitetur virtus, quam Ezechias & Ioſias ſanctiſsimi reges ſuo facto regibus commendant, quorum Ezechias æneum ſerpentem fregit propter cultum idololatricum, ipſi à populo exhibitum. Tametſi autem ſerpens ille à Moſe duce populi Dei ex mandato Domini in deſerto erectus fuit (præclarum profecto antiquitatis monumentum: memorandum μνημόσυνον beneficiorum Dei, qui huius aſpectu à dipſadibus percuſſos ſanauit: Inſignis ſane typus Chriſti, qui in lignum exaltatus languores hominum ſanaret ac peccata expiaret) tamen ſanctiſsimus rex chariorem habuit populi Dei ſalutem, quam antiquum illud, omniq; ſeculo admiratione dignum monumentum. Ioſias ſpurciciem idolorum, quibus templũ Domini fœde conſpurcatum erat, penitus abraſit, emundauit, ſuſtulit. Hinc igitur colligendum, quod piorum regum haud minima virtus ſit pro viribus amoliri, quidquid veræ religioni obſtaculo eſſe videtur. Huic vicina eſt quinta regijs viris digna virtus, quæ in ſanctiſsimi Ioſiæ regis exemplo conſpicitur. Nam hic non ſolum idola prophanantia templum Dei

ſuſtulit

ſuſtulit, verumetiam librum doctrinæ cœleſtis diligenter inquiſiuit, inuentum populo Dei ſtudioſe cognoſcendum commendauit. Hoc factum pios reges imitari decet, ac curare, vt verbum Dei in ſuis ditionibus quam liberrime ac puriſsime prædicetur.

Adijciamus & ſextam virtutem rege digniſsimam Chriſtiano, quam iudiciariam vocare licet. Hæc quatuor conſtat partibus, ſapientia, timore Dei, veritate, odio auariciæ. Sapientia facit ne in iudicando aberret ignorantia recti. Timor Dei perſonarum reſpectum excludit. Veritas legis regulam cum æquitate temperatam ſequitur. Odium auariciæ, lutum oculis mentis abradit, vt & quod verum eſt ſine impedimento videas, & quod vere vides citra maliciam iudices. Hæc virtus pio iudici Exod. 18. commendatur.

Hactenus recenſui veras virtutes, quas verbum domini in regibus requirit, à quibus Philoſophicæ illæ abeſſe nequaquam poſſunt. Imo potius in Chriſtianis principibus veræ virtutes fiunt, quæ in Ethnicis virtutum fallaces tantum vmbræ extiterunt. Nulla enim virtus quantumuis ſpecioſa, ſuum nomen ſine timore Dei tueri poteſt. His itaque virtutibus

munitus

munitus rex, ſentiet vere ſuum regnum ſtabile fore, Deo, qui ſalutem dat regibus, excubias agente. Nulla enim vis maior, vt vere inquit Seneca, pietate vera eſt. Nec deſunt nobis Sereniſsime Rex talium virtutum in Chriſtianis principibus exempla. Sed quia domeſtica nobis vt gratiora, ita & vtiliora ſunt, illis contentus ero. Pater tuus, Sereniſsime Rex, poſtquam è manu Dei accepiſſet hæc regna Daniam & Noruegiam adminiſtranda, non ſolum ipſe pietate vera emicuit ſupra omnes ſuos, verumetiam ſemina quædam eius, quantum temporis ratio permiſit, ita iecit, vt ſe facile & hoſtem papiſticæ ſuperſtitionis acerrimum, & Euangelij Chriſti fautorem maximum declarauerit. Suſcepit patrocinium piorum miniſtrorum, iniuſtam vim ab eis depulit, Breuiter omnia egit, vt ſe verum & Chriſtianum regem declararet. Hic vere Fridericus nomine & re pacis amantiſsimus, cum in veri Dei inuocatione animam Chriſto, à quo regna acceperat tradidiſſet, paucis interiectis annis diuina clementia ſic mirabiliter ordinante, & Rex inclytorum regnorum Daniæ & Noruegiæ, & Pater Patriæ factus es. Accepto autem regio diademate, omnium prima cura

fuit

fuit cultum idolorum extirpare, in qua re & pietas ſumma & vere regia fortitudo ſe declarauit. Et quoniam Eccleſiæ ſtatum nequaquam diuturnum fore, T. R. M. animaduertit, Scholam Haffnienſem collapſam erexiſti, legibus muniuiſti, ſtipendijs ditaſti, doctiſſimis viris ornaſti. Et quod tum incœpiſti, iam 20. fere annis impleri curaſti, ac hodie omnes tuos conatus eo deſtinas, vt Chriſtum, cui homagium præſtitiſti, honores & ipſe & alij tecum. Hoc tuum gaudium eſt, videre conſentientes in vera pietate ſubditos. Conſilijs & facultatibus te Eccleſiæ Chriſti nutricium declaras. Pro viribus omnia, quæ veræ religioni aduerſari animaduertis, amoliri conaris. Cultum Dei verum abolita ſuperſtitione, quotidie magis magiſq; inſtauras. Maior enim res eſt, quam vt paucis annis ad fixum diuturnumque ſtatum deduci poſſit. In iudicijs quoque ſapientiam Principe dignam, coniunctam cum timore Dei & veritate, oſtendis. Breuiter verus rex, paterq; patriæ es, cui nihil antiquius pietate vera, nihil pace iucundius, nihil ſubditorum ſalute charius. Vt enim ἔυστοργος pater ſua pignora chara: ita ditionum tuarum incolas foues, curas, defendis, ac omni beneficiorum genere cu-

re cu-

re cumulas, vnde fit ὄφρα σὲ μᾶλλον τίωσι ἀρχόμενον ἢ μὲν νέοι ἠδὲ γέροντες. Hunc R. T. M. animum ornatiſsimum omni genere virtutum declarat & aula tua, in qua multi non ſolum ſtemmate maiorum, verumetiam ſapientia & virtute nobiles & illuſtres viri ſunt. Inter hos ſuo quodam iure D. Iohannes Fryſius genere, ſapientia & virtute clariſsimus, primum locum occupat. Hic vt eſt amantiſsimus patriæ ac Regiæ tuæ Maieſtatis: ita laboribus & vigilijs nequaquam parcit, haud immemor ſententiæ Homericæ: οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Hic merito cum Praxithea dicere poſſet:

ὦ πατρὶς εἴθε πάντες οἱ ναίουσί σε
Οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγὼ καίγε ῥαδίως,
οἰκοῖμεν ἂν σὲ, κ' οὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Præterea ſunt & alij non pauci docti & ſapientes viri in R. T. M. aula, quorum ſinguli ſub te tanto duce ſuam ſtationem, vt in acie fortiſsimi milites, ſtrenue tuentur. Sed quid multis? Hic dies nos docet quam verus ſit ille vulgo tritus verſiculus: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Nam T. R. M. exemplo docti & indocti, nobiles & ignobiles, ciues & ruſtici, quibus virtus ac pietas cordi eſt, ad maiorem pieta-
tis

tis & honesti amorem extimulantur. Hic virtutum tuarum iucundissimus chorus, serenissime Rex, mihi animum fecit, vt hoc meum qualecunque scriptum T. R. M. dedicare sim ausus. Spero enim fore, vt pro solita tua regia clementia, qua omnes complecteris, etiam hunc qualemcunque laborem, propter vtilitatem iuuentutis nostræ scholasticæ susceptum, benigna manu serenoque vultu acceptes. Non ignorat T. R. M. Dominum laudasse mulierem illam pauperem, quæ exiguum æs quod habuit in gazophylacium misit, Non enim tam rei precium quæ offertur, quam animum offerentis respicit Dominus, apud quem affectus rebus precium imponere solet. χαρίτων γὰρ θυμὸς ἄριστος. Hunc summum cœlorum Regem te imitari cupio, si de hoc meo scripto & dono quod offero, iudicare velis, quod te facturum minime diffido. Fateor quidem ipse libenter, quod impolitius sit, quam vt T. R. M. dedicari sit dignum: Attamen quia minime ignorare possum, quomodo R.T.M. affecta sit erga huius T. Regiæ Academiæ professores, quos omnes quidem amas, singulos vero singulari beneuolentia prosequeris. Idq; non solum quia

natura

natura φιλάνθρωπος es, verumetiam quia huius nostræ Academiæ fere collapsæ reparator es. Hac T. R. M. philantropia ac clementia fretus, offero quod habui, vt aliquo saltem modo me gratum T. R. M. exhibeam. Ac rogo vt quod ex syncero affectu proficiscitur, sereno vultu accipias. Postremo precor cum omnibus pijs Deum, patrem domini nostri Iesu Christi, vt opus quod operatus est per te in his regnis, ad gloriosum finem perducat, vt te suo Sancto spiritu impleat, ac in via pietatis veræ dirigat, vt Maiestatem tuam quam diutissime in nominis sui gloriam, ac Ecclesiæ Christi ædificationem, incolumem animo & corpore, ac florentem, vna cum Serenissima Regina nostra, electo horum Regnorum Rege Friderico, Duce Magno, dominis meis clementissimis, totaque familia ac regnis, conseruet, Amen.

Serenissimæ R. T. M.
deditissimus

Nicolaus Hemming.
Regiæ Acad. Haff.
Professor.

PRÆFATIO IN LIBRVM PRIMVM.

CVM in hac tota rerum vniuersitate nihil sit ordine pulchrius, nihil vtilius, nihilque magis necessarium, magna laude existimandi sunt digni, qui præcepta ordinis in docendo & discendo obseruanda tradiderunt. Nam citra ordinem, vt neminem docere perspicue, ita neminem fœliciter discere, manifestum est. Hæc duo cum procul dubio omnium humanorum operum præstantissima sint, magno cum studio ea sectari decet humanitatis ac honesti studiosos. Quid enim quæso homo iste à bruto differt, qui discendi promtitudinem, ac docendi viam non studiose quærit, sectatur, amat? Præsertim cum ideo conditum sit genus humanum, vt verum inquirat, pie ac honeste viuat: quorum neutrum sine doctrina & disciplina fieri potest. Qualis enim obsecro erit doctrina nisi accesserit ordo? profecto non dissimilis erit corpori mentis vacuo. Vt enim corpus inutile

inutile pondus est nisi mente regatur, Sic doctrinæ nulla vis esse poterit citra ordinis beneficium, Et quemadmodum lumen in obscurum locum illatum tenebras pellit: ita ordinis recta obseruatio, difficultatem, quæ alioqui in rebus existeret, tollit. Quapropter cum tantum sit ordinis decus, tanta vtilitas, tanta in omnibus rebus necessitas, operæ precium me facturum iudicaui, si ea quæ paßim apud optimos autores de ordine seu Methodo legi, in breuem libellum concluderem, ac studiosæ iuuentuti proponerem. Nam Methodica docendi ac discendi ratio hoc citra controuersiam præstat, vt artes & quam celerrime percipiantur, & firmißime retineantur. Ordo enim Methodi initia, progressus & metas monstrat, cui numerus accedit, qui partes numerat, & membra distinguit.

Cæterum cum de Methodo sim scripturus, video me id commodißime facturum esse, si certam quandam Methodi rationem fuero sequutus, & cum perpendo rem accuratius, inuenio huic nostro proposito aptißimam fore eam Methodum, quam

quam Græci Methodorum præcipui architecti διαίρεσιν appellant. Quare rem auxiliante Deo (cui ordo in omnibus rebus mirabiliter placet) aggrediar. Sed prius admonitos volo honestos studiosos, vt non statim ea quæ sumus dicturi improbent, aut contemnant, sed prius legant, lecta examinent, postquam autem syncero iudicio omnia examinauerint, spero facile deprehensuros, me studio iuuandi discentes hæc collegisse, ac longe vtilissima fore ijs, qui præclarorum virorum scripta lecturi sunt. Sed ne prolixiora instituantur προλεγόμενα, rem Methodo ea quam promisi, aggrediar.

QVID EST METHODVS?

METHODVS, est via docendi certa cum ratione, hoc est, METHODVS est ratio docendi, cuius admonitu, & ductu, singula in rerum explicatione aptis & accommodatis locis collocantur. Nec aliud vult Græca definitio, Μέθοδός ἐστιν ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου. Ut autem rem vniuersam quasi per transennā studiosis contemplandam proponam, breuiter ipsa Metho-

dorum genera, quorum vſus eſt in Philoſophia, & de quibus deinceps ſum dicturus, ſubijciam.

Methodus itaque in uniuerſum duplex eſt: UNIVESALIS & PARTICULARIS.

UNIVERSALIS eſt integrarum artium tradendarum via, à Galeno διδασκαλία à ſuo proprio fine dicta. Hanc vniuerſalem Methodum Græci diuidunt in σύνθεσιν, ἀνάλυσιν, & διαίρεσιν, quibus Euſtrathius ἀπόδειξιν adiecit, de qua quid ſentiendum ſit, ſuo loco dicam.

PARTICULARIS Methodus eſt miniſtra vniuerſalis Methodi, ſeu organon, ſeu via monſtrans certam rationem tractandi & explicandi partes, ſeu membra vniuerſalis Methodi. Hanc DIALECTICAM vocant Methodum, quam in SIMPLICEM (cui particulares tres ſubijciuntur, σύνθεσις, ἀνάλυσις, διαίρεσις. Nam propter affinitatem eaſdem cum vniuerſalibus ſortiuntur appellationes) & COMPOSITAM diuidunt. His quoque generibus ſubijcitur oratoria Methodus, quam oratores in cauſarum generibus, ac ſingulis eorum partibus ſequuntur.

DE SYNTHESI VNIVERSALI.

DIxi quid ſit Methodus, ac Methodorum genera recitaui, nunc ſingulas eius formas eo

quo proproposit æ sunt ordine explicabo, ac primum de Synthesi dicam.

Est autem SYNTHESIS VNIVERSALIS, Methodus tractandarum artium, per quam naturæ ordinem in collocatione singularum partium artis alicuius sequimur, Hæc latine CONSTRVCTIO seu COMPOSITIO dici potest: quæ quoniam ad naturam proxime accedit, naturalis dicitur, & à nonnullis φύσεις appellatur. Nam vt in rerum naturalium productione, à simplicibus ad ea, quæ ex simplicibus extruuntur, fit progressus: ita iuxta huius Methodi rationem, à primis quasi elementis artis ad finem progredimur, estq; arti pingendi haud multum ab similis. Vt enim pictor simulachrum aliquod picturus, primum quasdam grammas ducit, deinde membra format, tum totum corpus simulachri viuis coloribus depictum absoluit: ita Philosophus, qui in arte aliqua tradenda hanc Methodum sequi constituit, paulatim à minimis ad maiora, à simplicibus ad coniuncta, ex prioribus posteriora extruens, progreditur, donec totam, quam sibi tractandam suscepit, artem absoluerit.

Porrò vt res fiat apertior, sciendum est, vocabulum Syntheseos, à quadam Mathematica demonstrationis forma sumtum esse. Quemadmodum enim Mathematica illa Synthesis, à quibusdam confessis principijs exordiens, paulatim alias atq; alias conclusiones extruit: ita hæc vniuersalis

uersalis Synthesis à principijs & elementis rerum progreditur, quæ sunt intellectu faciliora & notiora, donec ad finem peruenerit. Sed quia hæc fortassis à rudioribus non satis intelligi possunt, conabor perspicuis exemplis rem declarare.

Artifex scripturus Grammaticam, cuius finem, bene loqui, considerans, à literis orditur, quæ orationis prima elementa sunt: Deinde ex literis syllabas componit: ex his dictiones: ex dictionibus orationes extruit. quibus fundamentis iactis, quomodo bene ac emendate loquendum sit (hic enim est finis Grammatices) distincte explicat. atq; hoc pacto naturalem Methodum sequutus absoluit artem. Aristoteles cum finem videret Dialectices esse inquisitionem veritatis, quæ disputando seu ratiocinando inquiritur, initium sumsit à minimis ratiocinationis partibus, quas κατηγορίας appellauit, hoc est prædicamenta. κατηγορίαι enim profitentur doctrinam simplicium vocum, quæ sunt ipsarum ratiocinationum minimæ partes ac elementa. Deinde vltra progressus in libro περὶ ἑρμηνείας coniunxit voces, & ex ijs propositiones tanquam maiora ratiocinationis membra extruxit. Tertio loco in Analyticis prioribus docuit, quomodo propositiones quæ argumentationes ingrediuntur, affectæ esse debeant. Porro cum videret sapientissimus Philosophus tria esse ratiocinationis genera. Vnum, quo probabiliter concluditur. Alterum, quo necessa-

necessario aliquid probatur, Tertium, quo fraudulenter Sophistæ vtuntur, ad obruendam veritatem: de his tribus generibus copiose docuit, & primum eorum quæ posui, quia facilius percipi posse videbatur, commoditatem discentium sequutus, primo loco absoluit, idque octo Topicorum libris: de medio in posterioribus Analyticis: de postremo in libris Elenchorum. quod ideo in extremum locum reiecisse videtur, quoniam prioribus perceptis, facilius de hoc iudicari potest. Quid quæso hac Methodo Aristotelica clarius esse potest? quid facilius intellectu? An non vel pueris nostris ducibus, hanc Aristotelis Methodū intelligere possumus? Videmus enim pueros, qui simul atq; fari per ætatem possunt, primū res singulas suo quasq; nomine appellare, vt pater, mater, panis, potus. Deinde cum paululum ætate progressi sunt, componere res singulas, hoc est, voces rerum singularū, & eas in propositiones cogere, vt pater est bonus, mater est bona, panis est meus, potus est dulcis &c. Cum vero adhuc longius processerunt ætate, incipere argumenta nectere: da panem, quia bonus pater es. non te amo, me enim verberas &c. Porro vbi adhuc maior ætas accesserit, natura duce alios certius vera concludere, alios probabiliora animaduertere, et falso collecta diiudicare & discernere, quæ profecto omnia sunt diuinæ illius artis Dialecticæ semina, in qua tractanda Aristoteles

eundem ordinem, quem natura monſtrauit, ſequutus eſt: Quemadmodum & in Phyſicis hunc ipſum autorē feciſſe manifeſtū eſt. In his enim primum de principijs et elementis rerum naturaliū, de communibus eorum affectionibus, deq; ijs quæ his annexa ſunt, diſputationem inſtituit. Deinde de corporibus ſimplicibus, Poſtea de mixtis, de generatione, corruptione &c. quemadmodum ferè in ſerie prædicamenti ſubſtantiæ propoſita ſunt. Idem Ariſtoteles in libro Politicorum à minutiſſimis partibus orditur, ex ijſq; progrediendo totum quaſi componit. Familiam enim primam hominum ſocietatem, & primam Reipub. partem in principio poſuit, eiuſq; partes, vt virum & vxorem, patrem & liberos, dominum & ſeruum, Deinde vicinam domum conſiderat, Poſtremo Rempub. extruit. Hac quoque Methodo vſus eſt Euclides, cum à puncto ad lineam, ab hac ad figuras ſimplices, ab his ad coniunctas alias atq; alias demonſtrãdas progreditur. Sunt & illa ſcripta ad Syntheſin referenda, in quibus ſeries temporum & rerum à principio ad finem continuatur, quemadmodum Longobardus in ſuis locis Theologicis fecit. Hic enim primum de Deo, deinde de diſtinctione Perſonarum & annexis proprietatibus, Poſtea de creatione & eius partibus, Tum de lapſu primorū parentum, de peccato ſequuto parentum lapſum, & imbecillitate, Poſt hæc de gratia exhibita per Chriſtum: atque

ita

ita deinceps naturali ordine membra potissima sacræ scripturæ prosequitur, donec ad locum de extremo iudicio, de gloria piorum, & pœna impiorum perueniat.

Methodus hæc Longobardi vniuersalis est optima, tametsi in membrorum explicatione sæpissime iniuria temporis, in quod incidit, hallucinatur. Hæc exempla satis ostendunt, qualisnam sit Methodus Synthetica vniuersalis. Verum hoc in vniuersum de omnibus generibus Methodorum tenendum est, quod interdum magni authores, propter certam aliquam commoditatem, ordinem Methodi susceptæ in medio cursu nonnihil varient. Atq; hæc sint dicta de Synthesi Vniuersali.

DE ANALYSI VNIVERSALI.

ANALYSIS VNIVERSALIS, est Methodus Synthesi contraria, vt enim per Synthesin à partibus ad rei absolutionē et finem progredimur: ita contrario modo à fine, seu toto, ad ea quæ ad finem seu totum spectant, fit progressio per Analysin: quam Eustrathius hoc pacto definit: Analysis est via procedens à compositis ad simplicia, ex quibus illa composita sunt, tanquam ex ordine dispositis principijs, siue elementis, hoc est, Analysis vniuersalis est cum in artibus vel à fine, ad ea quæ ad finem spectant: vel à toto ad par-

partes, primum maximas, deinde minores & minimas: vel etiã ab indiuiduis infimisq; speciebus, ad summa genera ordine fit progressio. Vocabulum ἀναλύσεως sumtum est à Mathematica demonstratione, quam illi ἀνάλυσιν vocant, & à Philopono his verbis definitur.

Analysis est ex posterioribus recursus ad principia & causas, ex quibus quæ effecta sunt constitutionem habent. hoc est, Analysis est ascensus à fine ad principium, cuius principium conclusio illa est, quæ fuerat finis in Synthesi. & addit Philoponus metaphoram sumtam à peregrinantibus, qui cum ad propria redeunt, ἀναλύεσθαι dicuntur. De hac Mathematica Analysi dicam in particularibus Methodis, eò enim proprie pertinet. Nunc autem vniuersalis Analysis exemplis illustranda est. Sex illi præclari libri Galeni, quibus titulum fecit περὶ ὑγιεινῶν, pulcherrimum huius Methodi exemplum continent. Postquam enim scopum seu finem istorum librorum, de bona valetudine conseruanda, in principio proposuisset, & definiuisset, in sex illis libris ea omnia, quæ ad propositum finem, id est ad sanitatem tuendam pertinere videbantur, attexuit. Aristoteles in prioribus Analyticis docturus artem syllogisticam, hanc Methodum secutus est. Resoluit enim syllogismos in principia, vnde extructi erant: quorum alia sunt materialia, vt sunt propositiones & termini: alia

sunt

ſunt formalia, vt figuræ & modi: alia canonica, quæ græci vocant κάνονας τεχνικοὺς. Vel vt eadem clarius adhuc dicam, Ariſtoteles finem in his libris propoſuit ſibi ſyllogiſmum, quem primum in propoſitiones partes proximas, deinde in terminos tanquam prima elementa retexuit. Atque hæc reſolutio, quia materiam tantum attingit, poſtea addit formalem reſolutionem, quomodo nimirum omnes ſyllogiſmi ad tres figuras omnino reuocari debeant. Poſtremum multa præcepta collegit, quibus vitioſas ratiocinationes cognoſcendas docet, & ſapientiſſime quid obſeruandum ſit in quauis argumentatione monſtrat: quæ omnia hac Methodo fieri manifeſtum eſt, tametſi non ſatis ab inexercitatis hæc obſeruari poſſunt, præſertim cum prolixius de ſingularum partium affectionibus & proprietatibus diſputet.

Doctrina ſeu ars demonſtrandi Ariſtotelis hac quoq; Methodo (quod etiam titulus indicat) ſcripta eſt. Primum enim proponit ſibi finem iſtius, artis nimirum demonſtrationem. poſtea ordine adiungit omnia, quæ ad eum pertinent finem: hoc eſt, ipſam demonſtrationem primum retexit & reſoluit in propoſitiones & principia, vbi neceſſario multis verbis propoſitionum diſtinctio tractanda erat: ex qua diſtinctione naſcebatur demonſtrationis quædam partitio, vnde via medium demonſtrationis inquirendi ſeſe aperuit. Et quia nō tantum materia requiritur ad demon-

ſtratio-

ſtrationem, verumetiam forma, diſputatum eſt etiam ab acutiſſimo Philoſopho de figuris demonſtrationis, atque ita artem demonſtrandi, quam ſuſceperat tradendam, abſoluit.

Philippus Melanchthon præceptor meus chariſſimus, redacturus in artis formam doctrinam religionis, ſcopum & finem ſibi propoſuit, nimirum quod homo ſit conditus vt Deum celebret: quod cum feciſſet, omnia ordine ſubiecit, quæ ad eum finem pertinere videbantur. Et quia prudenter animaduertit, pios dum in hoc mundo peregrinari debeant, verſari primum in regno Dei ſpirituali, deinde in regno politico, tertio in viſibili cœtu eorum qui profitentur religionem, & in hoc triplici cœtu deum celebrare debere, ſapientiſſime ſuos locos in tres claſſes digeſſit: in quarum prima omnia illa ordine collegit, quæ ad propoſitum finem in ſpirituali Chriſti regno faciunt, atque hæc decem & nouem locis, quos memini ipſum appellare πνευματικοὺς, abſoluit. Deinde in ſecunda claſſe de politico regno docet, & hos locos appellare ſolet πολιτικοὺς. Poſtremæ claſſis locos cum Paulo παραδόσεις nominat. Atque ita propoſito fine in principio libri, collegit artificioſe aptiſſimo ordine ea omnia quæ ad finem referenda eſſe videbantur. Hancq; Methodum idem autor in Epitome Philoſophiæ Moralis ſequutus eſt.

Porro vt rem clariorem reddam, collationem ſuperioris & huius Methodi adiungam. Si quis

artem

artem scribendorum versuum tradendam susceperit iuxta Synthesin, primum Syllabarum (vt minimarum partium) excuteret naturam & quantitatem, Deinde pedes, vt vocant, componeret, Ad extremum ex pedibus versus faceret: sed secundum Analysin ab vltimo horum inciperet, & retexeret versum in pedes, & varias pedum formas, pedes in syllabas, syllabas in breues & longas & ancipites, donec ad minima huius artis elementa perueniret.

DE DIAERESI VNIVERSALI.

DIÆRESIS VNIVERSALIS, est Methodus, quæ primũ definitione id, de quo doctrina instituta est, declarat: deinde illud ipsum diuidit in proximas species, rursumq; specierum inquirit inferiores species, quoad diuidi possit id quod propositum erat. Methodus hæc Platonica à Platone, qui ea mirifice delectatus est, appellatur. Hanc Cicero in Philosophicis fere omnibus, & Rethoricis sequitur: cuius exempla subijciam, vbi primum vnde hæc Methodus sumta sit, & quomodo ab Analysi, cui valde similis videtur, differat, explicauero. Vocabulum sumtum est à Platonica quadam demonstrandi forma, qua Platonici conabantur definitionum partes colligere, ac collectas definitiones demonstrare. Proponamus

namus exempli gratia hominem definiendum, cuius definitionem hoc pacto κατὰ διαίρεσιν collegerunt. Homo aut animal est, aut inanimatum. Atqui inanimatum non est, ergo animal erit. Et rursus homo animal est, omne autem animal aut gradi potest, aut est volatile, aut aquaticum. Ergo cum homo neque sit volatilis, neque aquaticus, gradi potest. Et rursus, homo est animal. Omne autem animal aut est multipes, aut quadrupes, aut bipes, Sed homo nec multipes, nec quadrupes: ergo bipes. Et rursus homo est animal, omne autem animal aut est plumosum, aut implume, Sed homo non est plumosus: ergo est implumis. Et rursus, homo est animal. Omne autem animal aut est capax scientiæ, aut ἄλογον. Sed homo non est ἄλογος. Ergo est capax scientiæ. Postquam in hunc modum diuisione multiplici inquisiuissent multas differentias, collegerunt omnes simul, concludentes hoc pacto: Ergo homo est animal, quod gradi potest, bipes, implume, capax scientiæ. Hæc via tametsi veram artem definiendi monstrat, quemadmodum postea in ea particulari definitionis Methodo sum dicturus: Tamen Aristoteles eam in altero Analyticorum posteriorum libro, à demonstrandi scientia reijcit, eo quod in demonstratione conclusionem adeo necessariam esse & certam necesse sit, vt nemini vltra relinquatur interrogandi locus, id quod in Platonica Diæresi

non

non fit. Sed de origine huius Methodi ſatis, nunc paucis diſcrimen inter hanc & Analyſin oſtendam. Quidam prorſus idem voluerunt eſſe Diæreſin & Analyſin. Alij ne Galeno notam viderentur inurere, qui has diſtinxit, Analyſin Vniuerſalem, hanc particularem fecerunt: quos ipſe Galenus confutat ἐν μικροτέχνῃ, *quam Diæreſi Vniuerſali conſcripſit, vbi diſerte confirmat tertium genus* τῶν διδασκαλιῶν *eſſe Diæreſin, quam interdum* τὴν ἐξ ὅρου διάλυσιν *vocat, quæ appellatio tametſi vtcunq; oſtendit diſcrimen inter hanc & Analyſin, tamen breuiter illud ipſum explicabo. Analyſis (vt ſupra dictum eſt) progreditur à finis notione, retexendo omnia quæ ad finem iſtum facere videntur. Diæreſis vero non à fine, ſed à definitione, cuius genus & ſingulas differentias ſoluit per definitiones & diuiſiones omnium formarum, quæ ſub re definita comprehenduntur. Deinde Analyſis nihil per ſe definit. Hæc autem diuiſione non contenta, ſingula definitione declarat, à quo ſuo officio interdum* ὁριστικὴ *appellatur. Hinc perſpicuum eſſe exiſtimo, diſcrimen non paruum eſſe inter has duas Vniuerſales Methodos. Sed tamen habent aliquid commune: Nam quemadmodum Analyſis quærit quæ ad finem ſpectant, ſeruato ordine & maiorum & minorum partium: ita Diæreſis ea quæ ad definitionem pertinent, per diuiſionem ſuperiorum &*

inferio-

inferiorum formarum, siue specierum quærit, donec quicquid fuit in definitione produxerit, ipsumque definitionibus & diuisionibus explicauerit.

His ergo ita constitutis, exempla vt in superioribus Methodis fecimus, subijciamus. Cicero hac Methodo multa scripsit, inter quæ primum occurrunt tres illi præclari de Officio libri, in quibus omnium primum officium (quod hæc Methodus peculiariter requirit) definit, definitum diuidit in id, quod pertinet ad finem bonorum, quod Philosophi θεωρητικὸν *vocant, & in id quod in præceptis positum est, quodque in praxi consistit, sed illo secluso, vt nihil ad rem pertinente, hoc docendum sibi proponit: quod postquam in* καθῆκον *hoc est medium, et* κατόρθωμα, *hoc est perfectum, diuisit, singulas formas definitione complexus est. Sed quia Stoicum illud* κατόρθωμα *rigidius videbatur, atq; extra humanas vires positum, exclusum est, vt parum susceptæ disputationi accommodum. Medium autem officium (quod definiuit esse, cuius cur factum sit, ratio probabilis reddi possit) diuisit in honestum & vtile, quorum collationem, vt infra dicam, apposuit. Nam prius honesti partes prosequutus est, quod in prudentiam, iusticiam, fortitudinem, modestiamq; diuisit, singulasq; definitionibus explicauit, additis officijs, quæ à singulis harum formarum fluere videbantur, idq; eodem quem proposuit ordine,*

& vt

& vt magis hæc conspicerentur, vitia, quæ cum his pugnare videbantur (in omni enim Methodo Antitheseon collatio necessaria est) adiecit. Sub hæc officium, sumtis differentijs à statuum varietate, Politicum, Militare, & Oeconomicum prosequitur. nec omittit ætatum differentias & officia, addens officiorum rationes & discrimina. Porro cum ita honesti partes explicauisset, plura honesta inter sese contulit. Animaduertit enim pluribus propositis honestis, haud raro ambigi quodnam sit eligendum. Deinde absoluto primo officij genere, transit ad aliud, quod vtile vocauit, de quo in secundo libro disputat, deq; eius varijs formis & officijs, quæ inde nascuntur, pertractat: quorum quoque comparationem adiecit, Sæpe enim dubitari solet pluribus vtilibus propositis, quodnam sit alteri præferendum. Tandem honestum & vtile confert, & præcepta colligit, per quæ honesta cognoscuntur, & ordine monstrat, quod nihil quod cum vlla honestatis parte pugnat, habendum sit vtile: idq; facit copiosa exemplorum sylua illustrationis gratia adhibita: atque ita iuxta huius Methodi normam Cicero omnia officiorum genera eruditissime explicat. Hanc Methodum qui obseruauerit in illo Ciceronis opere, & facilius autoris mentem intelliget, & res quæ ibi traduntur, firmius memoria tenebit. Hanc quoque Methodum idem autor in partitionibus oratorijs sequitur. Ibi

enim primum diuidit totam illam doctrinam in vim oratoris, in orationem & quæstionem: quæ tria exponendo, definiendo & diuidendo persequitur vsque ad finem operis. Huc etiam referto libros de Finibus bonorum & malorum. Item, de Natura deorum, de Diuinatione, et Philosophicos fere huius autoris omnes.

Eustrathius his tribus Methodis Galeni adiecit quartam, nimirum ἀπόδειξιν, quæ quia particularis est & non spectatur in toto opere, sed in partibus, non debebat vniuersalibus Methodis vt noua forma addi, sed ad particulares Methodos ab Eustrathio potius fuisset referenda, de quibus sum dicturus, vbi primum quædam, quæ admonitu necessaria videntur, de vniuersalibus Methodis adiecero.

Ne quid igitur in quærenda Methodo alicuius operis erretur, hæc obseruanda & firmiter tenenda sunt. PRIMVM, ne quis ex parte aliqua operis de toto iudicet, hoc est, ne Methodum constituat eam, quam primi versus alicuius libri præ se ferre videntur. Vt si quis in principio libri alicuius de Grammatica scripti, deprehenderit Grammaticam esse artem emendate loquendi, vel finem eius esse, vt sensa mentis congrua oratione exprimamus, non statim pronunciandum est eam artem vel Diæresi, vel Analysi scriptam esse, sed tota series spectanda est, & ex ordine totius scripti Methodo nomen retribuendū est.

est. Philippus in principio Erotematum Dialecticorum definit Dialecticam, monet de eius fine & vsu: non ideo totus liber vel Diæresi vel Analysi scriptus est, sed Synthesi, si operis seriẽ spectas.

DEINDE obseruandum & hoc est, de quo in Synthesi admonui, autores magnos certam ob causam transferre aliquando Methodorum legitimum ordinem: id quod non faciunt Methodi ignorantia, sed magno consilio. Vident enim interdum quædam, quæ posteriori loco ponenda essent, commodius & vtilius tradi posse si præponantur, vt in Præceptoris nostri Dialectica iuxta Synthesis naturam, quam Philippus ibi sequitur, inuentioni vocum & propositioni addenda fuisset statim argumentorum inuentio, hoc est, τοπικὴ, sed voluit hic captui iuuentutis sese accommodare. quare absoluta vocum & propositionum doctrina, de formis argumentationum præcepta adiecit, idq; hoc consilio, vt postea ex Topica inuenta argumenta, statim suis formis alligarent studiosi, ac de inuentis continuo iudicare possent, nec vllo implicarentur errore. quod sane promptissimum fuisset, si normæ iudicandarum consequentiarum non antea fuissent traditæ.

TERTIO loco obseruandum est, quænam harum trium Methodorum sit præstantissima. Nam alij aliam præferunt. Sunt qui Synthesin ideo alijs anteponunt, cũ quia magis ad naturam accedere videtur, tum quod artes primũ Synthesi

videntur inuentæ. Quam ſane Methodum Ariſtoteles non ſolum in inueniendis, ſed etiam in tradendis artibus, vt plurimum eſt ſequutus. Alij Analyſin & Diæreſin præferunt Syntheſi, eò quod ingenijs hominum aptius eſſe iudicant, rem vniuerſam & quaſi compoſitam primum ponere, & poſtea vel Analyſi vel Diæreſi eandem retexere, donec ad principia & fontes ipſos diſcentes deduxerint. Tametſi autem hæc improbare non poſſum: tamen hoc videtur mihi adijciendum, quod ex conditione & natura materiæ propoſitæ, de qua docendi ſunt homines, petendum ſit conſilium. Nam aliæ res alio Methodi genere facilius & traduntur & percipiuntur. Si quis enim Analyſi vti vellet in Grammatica aut Dialectica tradenda, iudicarem illum operam & oleum perditurum. Nam ea Methodus in ijs artibus diſcentibus nequaquam eſt commoda, cum contra Syntheſis ſit commodißima, quam omnes, vt ego exiſtimo, ſecuti ſunt, qui has artes tradiderunt. Contra vero Rhetoricæ tradendæ commodior eſt Diæreſis. Quapropter aliam Methodum in alijs rebus tractandis & aptiorem, ita quoque digniorem eſſe ſtatuo: tametſi de dignitate fortaſſis diſputare non videtur operæprecium. Nemo enim dubitare debet, quin has vias rerum tradendarum hominibus monſtrauerit Deus, vt religio & aliæ res bonæ ab hominibus doceri aptius, & percipi rectius poſſent.

Nec

Nec audiendum esse iudico Ramum, virum alioqui doctum & bonum, qui vnam tantum vniuersalem Methodum agnoscit, nimirum Platonicam: pugnat enim non solum cum Aristotele quem ipse contemnit, verumetiam cum natura & experientia. Tam præclara igitur organa tradendarum rerum optimarum religionis & artium, non sunt propter vllius hominis sugillationem contemnenda.

POSTREMO loco hoc quoque admonendum videtur, quod nulla Vniuersalis Methodus possit suo munere perfungi, nisi particularibus Methodis iuuetur, de quibus (quia hactenus satis mihi de Vniuersalibus Methodis dixisse videor) nunc dicendum est.

DE PARTICVLARIBVS METHODIS.

METHODVS particularis, est ratio monstrans rectam viam explicandi quæstiones de qualibet re propositas. Quapropter huius Methodi varietas petenda est ex quęstionū varietate. Cum itaque quæstiones sint vel simplices, vt cum singulæ res tractandæ proponuntur: vel compositę, cum propositiones in controuersiā incidunt, duplex erit Methodus particularis, Simplex nimirum, & Composita. Illa est singularum vocum, cum videlicet voces vera ratione explican-

 tur.

tur : Hæc qua propositio aliqua ratione vera concluditur, siue id fiat necessitate consecutionis tantum, siue rei & consecutionis simul. Hinc facile intelligi existimo vulgatam Methodi diuisionem, qua diuidunt Methodum in definitiuam, diuisiuam, resolutoriam & demonstratiuam, esse huius classis, hoc est, pertinere ad particularem Methodum: quam ideo Dialecticam vocant, quia tota ars differendi versatur in his quatuor tractandis & explicandis. Hæc dixi, vt ostenderem quomodo vulgata Methodi diuisio cum ea quam supra tradidi, quadret. Porro hæc duplex Methodus Dialectica plures sectiones recipit, Nam simplex quidem in σύνθεσιν, διαίρεσιν, ἀνάλυσιν particulares, & mixtam diuiditur. Composita vero etiam habet varias formas. Alia enim probabilis, Alia Sophistica, Alia demonstratiua à quæstione subiecta dicitur, quarum postea varij sunt rami. Nam quælibet harum spectatur vel in disputatione, cum plures de aliqua quæstione litigant: vel in collocatione, cum ipsi de rebus sine aduersario scribimus quicquam serio, siue declamamus ingenij excolendi gratia, vel in examine eorum, quæ ab alijs scripta sunt, nimirum cum ea, quæ vel vberiori oratione exposita sunt, reteximus & detractis ornamentis nuda proponimus, ad dialecticam normam singula reuocantes, vt eo accuratius de negocio proposito iudicium formetur: sine quo examine vberior

oratio

oratio nequaquam intelligi potest. neque quicquam horum intellectum volo de oratoria Methodo, de qua seorsum, quemadmodum antea proposui, sum dicturus. nunc ideo paucioribus de Dialectica Methodo dicam, quia ars Dialectica hanc solam profitetur, hanc docet, ad hanc omnia sua præcepta fere refert.

DE SIMPLICI METHODO DIALECTICA, AC PRIMVM DE Synthesi particulari.

SYNTHESIS particularis est duplex, διηγητικὴ, quæ rei simplicis elementa colligit, partes componit, antecedentia, coniuncta & consequentia ponderat, finem vsumque rei commonstrat. Breuiter, quæ occupatur in circumstantiarum rei consideratione. & ὁριστικὴ, quæ est certa via res singulas definitione complectendi, & vocatur vsitate Methodus definiendi. Huius varias formas, quia in Dialecticis traduntur, omittam, & breuiter paucis & generatim definiendi Methodum exponam, quam his verbis Cicero in Topicis tradidit. Sic igitur, inquit, Veteres præcipiunt: Cum sumseris ea, quæ sunt rei quam definire velis cum aliis communia, vsque eo perse qui, dum proprium efficiatur, quod nullã in aliam rem transferri possit. vt hæc: hæreditas est pecunia. Cõmune adhuc, Multa enim genera sunt

pecuniæ. adde quod ſequitur: quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Nondum eſt definitio, Multis enim modis ſine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ poſſunt. Vnum adde verbum: Iure. Iam à communitate res diſiuncta videbitur, vt ſit explicata definitio: Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure: nondum eſt ſatis, adde.nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta. Confectum eſt. hactenus Cicero. Addamus & nos vnum atque alterum exemplum. Tyrannis eſt imperium. Commune adhuc, Multa enim genera ſunt imperiorum. addamus ergo: quod vnus adminiſtrat. non eſt ſatis, adde publicum. ne id quidem ſatis eſt, Adde ergo: Cum Reſpub. non ex legibus, ſed arbitrio dominantis gubernatur. His nihil fortaſſis addi poteſt, Completa eſt itaque definitio. Tyrannis eſt imperium publicum, quod vnus adminiſtrat, non ex legibus ſed arbitrio. Temperantia eſt virtus, hoc latiſsime patet. Adde Moralis, differentia eſt adhuc generica non ſufficiens ad definiendam ſpeciem. Adde, quæ moderatur cupiditates. Iam res à communitate diſiuncta eſt: ſed adde finem, vt ſit plenior definitio, ne quid contra rectam rationem fiat. Coniungamus iam omnia: Temperantia eſt virtus moralis, quæ moderatur cupiditates, ne quid contra rectam rationem fiat. Qua autem ratione illa communia ſint quærenda, in Dialectica expli-

explicatur, nimirum vt primum rei definiendæ prædicamentum quæratur. Deinde, vt inuentum prædicamentum in genera media tantisper distribuatur, donec proximum eius rei, quam definire volumus, genus inuentum fuerit. Tum inuentum genus in differentias secabitur, donec eam rem, quæ proposita est, à reliquis eiusdem generis speciebus, certa & propria differentia distinxerimus. Sed si certæ differentiæ inueniri non possunt, quærantur subsidia à causis, effectis, proprietatibus, & alijs rerum attributis, donec quocunque modo rem propositam certis limitibus definiuerimus. Atque hæc est Aristotelis in secundo posteriorum, Ciceronis in Topicis, Boëtij in libro de definiendi Methodo, doctrina.

Cæterum hoc loco admonendum duxi, id quod Rodolphus docet in loco Coniugatorum, quem locum multum facere ad definiendum ostendit. Proposito enim abstracto definiendo, facilius definitionem inuenies, si concreti affectiones peruideas. Nam hanc viam sæpe Aristoteles secutus est: vt in Ethicis definiturus prudentiam, primum personam prudentis considerauit & definiuit. Sed Aristotelis verba, quo res fiat clarior, subijciamus. Prudentia inquit, quid sit, ita intelligemus, si quos nominemus prudentes cognouerimus. Prudentes quidem videntur ex eo esse, quod rectum consilium in ijs capere possint, quæ sua sunt, quæq; non aliqua ex parte, vt quæ ad

valetudinem, aut vires pertinent, quod ex eo intelligi potest, quia prudentes in re aliqua dicimus, cum ad honestum finem recte ea dirigunt, quæ arte non possunt effici. Quocirca valeat prudens omnis consilio necesse est. Et quoniam consilium nemo in ijs rebus capit, quæ aliter euenire non possunt, neque ab ipso nequeunt effici & præstari, Quoniamque scientia omnis demonstratione concluditur. Demonstratio autem ad ea nulla adhibetur, quorum principia secus euenire possunt (ea enim omnia euenire aliter queunt. quæ autem necessario eueniunt, non cadunt in deliberationem) Efficitur vt nec scientia, nec ars, prudentia dici possit. Scientia esse non quidem potest, quia quod subiectum est sub actionem aliter euenire potest. Nec ars, quia alius actioni, alius affectioni artis finis est propositus, Relinquitur ergo vt prudentia sit habitus vera ratione ad ea agenda idoneus, quæ vitæ hominum conducunt vel obsunt. Hoc Aristotelis exemplum euidenter docet præceptum Rodolphi esse vtilissimum, quod Philosophi & Theologi sequi solent.

Addamus & nostrum exemplum. Si pietatem definire velis, promtissimum fuerit, vbi excusseris quos nam nominemus pios. Pij autem nominantur, qui sine hypocrisi Deo, parentibus, patriæ & ciuibus debitam reuerentiam & cultum præstant. Hinc relinquitur, pietatem esse studium

dium

dium cum summa reuerentia colendi Deum, patriam, parentes & ciues. Obseruandum & hoc est, quod Boëtius faciendum in definiendo præcipit, quod Platonica Methodo particulari Diæresi, id est diuisione, tanquam planissima & certissima via inquirantur definitionum membra, donec rem à communitate distinxerimus. tam diu inquit debemus interponere species & differentias, quam diu seclusis omnibus, quæ hoc idem esse possunt, eò deueniatur, vt proprietas iam certa teneatur. M. Tullius in Topicis Ius ciuile voluit definire, & vt oportuit, cœpit à genere. Dixit enim in principio Ius ciuile est æquitas. Hoc genus est. Sed quoniam alia est æquitas constituta, alia naturalis, & Ius ciuile non est naturalis æquitas. Ergo constituta. Verum quia æquitas constituta alia est Gentium, alia certæ ciuitatis, Et ius ciuile non est æquitas constituta Gentium, Ergo certæ ciuitatis. Relinquitur ergo quod ius ciuile sit æquitas constituta eorum, qui sunt eiusdem ciuitatis. Quædam Boëtij verba mutaui, vt studiosi facilius Platonicam Methodum agnoscerent, de qua supra dixi in Diæresi Vniuersali. Sunt alij qui prædicabilium ordinem instrumentum Methodi definiendi constituunt, de quare Boëtius ita inquit. Quidam cautiores pleniores que in docendo, definitionis ipsius quasi quædam membra constituunt, dicuntq; perfectam & plenam definitionem ex his quinque partibus,

genere,

genere, ſpecie, differentia, proprio & accidente conſiſtere, Sed accidens in definitione minimum, proprium plurimum valet. Exempla vide in Dialecticis Philippi, & paßim apud autores occurrunt plurima.

Porro huc adijciendum quoque duxi præceptum Boëtij, de ordine explicandi eam definitionem, quam ſtatuimus. Omnis definitio, inquit, his membris partibuſq; tenetur. Primum vti breuiter id, de quo quęritur Quid ſit, oratio noſtra contineat. Deinde eius definitionis ſupponatur approbatio, qua illud oſtendimus, vt idipſum quod breuiter in definitione poſuimus, id ita eſſe argumentorum rationibus approbemus. Deinde tertio loco inducimus deductionem eiuſdem definitionis in eam ſpeciem, de qua quæſtio eſt, & de qua iudicium eſt conſtitutum: vt cum generaliter rem definiuerimus, & ita eſſe de quo queritur dixerimus, vt poſtea per approbationem conſtituerimus verum eſſe quod definimus. tertio loco oſtenderimus hoc eſſe quod geſtum eſt, vel id eſſe de quo quæritur, quæ orationis pars appellatur deductio generis in ſpeciem. Quarto loco in oratione noſtra ponemus deſtructionem definitionis aduerſæ partis, hoc eſt, vti quemadmodum aduerſarij definiuerint idipſum, de quo ſupra definitionem conſtituimus, apponamus, eamq; vitioſam eſſe doceamus. Hæc ratio tractandæ inuentæ per Methodum definitionis, non

ſolum

solum oratoribus, verumetiam Dialecticis & Philosophis est communis: nisi quod Philosophi vt plurimum aliorum definitiones prius confutant, & postea collectis membris suas statuunt, mox applicant genera ad species & confirmant. Hanc Methodum plurimum iuuare orationis copiam animaduerti, quare eam commemorandam esse duxi.

DE DIAERESI PARTICVLARI.

TAMETSI *hæc Methodus ex ijs, quæ dicta sunt in superiori Methodo, facile intelligi potest, tamen quia eius laudes & vtilitates hoc merentur, breuiter de ipsa dicam. Plato enim adeo miratur hanc Methodum, vt dicat se tanquā Deum secuturum eum esse, quem nouerit diuidendi peritum, atque id non iniuria. Nam diuidendi Methodus, cum ad rei quæ diuiditur naturam demonstrandam, tum ad definiendum & argumentandum plurimum vtilis est, sed prȩconijs omissis, rem ipsam aggrediamur.*

Est itaque DIVIDENDI METHODVS, *quæ &* PARTICVLARIS DIÆRESIS *quædam existit & appellatur, certa via, res singulas diuisione, quasi anatomia quadam in partes seu membra retexendi. Sub hac diuisione complector enumerationem, partitionem, & eam*

quam

quam Cicero contracto vocabulo diuisionem appellauit. Nam vis nominis & amplitudo hoc non recusat, quemadmodum Boëtius & post hunc Philippus testantur, nihil Pseudociceronianos morantes, qui nullum verbum ferre possunt, quod ipsi apud Ciceronem non legerunt. Ut autem Methodus hæc eò facilius percipiatur, Primum diuisionum formas recitabo, Deinde, regulas quasdam huic rei deseruientes adijciam, Tertio loco rationem ac viam in singulis differentijs & speciebus inquirendis subijciam, Quarto loco ordinem tractandi diuisionum membra inuenta docebo.

Diuidendi itaque genera duo sunt, prius ac nobilius NATVRALE ac per se dicitur, Posterius FORTVITVM seu per accidens nominatur.

NATVRALE diuidendi genus est, cum diuisio per ea fit, quæ naturam rei attingunt, id est per differentias & species. Atque in tres formas diuiditur, quarum prima est generis in species siue in differentias distributio. Hæc alijs dignior est. Alia quam Cicero quidem partitionem, Themistius vero ἀνατομὴν vocat. Tertia est non quidem prioribus dignitate par, sed tamen in seriarum rerum tractatione haud raro adhibenda. Hæc enumeratio appellatur, & fit quoties vocis alicuius multa amplitudine significationis suæ cõplectentis significata enumerantur.

Poste-

POSTERIVS diuidendi genus ideo vocatur per accidens, quia fit per ea quæ naturam rei non attingunt, sed vt fortuita quædam incumbunt. Estq; huius generis triplex forma: Prima est subiecti in accidentia diuisio. vt cum dicimus: omnium hominum alij sunt nigri, alij candidi, alij medij coloris. Secunda est accidentis in subiecta sectio, qualis hæc est: Omnia quæ expetuntur alia in anima, alia in corporibus sita sunt. Postrema est accidentis in accidentia diuisio. vt omnium candidorum alia sunt dura, vt Margarita, alia sunt liquentia, vt Lac. Atq; hæc sunt genera ac formæ diuisionum, nunc regulas subijciam.

PRIMA.

Oportet omnem diuisionem in duas ad minimum, vel in plures, si necesse fuerit, partes fieri.

SECVNDA.

Omnis legitima generis diuisio fieri debet duobus terminis, nisi inopia vocabulorum hoc prohibeat.

TERTIA.

Differentiæ, quæ aliqua oppositionis specie differunt, solæ generibus accommodari possunt in legitima diuisione.

QVARTA.

Differen-

Differentia ſemper ſubiecto ineſſe debebit, in veris diuiſionibus.

QVINTA.

Quemadmodum genera in ſpecies, ita differentiæ genericæ in alias ſub ſe conſtitutas differentias, non ſecus atque genera diuidi debent.

His regulis traditis ad id quod tertio loco propoſui, accedendum eſt, nimirum vt rationem & certam quandam Methodum inquirendarum differentiarum in ſingulis diuidendi generibus teneamus: quod vt facilius fiat, ſingula genera proponenda ſunt. Non eſt enim eadem ratio inquirendarum differentiarum in omnibus generibus. In prima ergo forma prioris generis hac Methodo ſpecies & differentiæ inquirendæ ſunt. Primum omnium generis (nam ſola genera hac forma diuiduntur) prædicamentum quęrendum eſt. Statim in proximas ſpecies ſubiectas generi diuidendum, mox in alias, donec ad infimas ſpecies deuentum fuerit, vbi conſiſtendum eſt: ſed non promiſcue & fortuito ſpecies diuidendo generi ſubijcies, ſed eas tantum, quas conſtituunt oppoſitæ differentiæ, ſub eodem genere collocatæ. Vt animalium aliud eſt brutum, aliud eſt homo. Hic in proximas ſpecies, quas conſtituunt oppoſitæ differentiæ, irrationale & rationale diductum eſt genus. Et ne erretur in aſsignandis ſpeciebus, profuerit primum in differentias genera di-

ra diuidere. Postea differentias adiuncto generis vocabulo species statuere, atque hoc necessario faciundum est, potissimum si species quibus oportet genus diuidi, nominibus carent.

Sed dicat aliquis in Animalis diuisione res plana est, sed quid faciundum vbi nec differentiarum, nec specierum sunt vocabula. Huic inopiæ hoc pacto succurrendum est: Vbi differentiæ non extant proprijs vocabulis, periphrasi verborum vtendum erit. si specierum nomina desunt, accipe differentiam, eamque superiori generi copula. Omnis enim differentia in proprium genus veniens, speciem facit. Vnde est, vt genus materiæ, differentia vero formæ similitudinem quandam referat. Sed labor est, inquies, differentias illas inuenire. Labor quidem, sed non adeo difficilis, si Methodus accesserit, quam tertia regula supra tradita monstrat. Ex ea enim regula constat, quod solæ illæ differentiæ, quæ à se inuicem aliquo oppositionis genere differunt sub genere positæ, genus ipsum possunt distinguere vera & legitima diuisione. Oppositionum autem genera esse quatuor, nempe Contradictorium, Contrarium, Priuatiuum & Relatiuum, ex Dialectica notum relinquo. Hic tantummodo secundum quas oppositiones diuisio generis rectißime fiat admonere oportet, ac primum quidem de contradictionis oppositione dicendum est, quæ affirmatione & negatione proponitur. Quod autem

negatio per se nullam constituit speciem, ex eo manifestum, quod species omnis esse rem aliquam intendit, negatio vero quicquid proponit ab eo, quod est esse, disiungit, vt cum dico homo, aliquid esse innuo, Cum vero non homo, substantiam hominis negatione destruxi. Sic igitur diuisio generis in species per se caret negatione, necesse est tamen sæpe speciem negatione componere cum ea, quam simplici nomine speciem uolumus assignare, nullo vocabulo nuncupato, vt cum dico. Imparium numerorum alij primi vt tres, quinque, septem, Alij non primi, vt nouem. Vt hoc pacto sæpe assignemus species, coget necessitas non natura. Verum cum ita fiet diuisio, affirmationem sequetur negatio non contra. Atque hæc dicta sint de differentijs oppositis, quas constituit contradictio. Nunc de contrarijs dicendum, in quibus generum frequens est diuisio. fere enim cunctas differentias in contraria diducimus. Sed quoniam contrariorum alia sunt immediata, alia mediata, in vtrisque diuisio facienda est. vt colorum alij sunt nigri, alij albi, alij neutri. Hic quia indigentia nominum prohibet fieri bimembrem diuisionem, iuxta primam & secundam regulam diuisio facta est. In immediate contrarijs diuisio fiet bimembris. Vt figurarum aliæ æquales, aliæ inæquales sunt. Porro diuisio secundum oppositionem priuantium videtur similis contradictoriæ. Negat enim quodammo-

dammodo priuatio habitum, ſed differt quod ſemper quidem poteſt eſſe negatio, priuatio vero non ſemper, ſed tunc ſolummodo, quando habere habitum naturæ rei conuenit. Quare forma quædam intelligitur eſſe priuatio. Non enim tantum priuat, ſed etiam diſponit quodammodo eum qui priuatur habitu. Hic ergo vt in ſuperioribus diuiſio generis fieri poteſt, ita tamen vt habitus priori loco ponatur, priuatio poſteriori. Quarta oppoſitio eſt relatiuorum, quæ nullam habent ſubſtantialem differentiam, qua à ſe diſcrepent, imo potius habet huiuſmodi cognationem, qua ad ſe inuicem referantur, ac ſine ſe eſſe non poſſint. Non eſt ergo generis in relatiuas partes facienda diuiſio. Neque enim hominis ſpecies eſt ſeruus aut dominus: nec numeri, medium aut duplum: in ſubiecti tamen in accidentia diuiſione nihil prohibet per relatiuas partes fieri diuiſionem. Vt hominum alij ſerui ſunt, alij domini. Ex his manifeſtum eſſe puto, quomodo & ſpecies & differentiæ in vera generis diuiſione conſtituendæ ſunt.

DE ANALYSI PARTICVLARI ENVMERATIONE ET diuiſione κατὰ συμβεβηκός.

NVNC de totius in partes ſectione (nam ea eſt altera prioris generis diuidendi forma,

& proprie Analysis particularis est) dicam breuissime, de qua in vniuersum hæc est obseruanda regula: Ex consideratione compositionis recte Totius diuisio ordinatur, ita vt semper à principalioribus partibus fiat diuisio in minores, donec res tota in minimas partes retexta fuerit. Vt quia homo componitur ex corpore, hoc est, materia, & anima, id est forma, tanquam principalibus partibus, recte fiet diuisio seu partitio hominis in corpus & animam. Deinde hæ partes vt tota accipiendæ sunt, & diuidendæ in partes. Anima itaque tametsi reuera non constat ex partibus, tamen quia in ea est vis viuificandi, mouendi & intelligendi, recte anima in has partes virtuales, vt vocant, diuidi potest, per se sane indiuisibilis. Et rursus hæ singulæ partes, vt tota constituendæ sunt & diuidendæ. Deinde, altera pars primæ diuisionis sumenda est, nempe corpus, & vt totum arripiendum, huiusque consideranda est compositio. Vnde rursus ἀνατομὴ instituenda est, donec in minimas partes dissectum fuerit corpus. Hæc ratio totius diuidendi in partes, perutilis ad amplificandum & illustrandum est, quare & Rhetores de hac præceperunt.

TERTIA forma primi generis est ENVMERATIO significationum diuersarum eiusdem vocis. Huius Methodus secundum has regulas instituenda est. Primum omnium videre

oportet,

oportet, quæ significatio naturalis sit (Est enim naturalis significatio, quam primum habuit vox cum inuenta est. Naturalia enim dicuntur, quæ cum vnoquoque nata sunt) quæ translatitia. Deinde, si sensus patitur & contextus, retinenda est naturalis significatio, Sin minus translatitiæ significationes sunt enumerandæ, quarum ea aptanda est propositio, quæ maxime quadrat, & firmis rationibus monstrandum est, quod aliæ vocis significationes non conueniant.

Porro posterioris generis diuisio hoc pacto instituetur. Subiectum in accidentia commodissime hac Methodo distribuetur, si per singula prædicamenta accidentium eatur. Vel vt Rodolpho placet, per locos Dialecticos ordinetur propositæ rei descriptio, & instituatur veluti quædam particularis Synthesis, vt si officium aliquod fuerit diuidendum, recte in partes eas quæ ad officium faciunt, fiet descriptio, id quod videmus Paulum fecisse in descriptione Episcopi, ad Titum & Timotheum, de quo genere vide plura in Dialectica Philippi, & in posterioribus commentarijs Erasmi de copia.

CÆTERVM Methodus tractandæ inuentæ diuisionis, hæc est vulgarissima: vt primum nostram diuisionem ponamus. Deinde, eandem confirmemus, mox subijciamus aduersariorum eamq; rationibus destruamus.

DE METHODO COPVLATA DIDASCALICA

PORRO ex his superioribus Methodis alia quædam Methodus, quam Didascalicam à suo proprio fine vocant, emergit. Et tametsi ex pluribus Methodis est conflata, tamen recte eam & simplicem vocaueris, eo quod simplicium rerum tractandarum instrumentum sit, & copulatam, quia conflatur ex pluribus particularibus Methodis. Huius Methodi partes quatuor constituantur, definitio, diuisio, analysis, catagrapha. Definitio quærit an sit res, quæ nominis ratio, quid res. Diuisio species recitat, probat, declarat, comprobat. Analysis partes, causas & effecta rimatur. Catagrapha adiuncta rei, cognata, adiacentia & contingentia cumulat. Singulis harum partium exornandi & amplificandi gratia adhiberi possunt contraria, similia, pronunciata, exempla, χρεῖαι.

Vtile valde fuerit exerceri discentes in hac Methodo varijs materijs propositis. Nam vt nihil dici potest de vlla re, quin his partibus subijciatur commode: ita formatur hac ratione iudicium de rebus, vt sciant adolescentes dextre quicquid legunt ad suam classem reuocare, & recte locos communes instruere, quæ sane res permultum facit ad solidam rerum singularum cognitionem comparandam. Conspicitur & in

hac

hac Methodo maximus vſus locorum inuentionis, qui non ſolum propoſitionibus confirmandis & infirmandis ſeruiunt: verumetiam huius Methodi elementa continent.

DE COMPOSITA METHODO.

DIXIMVS de Methodo particulari ſimplici, nunc ordo poſtulat, vt de compoſita dicamus. Huius in tota vita vtilitas eſt maior, quam vt noſtra oratio eius laudibus reſpondere poſſit: quare præconijs omiſſis rem quam poſſum planiſſime explicabo.

Eſt itaque COMPOSITA METHODVS PARTICVLARIS certa via ac ratio, propoſitam quæſtionem coniunctam in diſputando, collocando, & examinando tractandi. Vt enim ſimplex Methodus quæſtionem ſimplicem ita hæc coniunctam, quæ conſtat ſubiecto & prædicato, reſpicit. Varietas autem huius Methodi à varia quæſtionis propoſitæ natura, & propoſitionum, quæ illi explicandæ adhibentur, varietate, petenda eſt. Quocirca cum omnis quæſtio Compoſita aut probabilibus, aut fallacibus, aut neceſſarijs & perpetuis confirmari ſoleat, Triplicem hanc Methodum conſtituamus: Probabilem nimirum, Sophiſticam & Apodicticam, de quibus primum particulatim quædam.

Deinde de disputatione, collatione & examine singularum, quantum pro tenuitate ingenij licebit, dicam. Nam hæc pars potißimum iuuat studia Iuuentutis, memoriam confirmat, in lectione optimorum autorum iter ostendit.

DE COMPOSITA PROBABILI.

METHODVS COMPOSITA PROBABILIS, *est via ac ratio probabilem quæstionem tractandi probabilibus argumentis, seu propositionibus, cum secundum Dialectices præcepta recte instituuntur argumenta: quod vbi fit concesßis propositionibus probabilibus, sequitur conclusio necessario, vnde Aristoteles præscribit non petendam, hoc est, non quærendam esse conclusionem, sed ex præmißis datis inferendam. Nam qui admittit præmissas in bona consequentia, necessario conclusionem velit nolit admittet. An non quæstio, dubia est, de qua in vtramque partem disserere licet? quomodo ergo dicis nunc necessariam, quæ est dubia, quam etiam paulo antea probabilem appellasti? Datis propositionibus hoc est præmißis, qualescunque fuerint, si modo seruatur norma syllogismi, conclusio sequitur, idq; necessario, etiamsi materia non sit necessaria. Sic enim definit Aristoteles syllogismum, orationem esse dicens, in qua quibusdam positis proposi-*

propoſitionibus per ipſas ſequitur concluſio, idq; neceſſitate conſequentiæ non naturæ. Duplex enim neceſſarium Dialecticus conſiderat, aliud per naturam, aliud per conſequentiam. Neceſſarium per conſequentiam omnem ſyllogiſmum legitime factum ſequitur. Neceſſarium vero per naturam & per conſequentiam & per ſubiectam materiam, in ſolis demonſtrationibus exiſtit.

Porro Methodus hæc in genere petenda eſt primum ex natura quæſtionis propoſitæ. Secundo ex inuentione argumentorum. Tertio ex doctrina de ſyllogiſmis. Verum hic arte opus eſt, quæ iudicium regat. Nam propoſita quæſtione triplex cura animum occupabit, prima quæſtionis, media argumenti, vltima formæ: ad quam potiſſimum alligandum eſt argumentum. Sed hæc poſtrema ex genere quæſtionis pendet. Nam aliud quæſtionis genus aliud argumentum aliamque formam exigit. Dicendum eſt ergo neceſſario hoc loco primum de generibus quæſtionum dialecticarum: Deinde de argumentis, quæ ſingulis quæſtionum generibus conueniunt: Poſtremum de formis, quæ argumentis inuentis & quæſtioni propoſitæ accommodatæ ſunt.

Quæſtionum itaque Dialecticarum genera quatuor fecit Ariſtoteles: Definitionis, Generis, Proprij & Accidentis.

Definitionis quæſtio eſt, quando definitio de

definito prædicatur & contra. Generis, quando proprium genus, vel differentia de ſpecie affertur. Proprij, quando proprium prædicatur de ſubiecto. Accidentis, cum accidens affertur, vel quæritur de ſubiecto. In quibus generibus ne erretur, hæc obſeruatio eſt neceſſaria: quod quæſtio non ſortiatur nomen à ſubiecto, ſed tantum à prædicato, hoc eſt ab habitudine prædicati ad ſubiectum. Ut ſi quæratur ſit ne homo animal? generis eſt quæſtio, Genus enim in hac quæſtione prædicatur. Sit ne anima harmonia? eſt quidem & hæc generis quæſtio, ſed non naturalis. Eodem modo de alijs iudicandum eſt. Oblata ergo quæſtione de qua controuerſia eſt, primùm omnium, cuius generis ſit, quæratur. Deinde cognito genere quæſtionis, loci prudenter conſulendi ſunt à quibus ducantur argumenta: per quæ vel confirmari vel confutari quæſtionis alterutra pars poterit. Id autem aptiſſime videtur fieri hoc modo: ſi diligenter perſpexeris, in quibus prædicamentis fuerint partes quæſtionis. Nam ipſa prædicamenta præcipuos locos monſtrant. Deinde, ſi quæſtio fuerit definitionis, genus & differentia propria debent eſſe eiuſdem prædicamenti: quæ ſi fuerint idq; ſecundum regulas in definitiua Methodo præſcriptas, confirmanda eſt quæſtio: ſin minus, refutanda & monſtrandum vitium. Et quia differentiæ non ſubijciuntur oculis, plurimum facit ad inuenien-

dam differentiam confirmandam & confutandam, consulere locos effectuum, actuum, adiacentium & cognatorum. Simile iudicium est de generis quæstione, sed ad hanc quoque adhiberi solent loci Speciei, Proprij, Adiacentium, Actuum, Causarum &c. In proprij quoque quæstione loci interni valent præcipue. Item actus & adiacentia & contraria. In accidentis autem quæstione, loci externi Adiacentia, signa, communiter accidentia. Breuiter omnes loci possunt singulis generibus quæstionum adhiberi, sed alij alijs quæstionibus magis accommodati sunt, quemadmodum dictum est.

Porro Aristoteles & Cicero operæprecium putauerunt esse, in inquisitione argumentorum, considerare, quæ nam quæstio sit cognitionis & quæ actionis. Quæ sane consideratio vtilissima est. Nam si cognitionis est quæstio, loci interni & medij sunt accommodatiores. Si actionis, medij & externi: Verum quia hæc in Topicis traduntur, inde petenda sunt. Nam Topica nihil aliud est, quam Methodus inueniendi argumenta consentanea quæstioni propositæ. Porro quantum ad argumentorum formas attinet, quibus alligari debent argumenta, hoc tenendum est. Alia alijs figuris sunt magis accommodata, quare de hac re vtilissima quædam præcepta subijciemus.

PRIMVM. Si medium inuentum prædicari

potest

potest de subiecto quæstionis, aptißima erit prima figura.

SECVNDVM. Si de inuento medio prædicari potest subiectum quæstionis, aptissima erit tertia figura.

TERTIVM. Si medium & subiectum quæstionis sunt paria, in prima & tertia figura concludere licet.

QVARTVM, si medium neque antecedens, neque consequens est extremorum quæstionis, vel duplex adhibenda est argumentatio, vel Enthymema aptius erit Syllogismo. Vt si quæratur, sitne voluptas expetenda? Inuenio medium quod est dolor, prorsus ab vtroque extremorum quæstionis dissentaneum. Nam nec voluptas est dolor, nec expetendum est dolor, nec contra. Hic ergo opus erit duplici argumentatione, & nouum medium quærendum, quod latet in priori medio hoc pacto: Quod naturam offendit, est fugiendum, Dolor naturam offendit, Ergo dolor est fugiendus. Si fugiendus est dolor, voluptas expetenda est. Atqui dolor fugiendus est. Ergo voluptas est expetenda.

Hoc solet plærunque fieri in locis contrariorum, Similitudinis, dißimilitudinis, maioris, minoris & paris, Item, causarum & effectuum, quod qui non animaduertunt, in accommodandis locis sæpe laborant. Verum hæc in Dialecticis fusius tractanda sunt.

QVINTVM. In destructione quæstionis affirmatæ dominatur secunda figura.

SEXTVM, in confirmanda Vniuersali propositione dominatur Barbara, primæ figuræ primus modus, & inductio ex quibuscunq; locis promantur argumenta. Tametsi hæc plana sunt, tamen quædam præcepta de affectione medij ad propositæ quæstionis partes asscribam, vt inquirentis & iudicantis labor hac ratione leuetur. In prima itaque figura hæc debet esse medij ex locis inuenti affectio ad extrema quæstionis propositæ, vt in omnibus modis medium afferatur de subiecto conclusionis. Deinde, in affirmatiuis modis sit antecedens prædicati, in negatiuis vero repugnans. In secunda hæc debet esse medij dispositio, vt semper alterius extremorum quæstionis sit repugnans. At in Cæsare & Festino repugnans sit prædicati, & consequens subiecti quæstionis. In Camestres vero & Baroco, sit consequens prædicati, & repugnans subiecti.

Porro, in tertia figura semper medium antecedens sit subiecti, in affirmatis quoque antecedens sit prædicati, sed in negatis repugnans prædicati. Hæc consideratio habitudinis medij multum iuuat & ad inueniendum medium, & ad formas inuentis apte accommodandas. Vt autem res vniuersa fiat illustrior, ea quæ hactenus dicta sunt exemplo declarabo. Proponatur hæc quæstio in medium. Ecquid anima sit harmonia,

vt vo-

vt voluerunt Platonici. Primum hic aduertendum est, quod sit generis quæstio, Cum enim quæritur, An anima sit harmonia, quæritur an harmonia sit genus in hac quæstione. Deinde facile est videre cognitionis non actionis quæstionem esse. Vnde & hoc ex superioribus notum relinquetur, qui loci potissimum consulendi sunt, sed prius videndum, in quibus prædicamentis sint partes quæstionis, id quod ex partium natura facile est intelligere. Anima siquidem cum sit forma hominis substantialis, & altera pars substantiæ hominis, & per se subsistat separata à corpore, in prædicamento erit substantiæ. Harmonia vero cum sit nihil aliud, quam partium, aut numerorum, aut figurarum quædam dispositio, Vel vt Augustinus definit, concentus quidam ex dissimilium vocum moderatione factus, in quantitatis prædicamento erit. Hac tanquam κατασκευῇ adhibita, consulendi sunt loci ac primum definitionis, deinde reliqui vt generis, proprij, differentiæ. Iam inuenta ex locis conferenda sunt cum partibus quæstionis, & pro diuersa habitudine inuentorum ad quæstionem, vt supra dictum est, instituenda est argumentatio. Definitio animæ est forma substantialis hominis. hæc quia consequens est ad subiectum quæstionis, aptissima erit prima figura. Et quia repugnat prædicato quæstionis, quæ est indefinita, erit modus Ferio hoc pacto. Nulla forma substantialis ho-

minis

minis eſt harmonia, Anima eſt ſubſtantialis forma hominis, Ergo anima non eſt harmonia. Deinde quia medium repugnat prædicato, & affertur de ſubiecto, poterit etiam accommodari tertio modo ſecundæ figuræ hoc pacto. Nulla harmonia eſt forma ſubſtantialis hominis, Anima eſt forma ſubſtantialis hominis, Ergo anima non eſt harmonia. Ad eundem modum reliqui loci, qui attingunt partium quæſtionis ſubſtantiam, conſulendi ſunt. Loci generis, Animæ, ſunt forma, ſpiritus, ſubſtantia, loci generis, Harmoniæ, ſunt concentus, diſpoſitio, quantitas. Loci generis animæ applicati concludunt, quemadmodum in definitione dictum eſt, hoc eſt, in Ferio & in Feſtino. At ſi ex generibus harmoniæ petis media, ſolus modus Baroco erit accommodatus, & tot erunt ſyllogiſmi, quot vtriuſque genera erant aſſignata. In qua re facile videre eſt quantum momenti huc afferant prædicamentorum ordines. Atque hæc ſint breuiter dicta de Methodo probabili, quæ diligentius & fuſius in Topicis explicanda eſt. Prima enim elementa hic attigiſſe ſatis eſt, vt Methodus aliquo modo conſpiciatur.

DE METHODO SOPHISTICA.

METHODVS SOPHISTICA eſt via ac ratio, per argumenta φαινόμενα veritati tenebras

tenebras offundendi, & homines incautos decipiendi: quæ quia indigna eſt homine nato ad veritatem amplectendam, & vehementer nocet moribus ac communi ſocietati, omnino ſtudioſis tota hæc cauillandi ratio deteſtanda eſt. Adoleſcentes enim Sophiſtarum paraſtrophis aſſuefacti, nunquam veram Dialecticam diſcunt, neque vnquam res bonas afferunt, ſed tandem ſua ipſorum fallacia miſere decipiuntur, nunquam veritati ab alijs traditæ acquieſcentes intrepide. Quod autem Ariſtoteles multa de fallacijs Sophiſticis præcepta, in duobus illis de Sophiſticis Elenchis, congeſſit, hoc non fecit vt Sophiſtas faceret, aut Sophiſticen traderet, Verum vt auxiliare pharmacum nobis exhiberet ad euitandas, vt ipſe vocat Sophiſticas ἐνοχλήσεις. Non ſecus atque Nicander, qui de venenis tractauit, non vt ijs vtamur alijs in perniciem, ſed vt ea potius cauere poſſimus ne nobis noceant. Cæterum ſi Methodum aliquam quæras diluendi Sophiſtica argumenta, nulla melior præſcribi poteſt, quam ea, quæ ab Ariſtotele, à Philippo & à Villichio tradita eſt. quare de ea hic peculiaria præcepta non præſcribam, ſed tantum monere volo adoleſcentes, vt propoſito argumento falſo, ſeu Sophiſtico, primum omnium perluſtrent animo regulas conſequentiarum, & videant, num quid peccetur contra aliquam regulam conſequentiarum, quod ſi fit, reijcienda eſt conſequentia. At ſi nullum ibi

ibi peccatum apparet, rerum ſequatur examen, locis in conſilium, ex quibus falſum illud argumentum ductum eſt, adhibitis. Tertio videndum, vtrum ex locis Sophiſticis aliqua fallacia commiſſa ſit. Hæc triplex cura ſit reſpondentis ad Sophiſtica argumenta, qualia omnia ſunt, quæ falſum aliquid ſub veritatis titulo concludunt: ſed de his plura in Dialectica.

DE METHODO DEMONSTRATIVA.

TAmetſi Methodus Demonſtratiua non poteſt exacte tradi breui aliquo compendio: tamen breuiter conabor delineamenta ſaltem huius Methodi attingere. Eſt autem hæc Methodus Philoſophorum fere propria. Nam demonſtratione Philoſophis eſt opus veluti inſtrumento, ad Philoſophiæ partium Theoreticæ & practicæ, hoc eſt cognitionis & actionis rectam explicationem: Sicut enim faber amuſſis beneficio lignum rectum à curuo, & ædificator perpendiculo parietem æqualem ab inclinato diſcernit: ſic Philoſophus in ſpeculatione quidem verum à falſo, in actione vero bonum à malo demonſtrandi regula ſeparat.

Eſt itaq; DEMONSTRANDI METHODVS recta via ac ratio, ex neceſſarijs notiſque propoſitionibus immotam concluſionem inferen-

di. Vt autem hæc Methodus vtcunq; intelligatur, primum oportet ſcire in omni demonſtratione duo ſpectanda eſſe, tanquam principalia capita: quorum vnum eſt problema ipſum (ſic enim Ariſtoteles vocat quæſtionem in diſputationē adductam) quod demonſtrandum proponitur. Alterum propoſitiones, quibus τὸ πρόβλημα probatur. Deinde in omni problemate duo ſunt. prius datum, Alterum quæſitum, more Geometrarum vocant. Vt in hoc problemate: ſit anima immortalis, nec ne. Anima datum, immortalis vero quæſitum eſt. Porrò propoſitiones, per quas probatur problema, ad minimum duæ ſunt, quas ante vnamquamq; particularium demonſtrationum præcognoſci neceſſe eſt. Non enim poſſibile eſt quicquam non omnibus propoſitionibus cognitis concludere ἀποδεικτικῶς. Sed inter illas duas propoſitiones, quas in demonſtratione adhiberi neceſſe eſt, hoc eſt diſcriminis: quod maior ſit omnino commune quoddam axioma, cui vt fides adhibeatur propter euidentiam dignum eſt, vnde & axioma, id eſt dignitas dicta eſt. Minores vero propoſitiones, quoniam ſunt infinitæ, non ſunt tam obuiæ aut notæ: attamen in maioribus propoſitionibus virtute comprehenduntur, vt in ſyllogiſmo hoc: Omne animal eſt ſubſtantia, Homo eſt animal, Ergo homo eſt ſubſtantia. Minor propoſitio, homo eſt animal, comprehenſa eſt virtute in maiori, animal eſt ſubſtantia. Vnde hæc tria neceſſa-

necessarium est cognoscere ante omnem demonstrationem, datum & quæsitum in problemate, & dignitatem, hoc est propositionem illam notam & dignam fide sua euidentia. Sit problema. Estne iusticia laudanda, nec ne? Datum est iusticia, quæsitum laudanda. præter hæc oportet me dignitatē (Sic enim interpretantur axioma) habere, quæ est: Honesta sunt laudanda. hæc adeo euidens est, vt qui contradicat, prorsus insanus existimetur. Hæc tria cum adsunt materiam demonstrationis habes: quā sic formare debes. Omnia honesta sunt laudanda, iusticia est honesta. Ergo iusticia est laudanda. Et tot possunt fieri ex hac vna dignitate demonstrationes, quot sunt partes subiectiuæ, vt vocant, subiecti axiomatis. Deinde cum scitur, quæ nam oporteat præcognoscere ante demonstrationē, sciendū & hoc est, quibus modis oporteat ea præcognoscere, cum sint ἐπιστημονικαὶ quæstiones quatuor, quod sit, quid sit, quale sit, & propter quid sit. In dato ergo, id est subiecto problematis, oportet præcognoscere et quod sit, et quid sit. in quæsito quid sit solum. in dignitatibus, an sint, seu quod sint, idq; quia sunt propositiones.

His cognitis discrimina dignitatum tenendæ sunt, nimirum quod aliæ omnibus scientijs, aliæ quibusdā: aliæ vni tantum scientiæ subijciantur. In omni scientia locū habet hæc dignitas: In singulis affirmatio aut negatio est vera. Hæc vero: Eidem æqualia inuicē sunt æqualia, pluribus famulatur

mulatur ſcientijs, nimirum Muſicæ, Geometriæ & Arithmeticæ. Porro hæc: Honeſta ſunt facienda, in ſola morali Philoſophia locum habet.

Præterea genera Demonſtrationum cognoſcenda ſunt, & Methodus ſingulorum. Genera autem ſunt varia, ſed nos cum Philopono in hunc modum diuidamus: Alia Demonſtratio eſt directa, Alia ducens ad impoſſibile. Directa alia κατὰ σύνθεσιν, alia κατὰ ἀνάλυσιν inſtituitur. Illa ſola quæ inſtituitur κατὰ σύνθεσιν, διότι, id eſt propter quid, reliquæ omnes cuiuſcunq; fuerint generis demonſtrationis ὅτι, id eſt quod eſt, vel quia eſt, appellantur. Præter has formas eſt quædam demonſtratio, quæ σημειώδης dicitur, videlicet cum à neceſſarijs ſignis aliquid concluditur. Nunc de his omnibus, eo quem propoſui ordine, dicamus Directa itaq; demonſtratio κατὰ σύνθεσιν eſt, quæ à quibuſdam confeſſis principijs paulatim alias atq; alias concluſiones extruit, quod ſubiectis exemplis oſtendere conabor.

PHYSICVM EXemplum.

Quicquid habet vim ſpecies rerum ſenſibilium apprehendentem, ſentit. Omne animal habet vim ſpecies rerum ſenſibilium apprehendendi. Ergo omne animal ſentit. Hæc demonſtratio in Syntheſi huius generis potiſſima eſt.

est. Medium enim definitio est subiecti, simul sumta cum definitione passionis. Nam ita τὸ ζητούμενον appellatur. Unde in maiori propositione passio prædicatur de definitione subiecti. in qua definitione exprimuntur principia ipsius passionis. Subiectum enim non solum comparatur ad propriam passionem ratione causæ materialis (id est ratione materiæ in qua hæret passio) verumetiam ratione causæ efficientis. Definitio ergo subiecti simul sumta cum definitione passionis, exprimit causam efficientem ipsius passionis immediatam & necessariam. Si enim quæris Quid sit animal, recte respondetur, quod habet vim species rerum sensibilium apprehendendi. Si rursus sentire quid sit interroges, recte respondetur habere vim species rerum sensibilium apprehendendi. Hæc ergo definitio & propria passio subiecti constituunt maiorem, hoc pacto: Quicquid habet vim species rerum sensibilium apprehendendi sentit. Hic est secundus modus dicendi per se. Deinde primo prædicatur, seu dicitur, hoc est subiectum & prædicatum sunt ita adæquata, vt prædicatum non possit inueniri extra subiectum, nec è conuerso. Deinde Vniuersaliter dicitur, quia prædicatum de subiecto, & econtra potest vniuersaliter prædicari. Minor est: Omne animal habet vim apprehendendi species rerum sensibilium. Primus est modus dicendi per se, dicitur etiam primo & vniuersaliter. Conclusio: Ergo

omne animal ſentit. Eſtq; ſecundus modus dicendi per ſe, Dicitur quoque primo et vniuerſaliter. Hæc demonſtratio prædicatum ineſſe ſubiecto generi monſtrat. Tales debent eſſe omnes potiſſimæ demonſtrationes ſeu primæ in Syntheſi, vbi vides medium terminum continere duo, nempe definitionem ſubiecti concluſionis, & definitionem paſſionis, hoc eſt prædicati. Porrò Syllogiſmi qui extruuntur κατὰ σύνθεσιν à potiſſima, omnes quidem conſtabunt propoſitionibus de modo primo & ſecundo dicendi per ſe, ſed primo & vniuerſaliter non dicuntur, niſi ſola maior proximi ſyllogiſmi poſt potiſſimam. Cæterum concluſio potiſſimæ demonſtrationis approbata & demonſtrata fit ἀξίωμα ſequentis ſyllogiſmi, atque ita de reliquis ſequentibus ordine iudicandum eſt. Extruamus itaque ex concluſione proximi ſyllogiſmi hoc pacto. Omne animal ſentit. Secundus modus dicendi per ſe, & dicitur primo & vniuerſaliter. Dicitur primo, quia non eſt alia cauſa vt prædicatum inſit ſubiecto. Vniuerſaliter, quia prædicatum & ſubiectum commeant. vt omne animal ſentit, & omne quod ſentit eſt animal. Secundus modus dicendi per ſe, dicitur primo & vniuerſaliter. Quicquid ratiocinatur eſt animal. Hic minor virtute eſt in maiore, vnde ſequitur concluſio, Quicquid ratiocinatur ſentit. Hæc concluſio ſumatur rurſus vt axioma, & extruatur hæc demonſtratio, Quicquid rationale eſt ſentit

(eſt

(eſt ſecundus modus dicendi per ſe, & eſt proprium ſecundo modo) Omnis homo rationalis eſt. Ergo omnis homo ſentit. Si omnis homo. Ergo vir et mulier, adeoq; omnia indiuidua ſpeciei, de qua prædicatum monſtratum eſt in proximo ſyllogiſmo. Deinde rurſus ab altero genere Animal extrue hoc pacto. Omne animal ſentit. Omne brutũ eſt animal. Ergo omne brutum ſentit. Hic etiam omnia quæ ſub bruto continentur genera (id eſt ſpecies) eorumq; indiuidua concluduntur ac demonſtrantur, Atq; tot poſſunt fieri extructiones, quot ſunt genera, ſpecies et indiuidua eorum, quæ vim ſentiendi habent. Hæ omnes demonſtrationes ſunt ſecundariæ, & omnes concluduntur vi & efficacia dignitatis, ſeu axiomatis primi ſyllogiſmi: cuius præmiſſæ fuerũt immediatæ cauſæ concluſionis. ſed in reliquis inde extructis præmiſſæ fuerunt mediatæ cauſæ concluſionis, vnde primus ſyllogiſmus tantum διότι ἐστί, id eſt cur ſit, reliqui omnes ὅτι ἐστί, id quod ſit, concludunt. Hic obiter interſeramus, quæ ſit mediata, quæq; immediata propoſitio. MEDIATA quidem propoſitio eſt illa, in qua prædicatum ineſt ſubiecto propter aliquid, cui tale prædicatũ per eius genus conuenit. Sicut riſibile Socrati, quod prius conuenit homini. IMMEDIATA vero propoſitio eſt illa, in qua prædicatum non propter aliud ineſt ſubiecto. Sicut riſibile conuenit definitioni hominis, Vt omne animal mortale, rationale, eſt riſibile. Ho-

mo est animal, mortale, rationale, Est ergo risibilis. Deinde demonstrationes potissimæ etiam formantur à singulis generibus, in quibus propriæ passiones afferuntur, seu prædicantur, vt Omne animal rationale est risibile (hic propria passio prædicatur de definitione hominis) omnis homo est animal rationale. Ergo omnis homo est risibilis. Hæc est διότι demonstratio, ex cuius conclusione extrue κατὰ σύνθεσιν, per mediatas caussas alios syllogismos, & conclude propriam passionem speciei, de singulis indiuiduis præpositæ speciei. Socrates est homo, Ergo Socrates est risibilis, &c.

ETHICVM EXEMPLVM.

Axiomata Ethica primaria sunt hæc. Quicquid conuenit naturæ expetendum est. Bonum expetendum est. Per se bonum magis expetendum est. Summum per se bonum summopere expetendum est. His quatuor axiomatis alia quatuor ex aduerso respondent. Quicquid nocet naturæ, fugiendum est. Malum fugiendum est. Per se malum magis fugiendum est. Maximum per se malum summopere fugiendum est. Hæc sunt axiomata in doctrina de moribus, ex quibus omnia sua præcepta in Ethicis extruxit Aristoteles,

teles, Nos breuiter, vt ostendatur vsus huius demonstrationis, pauca extruamus.

Quicquid conuenit naturæ expetendum est. omnia honesta, vtilia & suauia non pugnantia cum honestate, conueniunt naturæ. Ergo hæc omnia expetenda sunt. Nunc vero quia propositiones conclusionum approbatæ & demonstratæ, fiunt axiomata in progressione Synthetica, ex prima conclusione faciamus tria axiomata. Honesta expetenda sunt. Vtilia expetenda sunt. Suauia non pugnantia cum honestate expetenda sunt. Ex primo axiomate sic extrue. Honesta omnia expetenda sunt. Virtus omnis est honesta. Ergo omnis virtus expetenda est. Hæc conclusio fit rursus axioma hoc modo: Omnis virtus est expetenda: Iusticia, temperantia, fortitudo, prudentia, sunt virtutes. Ergo Iusticia, temperantia, fortitudo, prudentia sunt expetendæ. Ex hac conclusione quatuor axiomata licet facere, ex quibus rursus omnia, quæ in ijs virtute includuntur, demonstrari possunt. Eodem modo ex secundo & tertio axiomate (de vtilibus & suauibus) demonstrandæ sunt omnes partes vtilis & suauis. Sed quia res ex ijs quæ dicta sunt intelligi potest, ad Geometrica exempla properemus.

GEOMETRICVM EXemplum.

Omnis triangulus habet tres angulos, duobus rectis pares. Omnis Isopleuros, Isosceles, Scalenos, Orthogonios, Amphligonios, Oxygonios est triangulus. Ergo omnis Isopleuros & cæteri, habent tres angulos duobus rectis pares. Hinc tot licet axiomata constituere, quot sunt species trianguli subsumtæ, Sed satis est breuiter viam monstrasse. Ex his Ethicis, Physicis & Geometricis exemplis puto satis intelligi, quomodo demonstratio fiat in progressione Syntheseos, Quare nunc accedamus ad alteram speciem directæ demonstrationis, quam dixi vocari κατ' ἀνάλυσιν.

DE DEMONSTRATIONE DIRECTA κατ' ἀνάλυσιν.

Directa demonstratio κατ' ἀνάλυσιν est, quemadmodum supra definiuimus, ascensus à fine ad principium. Conclusio enim est quæ fuerat finis in Synthesi. Hanc demonstrationem vnico exemplo declarabo. In Ethicis exemplis quæ proposuimus, hæc fuit vltima conclusio. Omnis iusticia, temperantia, fortitudo, prudentia, est expetenda. Hæc conclusio maior erit prima in Analysi, & in tertia figura procedendum est hoc pacto. Omnis iusticia est expetenda. omnis iusticia est virtus. Ergo virtus est expetenda.

Hæc conclusio rursus retexenda est hoc pacto. Omnis virtus est expetenda. Omnis virtus est honesta. Ergo honesta sunt expetenda. Eodem modo de alijs partibus in vltima conclusione Syntheseos agendum est. Verum quod proponitur, quia in concessas & immotas propositiones, hoc est axiomata, resoluitur, & monet Philoponus conclusionem in demonstratiuo facilius ἀναλύεσθαι quam in Dialectio syllogismo, idq; propter certitudinem medij in demonstratione. Deinde & conclusio particularis actu, virtute vniuersalis est, quia materia est necessaria. Atque ita Analysis est ex posterioribus recursus ad principia et causas, quemadmodum supra in Analysi Vniuersali admonui.

DE DEMONSTRATIONE DVCENTE AD IMPOSSIBILE.

HVius Demonstrationis duplex est ratio quantum ad formam concludendi attinet. Nam alias syllogismo Categorico, alias hypothetico concludit. De vtroq; hæc regula, seu axioma omnibus scientijs accommodatum tenendum est. Si quid falsi, aut absurdi, aut pugnantis cũ principijs sequitur ad aliud in bona consequentia, illud quoq; ex quo sequitur, absurdũ & falsum erit. Vt si quis diceret, lineã esse corpus, hoc ita refutares,

Si ostenderes corpus habere aliquam proprietatem, vel differentiam, vel accidens inseparabile, quod non habet linea. Cum impossibile sit definitionem generis non prædicari de singulis generis speciebus. Hoc ergo pacto destruenda propositio aduersarij, per syllogismum in secunda figura: Omne corpus habet tres dimensiones: Linea non habet tres dimensiones: Ergo linea non est corpus. Tametsi autem in prima figura possunt fieri conclusiones negatiuæ, tamen demonstrationes negatiuæ non fiunt nisi in secunda figura: Cuius hæc ratio est. In negatiuis oportet medium esse causam cur prædicatum conclusionis non insit subiecto, de quo negabitur medius terminus. Quare fieri non potest vt minor propositio sit affirmatiua, id quod fieri necesse est in prima figura. Relinquitur ergo negatiuas demonstrationes in secunda figura ordinandas esse. Per hypotheticum syllogismum dupliciter instituitur, nimirum à destructo consequente, & à primo ad vltimum. A destructo consequente hoc pacto: Si linea est corpus, linea habet tres dimensiones. Sed linea non habet tres dimensiones. Ergo linea non est corpus. A primo ad vltimum hoc modo: Si honesta non sunt expetenda, virtus non est expetenda. Si virtus non est expetenda, iusticia non est expetenda. Si iusticia non est expetenda, tueri natos, educare & colere societatem non sunt expetenda. Si hæc non sunt expetenda, horribilis

bilis confusio & totius naturæ fœda & immanis destructio est expetenda. Sed hoc est falsum, ergo illud etiam primum ex quo hoc sequitur falsum est, videlicet quod honesta non sunt expetenda. At si hoc falsum est, eius repugnans erit verum, nempe quod honesta sint expetenda. Atque hac via vtimur potissimum, quando aduersarij principia vocant in quæstionem.

DE DEMONSTRATIONE CONIECTVRALI, QVAM Græci σημειώδη appellant.

Potissima demonstratio & propria, reuera ex primis & immediatis & notioribus propositionibus probare debet posteriora & minus manifesta. Sed quoniam quod naturæ notum est, non semper nobis est notum, fit vt sæpius de prioribus per posteriora fidem faciamus, propterea quod posteriora interdum nobis sunt notiora. Cum itaq; hoc fit, demonstratio dicitur τεκμηριώδης καὶ ἄλυτος, quæ quidem non est adeo demonstrationis titulo digna atque ea, quæ ex prioribus fidem facit posteriorum, nimirum cum illa priora naturæ sunt & nobis æque cognita.

Hic tempestiue videtur adijciendum discrimen eorum quæ cognoscuntur quæ sane in triplici sunt discrimine. Alia enim nobis notiora sunt, alia

alia naturæ, alia nobis & naturæ ex æquo nota ſunt. Eorum quæ nobis notiora ſunt, duplex eſt diſcrimen. Nam quædam αἰσθητὰ, nimirum quæ ſenſibus exterioribus, idq; vel aliquibus, vel omnibus percipiuntur, vt hic color, hoc frigidum &c. Quædam συμπαρατηρήσει cognoſcuntur, hoc eſt crebra obſeruatione eorum, quæ ſæpius ſenſibus offeruntur, quorum obſeruatio diutina gignit vniuerſalem propoſitionem collectam vniuerſali experientia, mentiſque munere conſeruata, quæ poſtea, quia eſt ἀνένστατος, in ſcientijs fit axioma, vnde poſtea extruuntur innumeræ demonſtrationes. Huius generis pleraque axiomata ſunt in iјs ſcientijs, quæ circa ſenſus verſantur. qualis eſt Aſtrologia, Geometria, Arithmetica &c. Hinc eſt quod Ariſtoteles, & poſt hunc Philoponus impoſſibile eſſe dicũt, vniuerſalia ſpeculari niſi per inductionem, quod ſane de eo tantum genere intelligendum eſt, de quo nunc dixi. Ea autem quæ naturæ notiora ſunt, vocantur vniuerſalia. Sed triplex eſt conſideratio vniuerſalis iuxta triplicem naturæ ordinem. Aut enim ſpectatur ordo τῆς συνθέσεως, ſecundum quem res à ſuis principijs extruuntur. Quo ſane ordine magis confuſa & magis vniuerſalia priora ſunt & notiora naturæ, quàm quæ inde extruuntur. ſic punctus in Geometria prior eſt linea: linea, figura. Aut ſpectatur ordo τῆς διαιρέσεως, videlicet cum rerum formæ à principijs

ortæ discernuntur paulatim, donec ad formas fuerit deuentum. Aut spectatur ordo τῆς ἀναλύσεως, nimirum cum finis rei proponitur, & natura quasi deliberat & ordinat ea quæ ad finem spectant. Porrò quæ nobis & naturæ æque sunt nota, sunt ea vniuersalia existimanda, quæ nobis magis sunt nota, quam eorum particularia: Cuius generis sunt omnia, quæ vi mentis sine sensuum ministerio agnoscimus: quæ quia sensus latent, Græcis κεκρυμμένα nominantur. quia sine inductione sciuntur, προλήψεις. quia in mente quasi innatæ, κοιναὶ ἔννοιαι vocantur: ex quibus demonstrationes extruuntur omnium firmissimæ & nobilissimæ. His ita explicatis reuertamur eò, vnde digressi sumus.

Demonstratio itaque τεκμηριώδης, quæ & ἄλυτος dicitur, fit per ea, quæ συμπαρεγερατηρήσει nobis sunt nota, naturæ resolutionis quidem ordine priora, compositionis vero posteriora. vt si quæratur: an Sphæricæ figuræ sit luna. Hic nihil ex prioribus demonstrare possumus, sed ex posterioribus omnino concludendum erit, nimirum ex illuminationibus lunæ, quæ insequuntur formam eius & dependent ab ipsa. Vnde probamus lunam esse sphæricam: quod est primum et causa illuminationum. Quoniam autem videmus ipsam bis singulis mensibus falcatam fieri, bis in duo sectam, bis vtrinq; gibbosam,

ſemel ſuum plenilunium habere, concludimus ex hoc ſphæricam eſſe. Si enim eſſet diſcus, totus eius diſcus collectim aut illuminaretur, aut non, ſole ipſi occurrente. Quoniam autem ſphærica eſt, ſolque ipſa eſt altior, accidit ſemper partem ipſius ad ſolem conuerſam illuminari, & hoc paulatim fieri quouſque ad diametrum ipſi oppoſitam, totum hemiſphærium ipſum aſpiciens illuminetur. Eſt igitur illuminatio indicium formæ ipſius. nec quia ſic illuminetur ſphærica eſt, ſed quia ſphærica, illuminationes ratiocinamur ex cauſa effectum. Verum quoniam natura primum, & cauſa, figura ipſa ſphærica, eſt nobis incerta, manifeſtæ autem illuminationes, vtimur poſteriore vt fidem faciamus de priore. Et quoniam inſolubilia ſunt talia ſigna, & coniecturæ, probationes ex ipſis factas demonſtrationes vocamus, per ſecundam vt addit Philoponus, menſuram demonſtrationis. Atque hæc de demonſtrandi Methodo dicta ſufficiant.

DE DISPVTATIONE.

TAmetſi vera diſputandi Methodus ex iis præceptis, quæ in Methodo probabili & demonſtratiua præſcripſimus, commode peti poteſt: tamen hoc loco quædam quaſi concertantium ſtratagemata adiicere placet: quibus admoneantur

neantur adolescentes, quomodo cogitationes suas instituant, & intra quas metas cohibere eas debeant, ne vt rixosæ mulierculæ sine delectu & iudicio verbis contendant. quod cum sit, neque ipsi quicquam præter garrulitatem inanem reportant, neque de quæstionibus in certamen productis iudicium ferre possunt. quo fit vt sapere quidem sibi videantur, sed rerum dulcissima veritate amissa, errorum tenebris & ignorantia inuoluantur. Nec enim disputatio garrulitas muliebris esse debet, sed amica quædam & placida confabulatio, Nam Dialecticorum est, vt inquit Plato, πραότερον διαλέγεσθαι. *cuius finis vltimus esse debet veritatis inquisitio, cui inuentæ & quasi è tenebris emersæ acquiescere debemus. Quod autem interdum disputatur de rebus, de quibus nulla est dissensio, hoc fit ideo, vt adolescentes assuefiant ad defendendam & non oppugnandam veritatem. Et vt tyrones militares in vmbra se primum præparant, vt postea cum res agenda est serio, sint instructiores & magis ad ictus tum inferendos, tum euitandos idonei: Ita studiosi in scholis disputationibus crebris se exercere debent, vt postea veritatis fortiores patroni esse possint. Sed omisso longiori exordio rem ipsam aggrediamur.*

IN disputatione duo esse debent, apparatus & conflictus seu concertatio. Apparatus consistit in noticia locorum, in habitudine eorundem

ad se inuicem, & in accommodatione ipsorum ad propositam quæstionem: quæ tria tametsi in Dialecticis traduntur, tamen de duobus postremis hic pauca dicam, ac primum de habitudine locorum ad se inuicem: quæ habitudo ex his regulis intelligi potest.

PRIMA REGVLA.

Cuicunq; definitio attribuitur, eidem omnia superiora directo ordine posita genera, eorumque differentiæ genericæ tribuuntur.

SECVNDA REGVLA.

Cuicunq; genus attribuitur, eidem omnia superiora directo ordine posita genera eorumque differentiæ genericæ attribuuntur.

TERTIA REGVLA.

Cuicunq; species attribuitur, eidem genus, differentia, definitio, proprium, inseparabile accidens attribui potest.

QVARTA REGVLA.

Cui proprium attribuitur, eidem species cum omnibus superioribus, differentia & definitio attribuitur.

QVINTA REGVLA.

Cuicunq; differentia attribuitur, eidem genus & species attribui debent.

SEXTA REGVLA.

Causa effectum, & effectus causam sequitur.

SEPTIMA REGVLA.

Partes sequuntur totum, qui enim totum admittit, partes negare non potest.

OCTAVA REGVLA.

Modo posito, ponitur & nomen principale, & contra.

NONA REGVLA.

Cuicunq; tribuuntur accidentia & actus, illud existere necesse est, vt subiectum.

DECIMA REGVLA.

Relatiuorum mutua est positio & illatio. Hæ decem regulæ continent apparatum, seu habitudinem locorum inter se, quatenus fere affirmandis quæstionibus adhiberi possunt.

Porro si quæstio neganda est, dispiciendum erit, quid aliquo affirmato vel negato negari poterit, qua de re sequentes regulæ obseruandæ sunt.

PRIMA.

Cui definitio adimitur, eidem species adimitur necessario.

SECVNDA.

Cui differentiæ & proprium adimuntur, de eodem & species denegabitur.

TERTIA.

Negatis genere, differentia, definitione,

proprio & inseparabili accidente, negabitur & species.

QVARTA.

Negatis partibus, negabitur & totum.

QVINTA.

Negata causa, negantur effecta, & econtra.

SEXTA.

Negatis subiectis, denegabuntur adiacentia, actus, & accidentia omnia.

SEPTIMA.

Negato nomine principali, denegabitur & modus & econtra.

OCTAVA.

Sublato relatiuo, negabitur correlatiuum.

NONA.

Cui attribuitur genus certum, de eodem diuersa genera omnia, eorumque differentiæ & species negabuntur.

DECIMA.

Cui species tribuitur certa, reliquæ negabuntur.

VNDECIMA.

Cui tribuitur vnum contrarium, ab eodem reliquum remouetur. Vbi hanc locorum inter se ha-

se habitudinem, de qua plura in Dialecticis præcipiuntur, studiosus intellexerit, facilis erit postea accommodatio, quæ omnino instituenda est quemadmodum præscriptum est in probabili Methodo, & pro diuersa habitudine loci ad partes quæstionis propositæ, erunt aliæ atque aliæ formæ adhibendæ.

In conflictu seu concertatione cauendum est ne ictus inferentes, icti proprijs telis à bello discedamus, nullo prius virtutis facto edito, quod ne fiat arma nostra debent nobis esse cognita, hoc est, argumenta debent secundum normas Dialecticas deduci in disputationem, quorum vis & connexio in promtu debent esse, si ea aduersarius vel contemserit, vel improbauerit. Si contemserit, hoc est, si connexionem reiecerit, in promtu ex locis & regulis consequentiarum ratio nexus esse debet. Si improbauerit quid, nouo quasi telo defendendum est, donec vel iuste victus fueris, vel victor ipse euaseris. Nec est vnica via adoriendi aduersarium. Vt enim in bellis alias aperto marte, alias ex insidijs hostem aggredimur: ita in disputatione alias aperto argumento aduersarij propositionem impugnabimus, alias ex insidijs. Hinc duplicem argumentandi ductum fecerunt, Vnum directum, Alterum obliquum. De vtroque in hunc modum scribit Rodolphus. Ductus est, inquit, duplex cuique rei probandæ, vnus directus, vt cum

proposito aliquo velut recta via colligemus id quod probare volumus. Ut qui probare velit, sapientem esse diuitem, dicat, Sapiens nullius indiget, Ergo sapiens est diues. Alius est ductus obliquus, vt cum accepto contradicente eius, quod probare volumus, colligimus ex eo aliquid quod falsum sit, vnde regreßi docemus falsum id esse ex quo collectum est, idq; quia contradicens est eius, quod intendimus probare, Consequens est istud ipsum esse verum. Ut sapiens est diues, Si enim non sit diues sapiens, cupit aliquid: sed falsum est hoc, falsum igitur ex quo colligitur id, hoc est, non esse diuitem sapientem. Verum igitur erit, quod intendimus, sapientem esse diuitem.

Non sunt autem hæ argumentandi formæ, per omnes enim formas, quas exposuimus duci possunt, sed viæ quædam colligendæ intentionis. Ex his Rodolphi verbis facile & vnde materia vtriusque ductus sit petenda, & quis sit vtriusque vsus, ostenditur.

DE COLLOCATIONE DIALECTICA.

QVæ hactenus dicta sunt, pertinent ad eam disputationem, in qua certa themata proponuntur defendenda. Verum vbi cum disputantium neuter, quod probare, vel improbare velit alter,

alter, nouit, alia ratio est, nouaq; collocatio adhibenda. Et quia de hac collocatione multa præcepta apud Dialecticos extant, quæ plurimum faciunt ad ordinem in Platone intelligendum, breuiter pauca præcepta colligam, idque potissimum ex octauo libro Topicorum Aristotelis, Sine enim horum Aristotelicorum præceptorum intellectu, multæ ab imperitis affinguntur Platoni absurdæ opiniones. Neque enim fieri potest, vt Methodus collocationis Platonicæ intelligatur ab ijs, qui hanc doctrinam ignorant. Quoniam itaque Dialogi constant interrogatione & responsione differentium, oportet vtrunque, hoc est, interrogantem & respondentem certa & peculiaria tenere præcepta. Interrogantis itaque hæc sint præcepta. Primum oportet illum in promtu habere necessarias propositiones, hoc est, ex quibus id probari potest, quod intenditur, vt sunt maiores & minores propositiones in Syllogismis, præter necessarias propositiones. Quatuor propositionum generibus instructus esse debet disputator. Aliæ enim Inductionis gratia, vt detur Vniuersale. Aliæ amplificationis gratia, vt auctior sit oratio. Aliæ occultationis causa, vt occultetur conclusio. Aliæ perspicuitatis causa, vt nulla excusatio haberi possit, adhibebuntur. De necessariarum propositionum collocatione hoc sciendum est, quod vel directe collocandæ sunt, vel per occultationem. Directe, cum statim

id quod volumus concludimus. Vt si quæratur, an felices sint Tyranni, hoc pacto interroges: Consistit ne felicitas in virtute? an Tyranni virtutem habent? Si aduersarius hic primam admittit negata altera, inferenda est conclusio. Ergo Tyranni non sunt felices. Et monet Aristoteles hoc loco, vt recto ductu potius quàm obliquo vtamur, nisi cum secus obtineri, quod volumus non potest. Deinde etiam monet, quod necessariæ propositiones debeant habere aliquid solidum & vere ἔνδοξον & probabile. Monet tertio, vt conclusionem non interrogemus, sed vt ex concessis conclusionem inferamus. Nam conclusio confecta, est veluti parta victoria. Hanc enim si quis interroget, concedit victoriam partam aduersario. Quarto loco monet, vt ex interrogatione non Dialectica, faciamus Dialecticam, quam possumus affirmare, vel negare. Vt, quis est homo, non est Dialectica interrogatio, sed sic, estne homo animal rationale, an non? Cum enim hoc pacto interroges aduersarium, idem ne an diuersum sentiat, facile apparet. Quinto monet, vt de eadem re non sæpius interrogemus.

De directa collocatione propositionum necessariarum hactenus, nunc de occultatione dicendum est. Non enim statim proponendæ sunt necessariæ ex quibus conclusio efficitur, sed occultandæ. Occultantur autem his fere modis. Primo, Si sursum ascendatur, hoc est, si superiora genera,

vel superiores theses sumantur, non ex quibus statim conficitur, quod intēditur. Vt si quæstio esset, An pietas principi sit necessaria. non interrogemus primum de iusticia, sed de habitu bono. Deinde de virtute, Tertio de iusticia. Secundo si conclusiones sileantur, quibus necessariæ propositiones confirmantur. Plato ostensurus bonum cupere, virtutem non esse, propositiones has habuit. Alteram, boni cupiditatem esse omnium: Alteram, virtutem non solum non omnium, sed paucißimorum. Vnde conclusio sequebatur, Itaque boni cupiditatem & virtutem idem non esse. Harum altera propositio syllogismo colligatur: Nonne quisquis malus est, virtutem non habet? Nonne permulti sunt mali? Hic omittatur conclusio, quæ est virtutem permultos non habere, & construatur secunda propositio necessaria prius hoc pacto: nonne quisquis malum cupit, bonum non cupit? Et quisquis bonum cupit, is malum non cupit? Malum autem nemo cupit. Hic etiam conclusio transiliatur quæ est, Bonum omnes cupere. Et quia iam habemus duorum syllogismorum concessas propositiones, habemus etiam eorundem conclusiones, quas cumulate inferre licet vbi oportunum videtur. Breuiter hoc Aristotelis præceptum monet, vt concessis contenti non auide quod sequitur occupemus, propterea quod hoc iam ipso aduersario inuito haberi potest. Huius præcepti ex-

emplis plenus est Socrates apud Platonem. TERTIO, si ordo propositionum permutetur, & commiſceantur propoſitiones diuerſorum ſyllogiſmorum, hoc modo. Nonne is, qui malus eſt virtutem non habet? Nonne quiſquis malum cupit, bonum non cupit? Nonne mali permulti ſunt? Nonne malum nemo cupit? QVARTO, Si coniugata interrogando commutentur. Vt ſi probandum eſſet, bonum virum eſſe dignum laude, interroges: Ecquid bene agere eſſet laudandum? Sed huius loci enſtaſin, vide in loco coniugatorum apud Philippum. QVINTO, Si ita interrogemus, vt aduerſarius non intelligat ex forma quæſtionis quid cupiamus nobis concedi. Si enim interroges hoc modo, Nonne multi mali ſunt? intelligit aduerſarius te cupere affirmatiuam partem concedi. At ſi ſic, Multi ne an pauci mali ſunt? Ex quæſtionis forma intelligi non poteſt, quid cupias concedi. SEXTO, Si per ſimilitudinem interrogetur, in qua latet vniuerſale, vt poteſt ne ignis clare & ſine fumo principio ſtatim efflagrare? Ergo ſine inuidia gloria ſubito eniteſcere non poteſt. SEPTIMO. Si ipſe interrogator interdum ſibi ipſi reſiſtat. Suſpecti enim non habentur illi, qui æqui in diſputando videntur. OCTAVO. Si ea proponantur quæ vſitata & trita ſunt, in omniumq; ore verſantur. Autoritas enim in omnib. cauſis & ſolet & debet valere plurimum. NONO. Si neceſſariæ

riæ propositiones, veluti non necessariæ interrogentur, dißimuleturq; id quod intenditur, qui mos Socrati est familiaris. DECIMO. Si similia per comparationem proponantur. Nonne quemadmodum multi indocti, multi pauperes, ita multi sunt mali? Quia semper pauciora sunt hominibus bona, mala plurima. VNDECIMO. Si declinetur in latus & sursum & vndecunque. Hac enim ratione facilius obtinetur conclusio, vt si volo sumere posterius, interrogo id quod est prius & econtra, vt si concedat Papista Christum morte sua satisfecisse pro peccato generis humani. Confiteatur necesse est, homines iusticia operum gloriari non posse. DVODECIMO. Si ea, in quibus est totius contentionis præsidium positum, non in principio statim proponantur. Ut enim firmißima præsidia non sunt statuenda in prima acie, sed rectius in nouißima collocantur: Ita in disputando diu occultanda sunt, in quibus plus viriū est. DECIMOTERTIO & VLTIMO, Si producantur & amplificentur, interijciantur q; in argumentatione, ea omnia, quæ nihil ad rem pertinere videbantur. Hac enim ratione celat̄ et obscurat̄ res Socratico more.

Hactenus de ijs propositionibus, quæ occultandæ conclusionis gratia adhiberi solent, dictum est. Nunc de ijs propositionibus dicatur breuißime, quæ ad amplificandum seu κόσμον orationis pertinent. Certum est duas esse tantum pro-

positiones

positiones necessarias vnius conclusionis, quæ vi & pondere valeant. Cæteras quæcunque præter has accumulantur, multitudine & turba valere. Cum igitur loco vniuersalis propositionis ponimus inductionem, & loco definitionis diuisionem, certum est nos orationem vberiorem & ornatiorem reddere. Estq; hoc Aristotelis præceptum, quod πρὸς ὄγκον *&* κόσμον *orationis hæc duo potissimum faciunt,* ἐπαγωγὴ καὶ διαίρεσις, *perspicuitatis gratia, seu vt Aristoteles inquit,* εἰς σαφήνειαν *adhibebuntur exempla & parabolæ, quæ ad illustrandum & explanandum non solum à Dialecticis, verumetiam ab Oratoribus et Poëtis sæpissime adhibentur. Postremum assumentur propositiones præter necessarias inductionis gratia, nimirum vt vniuersale inductione exprimatur, sed inductione potius apud imperitos, syllogismo vero apud doctos & Dialecticos vtendum est.*

Hactenus methodus tradita est, qua instituatur disputator contra aduersarium: nunc pauca de re præcepta dentur. Ut quemadmodum aduersus astum respondentis munitus est consilijs disputator, ita sit ratione, cum se argumenti natura peruicax obiecerit. Est autem vnamquamque rem probandi principium duplex, Alterum propositæ rei definitio, Alterum axioma, quorum illo clare res in sua natura & ambitu cernitur, hoc euidenter quare in ea aliquid sit, intelligitur,

reliqui

reliqui loci his duobus famulantur. Sit quæstio, An quisquam mala, vt mala cupiat. Hic primum quæratur axioma, videlicet nemo vult esse infelix. Hoc axioma fit maior, additur minor, Omnis qui cupit mala, vult esse infelix. Hinc sequitur conclusio, neminem mala, vt mala cupere. Hic si quisquam axioma negauerit, nemo cupit esse infelix, nihil habemus, quo iuuemus nos, quam definitiones rerum duarum, scilicet verbi cupiendi & infelicitatis, quibus ostensis nisi potest effici, vt recipiatur hæc sententia, vix potest quicquam afferri ad probandum illustrius.

POSTQVAM nunc interrogator instructus est præceptis aduersus aduersarium, & rem in disputationem adductam, Sequitur vt respondenti quoque præcepta ex eodem Aristotele præscribamus, sed id faciemus breuissime: Officium itaque respondentis in his consistit: Primum diligenter attendat, ex quibus aduersarius probare nititur conclusionem falsam, caueatque ne causas falsæ conclusionis, quæ sunt propositiones in syllogismo concedat, sed eas si omnino falsæ sint reijciat, si ex parte, distinguat. Deinde ipsam collectionem totam animo intueatur, quæ, si Dialectica non fuerit, reijcienda est, & monstrandum vitium. Tertio contra aduersarij personam subinde orationem flectat. Quarto contemnat ea, quæ ab aduersario tanquam necessaria adducta sunt.

Sunt

Sunt & exercitationis præcepta communia opponenti & reſpondenti præſcripta ab Ariſtotele, quibus inſtructi eſſe debent diſputaturi, quorum præcipua recitabo. Primum aſſueſcendum eſt argumentationes conuertere. Sic enim maior nobis ad diſputandum argumentorum ſuppetet copia, & in paucis multas argumentationes tenebimus. Eſt autem conuertere, conuerſa concluſione in contradictoriam vel contrariam, & aſſumta altera propoſitionum alteram euertere, quod quomodo fiat paucis explicandum eſt. Si igitur ſyllogiſmus conuertendus fuerit primæ figuræ, maior per tertiam euertetur, minor per ſecundam, Vt, ſi quia omne honeſtum laudandum eſt, & omnis virtus honeſta, Ideo omnis virtus laudanda. Siquidem virtus quædam laudanda non ſit, ſiue omnis virtus eſt honeſta, quoddam honeſtum non erit laudandum, ſiue Omne honeſtum eſt laudandum, quædam virtus non erit honeſta. Sed & omne honeſtum laudandum eſt, & omnis virtus honeſta (ſunt enim horum contradictoriæ manifeſtè falſæ) Stat igitur firma concluſio, omnem virtutem laudandam eſſe. Si ſyllogiſmus conuertendus fuerit ſecundæ figuræ, minor euertetur per primam, & maior per tertiam figuram. Vt ſi quia nullum turpe amandum, & omnis voluptas eſt amanda, ideo nulla voluptas turpis eſt. Siquidem quædam voluptas turpis, ſiue omnis voluptas

ptas eſt amanda, quoddam turpe erit amandum. Siue nullum turpe amandum, quædam voluptas non erit amanda, Sed turpe nullum amandum eſt, voluptas autem omnis amanda non eſt, (vtraque ex collatione contradictoria manifeſta eſt) Ergo recte conuerſa concluſio eſt, quandam voluptatem turpem eſſe. Si conuertendus ſyllogiſmus fuerit tertiæ figuræ, maior in prima, & minor in ſecunda euertetur. Vt ſi quia Cryſtallus omnis lucidus eſt. Cryſtallus omnis lapis eſt, Ideo quidam lapis lucidus eſt. Nam ſi lapis nullus eſt lucidus, ſiue Cryſtallus omnis lapis eſt, quidam Cryſtallus lucidus non erit. Siue Cryſtallus non lucidus eſt, Cryſtallus quidam lapis non erit. Sed & omnis Cryſtallus lucidus eſt, & omnis Cryſtallus lapis (vtraque ex contradictorij falſitate conuincitur vera eſſe) Stat igitur firma concluſio, quendam lapidem lucidum eſſe. Itaque in eadem re ſex argumenta licet conficere. Tria cum ſumitur concluſionis contradictorium, & rurſus tria, cum ſumitur concluſionis contrarium. Nec vlla res potentior eſt ad eliciendum verum, quam ſubito & tanquam vno circulo poſitas eadem in re collectiones cernere. Quare non immerito Ariſtoteles τὰ ἀντίστροφα inter exercitij præcepta numerauit. Vt autem rudiores melius perſpiciant conuerſionis huius rationem, iam ſimplicius repetam, propoſitis exemplis trium figurarum: iuxta quæ facile erit

le erit

le erit omnes syllogismos conuertere. Nam similis est in omnibus colligendi ratio.

DE PRIMA FIGVRA.

Quæritur, num omnis impietas sit fugienda. Concludatur affirmatiua thesis hoc modo:

Omne peccatum est fugiendum,
Omnis impietas est peccatum, Igitur
Omnis impietas est fugienda.

Hic si maioris & minoris contradictoria inueniuntur falsa, immota erit conclusio ex necessario veris. Per tertiam igitur figuram exploretur maior sumto contradictorio conclusionis, hoc modo:

Quædam impietas non est fugienda,
Omnis impietas est peccatum,
Quoddam igitur peccatum non est fugiendum.

Sed conclusio hæc manifeste falsa est, igitur eius contradictoria erit vera, Omne peccatum esse fugiendum. Per secundam exploretur minor seruata maiori principalis syllogismi, & assumto contradictorio conclusionis hoc modo:

Omne peccatum est fugiendum,
Quædam impietas non est fugienda,
Igitur, quædam impietas non est peccatum.

Conclusio est falsa. Igitur eius contradictorium erit verum, videlicet Omnem impietatē esse

peccatum

peccatum. Hinc iam immota infertur prima conclusio. Nam si & omne peccatum est fugiendum & omnis impietas est peccatum: erit profecto omnis impietas fugienda.

DE SECVNDA FIGVRA.

Quæritur, num monachatus sit cultus Dei, concluditur negatiua thesis hoc modo.

Nullus cultus Dei est hominis inuentum.
Omnis monachatus est hominis inuentum.
Ergo nullus monachatus est cultus Dei.

Hic si maioris & minoris contradictoria inueniuntur falsa, stabit immota conclusio. Exploretur igitur minor per primam figuram, hoc modo.

Nullus cultus Dei est hominis inuentum,
Quidam monachatus est cultus Dei,
Igitur, quidam monachatus non est hominis inuentum.

Sed conclusio est falsa. Nam nullo Dei verbo præcipitur monachatus. Quare eius contradictorium erit verum, videlicet omnem monachatum esse hominis inuentum. Exploretur maior per tertiam.

Omnis monachatus est hominis inuentum,
Quidam monachatus est cultus Dei
Ergo, quidam cultus Dei est hominis inuentum.

Sed conclusio est falsa. Nam scriptum est frustra me colunt docentes doctrinas mandata hominum. Igitur eius contradictorium verum erit, videlicet nullum cultum Dei esse hominis inuentum. Hinc iam immota infertur conclusio prima. Nam si et nullus cultus Dei est hominis inuentum, & omnis monachatus est hominis inuentum, sequitur omnino nullum monachatum esse cultum Dei. Stat igitur firma prima conclusio.

DE TERTIA FIGVRA.

Quæritur, num aliqua voluptas sit licita, concludatur affirmatiua thesis hoc pacto.

Lætari in Deo est licitum,
Lætari in Deo est voluptas,
Igitur aliqua voluptas est licita.

Hic si maioris & minoris contradictoria inueniantur falsa, immota erit conclusio. Exploretur maior per primam figuram hoc modo.

Nulla voluptas est licita,
Lætari in Deo est voluptas,
Ergo lætari in Deo non est licitum.

Sed conclusio hæc manifeste falsa est. Nam eius contradictorium præcipitur verbo Dei. Lætamini in Domino & exultate iusti. Exploretur minor per secundam hoc modo.

Nulla voluptas est licita,

Lætari in Deo eſt licitum,
Ergo lætari in Deo non eſt voluptas.

Sed concluſionis contradictorium eſt falſum, nam ſcriptum eſt. Abundantia læticiarum vultus tuus, iucunditates in dextera tua in perpetuum. Hinc iam immota infertur prima concluſio. Nam ſi & lætari in Deo eſt licitum, & lætari in Deo eſt voluptas: profecto firma ſtat concluſio, quod quædam voluptas ſit licita.

Eodem modo ex contrario concluſionis licet colligere. Vbicunq; autem neceſſariarum principalis ſyllogiſmi προτάσεων veritas ita non oſtenditur, infirma redditur concluſio. Nam ex veris præmiſſis ſequitur vera concluſio.

Cæterum huic conuerſioni affinis eſt ſyllogiſmus, quem Ariſtoteles vocat, τὴν διʼ ἀδυνάτου δεῖξιν, cum videlicet ex contradictorio enunciationis veræ cum altera προτάσεων manifeſte vera, concluſio colligitur aperte falſa, ex cuius falſitate interimitur propoſitionis veræ aſſumtum contradictorium, atq; deinde ponitur & infertur veritas propoſitionis prius negatæ. Verbi gratia pono hanc aſſertionem. Linea non eſt corpus. Sed hanc inficiatur aduerſarius. contra quem ago ſumto contradictorio propoſitionis veræ, cui adiungo in præmiſſis propoſitionem manifeſte veram, ex quo infero concluſionem manifeſte falſam, hoc modo.

Omne corpus habet tres dimenſiones,

Linea est corpus, Igitur
Linea habet tres dimensiones.

Sed conclusio est falsa. Igitur aliqua præmissarum. Non autem maior cuius veritas est manifesta, igitur minor. Si minor falsa est, erit eius contradictorium verum. Nam ea est lex contradictoriarum, quod vna vera, altera sit falsa, & econtra.

Aliud exemplum. Affirmo quandam voluptatem esse laudabilem. Sed hanc negat aduersarius, contra quem in hunc modum κατὰ τὴν τοῦ ἀδυνάτου δεῖξιν ago:

Nulla voluptas est laudabilis,
Gaudere in Domino est voluptas,
Igitur gaudere in Domino non est laudabile.

Sed conclusio est falsa, igitur aliqua præmissarum. Non autem minor, ergo maior. Verum quia impossibile est duas contradictorias simul esse falsas, & hæc est falsa, Nulla voluptas est laudabilis: necesse est hanc veram esse, Quædam voluptas est laudabilis. In hac argumentandi via est quadruplex ratiocinatio, prima est syllogistica, reliquæ tres enthymematicæ. In his colligendi formis valde vtile est exerceri adolescentes propositis varijs materijs. Nam non solum inde promtitudo argumentandi conciliatur, verum etiam facultas quædam paratur, dextre de rebus propositis iudicandi.

SECVN-

SECVNDVM præceptum eſt, ad omnem theſin, hoc eſt ad vtramq; contradictionis partem argumenta ſpectare, vnde fiet & ſimul in quærendo & reſpondendo exercitatiſſimus, Sunt autem problematis cuiuſq; duæ theſes vna affirmatiua, altera negatiua. Argumenta autem quæ ſic per collationem ad vtramq; quæſtionis partem confirmandam adhibentur, παράλληλα dicuntur, vt quæ inuicem comparata theſibus, problematis accommodantur. Sit problema, Deus iraſcatur nec ne, Sit argumentũ primum non iraſci, quia ſi tam potens iraſcitur, perire mundũ oporteat, poſtquam potentes qui ſunt homines, cum incanduerint, late populantur omnia. Et huius παράλληλον, Iraſci Deum, quia vrbes incendio totas hauſerit ſubito, & mundum totum diluuio obruerit. Item, non iraſci, quia commoueri non poſſit. Et παράλληλον huius, commoueri poſſe, quia & pœnitere & incendi & inflammari, & ira furere ſcriptura docet. Item, non iraſci, quia rem tam fœdam, ne ſapientes quidem in ſe admittant. Et παράλληλον ex eodem genere, iraſci, quia optimus quiſque indigna maxime re, maxime commoueatur. Item, non iraſci: quia credere non poſſit, lædi ſe poſſe ab vllo. Et παράλληλον huius, iraſci, quia maieſtatem ſuam ſummam apud homines à pleriſque violari & minui videat. Hæc exercitatio talis eſt, vt ſiue cogere velis alium diſputando, ſiue ipſe vim effugere, plurimũ habeat momenti.

TERTIVM præceptum eſt, vt ad ea quæ ſæpiſſime incidunt problemata, argumentorum copia inſtructi ſimus.

QVARTVM, ad omnem diſputationem tria afferamus, principia, hypotheſes, & normam communem argumenti ſtruendi. Principium eſt lux mentis & oculus. Hypotheſis eſt fundamentum rei & ipſa res, Communis norma argumentandi eſt ſyllogiſmus.

QVINTVM, vt rerum primarum, quas maxime in vita iactari & diſceptari videmus definitiones teneamus. Vbi enim definitio morbi tenetur, iactum eſt fundamentum ad omnem diſputationem medicam, & ſic de alijs.

SEXTVM, tenere oportet locos communes, per quos diſſerere licet ad multa problematum genera, ſæpe enim accidit vt ex vno loco communi, multas hypotheſes colligere liceat.

SEPTIMVM, Locus communis potius quam ſyllogiſmus memoriæ mandandus eſt.

OCTAVVM. Deducere vnam propoſitionem in plures, quod quomodo fiat Rodolphus in ſecundo de inuentione optime docuit.

NONVM, Ad vniuerſi generis quæſtionem, reuocare quæſtionem poſitam. Nam ita ex vna multas facere licebit. Ornatiſſimæ enim inquit Cicero orationes hæ ſunt, quæ latiſſime vagantur: & à priuata & ſingulari controuerſia, ad vniuer-

vniuersi generis vim explicandam se confert, vt hij qui audiunt, natura & genere, & vniuersa re cognita, de singulis statuere possint.

DECIMVM, Res in disputationem propositas ad sua κριτήρια reuocare oportet. Sunt autem κριτήρια pro rerum natura varia, & quatuor à Platone & Plutarcho numerantur. Nam earum rerum, quæ acie mentis sola cernuntur & intelliguntur, κριτήριον est ἡ νόησις, quæ est earum rerum perceptio, quæ mente sola percipiuntur, hoc est communium sententiarum, seu communium principiorum πρόληψις, quam non docemur, sed cognitam circumferimus & accommodamus problematis, quando in hanc vel illam partem feretur sententia, adhibita demonstrationis regula. Nam cum hæc νόησις sit lumen rationis vt Plato inquit, eadem perspicimus rerum ordinem & consequentiam, quæ quia plus acuminis requirit, accedit Dialectica, quæ huius ordinis & consequentiæ facultatem iuuat. Huic κριτηρίῳ totam moralem Philosophiam atque ipsam Dialecticam subijcio. Deinde earum rerum, quæ sub sensus cadunt & sensibus percipiuntur, κριτήριον est πίστις, seu δόξα, quo vniuersa quæ αἰσθητὰ, hoc est sub sensus cadentia appellantur, reuocanda sunt. Hoc κριτήριον κτ συμπαρατήρησιν vniuersalem experientiam parit, Vnde vniuersale pronunciatũ statuitur, ex quo postea de particularibus iudicandum est. Huic Physicã

subijcio & cognatas artes. Hoc enim pronunciatum: Quicquid pulmonem habet spirat, non est notum per se, sed per inductionem, Vnde vniuersale collectum est. Atque ita de alijs in Physica & Medicina. Porrò inter hæc duo κριτήρια, νόησιν *&* πίστιν, *Plato tertium collocat, nimirum* διάνοιαν, *quod circa res Mathematicas versatur, quæ partim mente, partim sensu percipiuntur. Nam vt Mathematica sine sensibus intelligi non possunt, ita sine intelligentia demonstrari nequeunt. Vnde* διάνοια *talis æstimatrix rerum est, quæ ex particulari siue vno siue pluribus, fert sententiam de communi pronunciato, ex quo rursus de omnibus particularibus eiusdem generis fit iudicium. Vt cum Mathematicus pingens circulum, ostendit in eo omnes lineas à centro ductas ad circumferentiam, esse æquales: mox arripit discens commune pronunciatum, ex quo deinde fert sententiam, adhibita demonstrationis regula, de alijs particularibus circulis. Atque hæc causa est cur putantur demonstrationes Mathematicæ euidentiores esse, quam Ethicæ, aut Physicæ: Quartum* κριτήριον *est* εἰκασία, *hoc est similatio seu effictio. Versatur enim circa rerum fabricandarum imagines, ad quas respicit artifex dum opus extruit. Hæc* κριτήρια *memoriæ commendanda sunt, & singulæ res suis* κριτηρίοις *subijciendæ & per illa dijudicandæ sunt.*

Plutarchus in Platonicis quæstionibus hæc

κριτή-

κριτήρια recitat, quæ dicit nobis eſſe à Deo data νοῦν μὲν τῶν νοητῶν, διάνοιαν δὲ τῶν μαθηματικῶν, πίστιν δὲ τῶν αἰσθητῶν ἐικασίαν τῶν ἐικόνων καὶ τῶν περὶ τὰ εἴδωλα.

DE EXEGETICA METHODO.

CVm de exegetica Methodo dicturus ſum video me operæprecium facturum, ſi hanc partem in quatuor membra diſtinxero, vt primum contineat formas interpretandi authores. Alterum, ea quæ fuſius ab eloquentibus hominibus ſunt expoſita, ad Dialecticam breuitatem, & formas argumentationum Dialecticas certam rationem ac viam reducendi præſcribat. Tertium, Methodum examinandi ea, quæ tradita ſunt præſcribat. Quartum, membrorum Methodum ediſcendi quæcunque memoria digna videbuntur, commonſtret.

DE PRIMO MEMBRO.

Ratio interpretandi authores non ſimplex eſt, Sed vt plures ſunt interpretationum fines, ita & plures formæ ſunt. AVT enim verba ſpectantur & phraſes, & eſt interpretatio Grammatica, quæ conſiſtit in verborum & phraſium explicatione. AVT ſumma cura rerum eſt, & in-

terpretatio est Dialectica. Dialectica enim ars arbitra & æstimatrix rerum est. AVT accidentia verborum & rerum spectantur, & est Rhetoricum interpretandi genus. AVT hæc omnia simul spectantur, & interpretationis genus triuiale dicitur. Hæc genera ita adhibenda sunt, vt prudens interpres uiderit commodum fore suis auditoribus, & professio efflagitare videtur. Magnæ illæ professiones, Theologia, Mathematica, Iurisprudentia, Physica, Ethica, rerum potissimum curam habere debent, quas commode tractari doctissimi quiq; hac via iudicant. Si generalis vniuersa declaratio, summaque rei tractandæ compræhensio præcedat. Si hanc generalem compræhensionem, seu summam, sequatur specialis distributio partium. Si hanc comitetur membrorum explicatio, simplicium quidem per Methodum didascalicam. Compositorum vero per Methodum probabilem & demonstratiuam, Si confutentur illorum, qui contra sentiunt opiniones, Si denique ordo contextus, optimus docendi magister, adhibeatur.

DE SECVNDO MEMBRO.

Hic omnium primum tenenda sunt orationum discrimina. Nam dialectica alij orationis generi, aliud instrumenti genus adhibet. Est itaque omnis oratio vel expositio tantum, vel argumentatio, vel mixta expositione & argumentatione.

Expo-

Expoſitio eſt oratio, quæ ſolū dicentis mentem explicat, nullo quo fides fiat adhibito. Argumentatio eſt oratio, per quam is qui dicit fidem conatur efficere. Mixta eſt, in qua partim exponuntur ſeu narrantur res, partim probantur. Si itaq; oratio fuerit expoſitio tantum, Dialecticus quantumuis oratio longa fuerit vniuerſam reuocabit ad ſex quaſi elementa detractis ornamentis, vt nuda appareat rei expoſitio. Sunt autem elementa hæc, Perſona vna pluresue, locus vbi geſtum, & tempus quo geſtum negocium ſit, modus quidam geſti negocij. His ſextum accedit cauſa geſtorum. Quoniam autem hæc præcipua ſunt capita, quæ expoſitionem perficiant, Dialecticus abſolutam eam iudicabit, quæ conſtat ex his omnibus, itemq; ex ijs quæ ad illa referuntur. Contra deficientem, quæ alicuius illorum indiget. Prudentiæ eſt narrantis, videre vbi omnia hæc membra adhiberi neceſſe eſt, & vbi non ſunt adhibenda. Hæc elementa verſiculo hoc memoriæ gratia complecti ſoleo. Res, Perſona, Locus, Tempus, Modus, Aetia narrant. Atque hæc de examine expoſitionis ſint dicta. Porrò in argumentatione maiores ingenij vires requiruntur, maior vſus, maiorq; cura. Primum enim quæſtio principalis inuenienda eſt, ſi latet. Secundo, argumenta ſunt inquirenda. Tertio, reddenda ſunt argumenta inuenta ſuis locis & accommodanda quæſtioni. Poſtremum iudicandum eſt de inuentis

idque

idque tum ex arte vnde sumta est quæstio, tum ex Dialecticis normis, quæ regant animum ne fallatur iudicium. Quomodo autem inuenienda sit quæstio, docet Rodolphus in Secundo libro de Inuentione. In oratione enim habente aduersarium, ex contradictione altercantium nascitur quæstio. Vbi aduersarius ex aduerso non respondet, vt in continente oratione hæc tria coniuncta: negocium, personæ, conatus, monstrant quæstionem. De qua re Rodolphus præ alijs consulendus est. Postquam autem inuenta est quæstio, argumenta quærenda & inuenienda sunt: qua in re præcipua Dialectici virtus se prodit. De hac itaq; re nunc præcepta subijcienda sunt, vt inquirentis laborem nonnihil minuamus. dulcior enim fit optimorum authorum lectio, quando vis nexusque rerum penitus peruidetur. In primis itaque hoc sciendum est, quod magni authores in splendidioribus scriptis, tametsi Dialecticam vt normam rerum intuentur: tamen ordinem illum vt liberiores negligunt sæpe, interdum à proposito non ordiuntur, neq; concludunt, Assumtiones sæpe ad rationem probationemq; traducunt, vt difficillimum sit nonnunquā eorum argumentationes ad eum ordinem, qui naturalis & Dialecticus est, reuocare. Verum si Dialecticus suo munere rite perfungi velit, omnia illa retexet, & quæ quasi in campo amplissimo expatiantur, & dispergantur, in carceres Dialecticos includet,

exa-

examinabit, approbabit: quod quomodo fiet breuiter explicandum eſt. Sit ergo hæc prima regula. Cum inuenerimus quæſtionem, quicquid id eſt quod pro ratione poſitum eſt, ſi vna propoſitio fuerit, adhibendum eſt quæſtioni, Enthymemaque conſtituendum: cuius antecedens erit ratio poſita, conſequens vero quæſtionis propoſitio. Secunda. Si plures erunt propoſitiones, tum adhibendæ erunt altera alteri, videndumque an altera probetur per alteram. Tertia. Si altera probatur per alteram, quantum ad concludendam quæſtionis propoſitionem attinet, vna eſt argumentatio, ordine tamen probandi plures. Quarta. Si non probatur altera propoſitio per alteram, ſed vnaquæq; probat per ſe quæſtionem, plures erunt argumentationes. Quinta. Quod ſi nec altera alteram probat, vel erunt plures vnius argumentationis propoſitiones (ſcilicet maior & minor) vel plurium propoſitionum probationes. Haud enim raro vſu venit, probationes propoſitionum poni loco propoſitionum. Sunt autem propoſitiones, quibus quæſtio in hanc vel illam partem confirmatur. Sexta. Si fuerint vnius argumentationis probationes, in qua maior vis eſt, primo loco collocanda eſt, in qua minus virium, ſecundo, et concluſio erit ſyllogiſtica. Septima. Si plurium propoſitionum fuerint probationes, ſingulæ probationes ſuis ſunt propoſitionibus accommodandæ, Atq; ita in Enthymematis

matis vel ſyllogiſmi formam reuocandæ.

Octaua. Sæpe etiam hoc vſu venit, quæſtionem & probationem vnius quaſi propoſitionis formam obtinere: Sed Dialecticus hæc iudicabit, & diuellet probationem à quæſtione.

Nona. Fit ſæpe quod argumenta quaſi puncto notentur, quæ Dialecticus complebit, & vocabit in iudicium.

Decima. Vna ſæpe propoſitio multa media continet, quibus quæſtio aliqua eſt probanda, verum illa retexet Dialecticus. Vbi autem adoleſcentes artis diſſerendi Studioſi hæc præcepta perceperint, debent etiam cognitas formas argumentationū habere, quibus oratores vtuntur. Vnde non tantum iudicium formare in iudicandis aliorum ſcriptis diſcunt, verumetiam quandam viam ornatius argumentandi, ac argumenta illuſtrandi conſequuntur. Quare breuiter potiſſimas oratoriarum argumentationum formas ſubijciā, quas poſtea ad regulas præſcriptas examinare non erit difficile. Oratoriarum itaq; argumentationum aliæ perfectæ ſunt, aliæ imperfectæ. vtrunq; genus in expreſſum & implicitum diuiditur. Perfecta & expreſſa argumentatio oratoribus ἐπιχείρημα dicitur: & eſt ſyllogiſmus Categoricus conſtans quinque partibus, propoſitione maiore ratione maioris vna pluribuſue, propoſitione minore, eiuſdem ratione vna vel pluribus, & concluſione: quæ ſæpius omittitur, quia eſt propoſitio

positio probanda. Sit quæstio, an virtus cuiquam hominum insita sit natura? Ad hanc quæstionem euertendam hoc vsus est Epichiremate Aristoteles. 1. Quæ nobis à natura tributa sunt, eorum primum facultates accepimus, postea vero officijs muneribusq; fungimur. 2. idq; in sensibus cernitur. Neq; enim ex eo quod aut aspeximus, aut audiuimus, sensus accepimus. At cum iam eorũ essemus compotes eis vsi sumus, non cum vsi essemus, percepimus. 3. At vero virtutes accepimus postquam prius aliquid à nobis actum est. 4. quod in cæteris quoq; videre est artibus. Quæ enim facienda sunt cum didicimus ea, tum cum agimus discimus maxime. Veluti homines tum architecti existunt maxime, cum ædificant. 5. Moralis igitur virtus non naturaliter nobis ingenita est, sed exercitijs cõparatur. Hic primo loco ponitur maior, Secundo ratio maioris. Tertio minor, Quarto minoris ratio, Quinto conclusio. Hic Dialecticus primum inquiret propositiones necessarias maiorẽ & minorem. deinde ex illis & earum probationibus noua argumenta constituet: quod quia in proposito argumento est facile, omittam. Perfecta argumentatio sed implicita, similiter quinq; constat partibus. Verũ quia medium hic occultatur, implicita dicitur. Alia enim verborũ forma repetitur medium in minori, vt oratio recipiat varietatẽ. Quod in certũ finẽ fertur, aliqua prouidentia gubernatur. Nihil enim quod casu aut temeritate

fertur

fertur, aliquam destinatam metam spectat. At vniuersus hic mundus in certum scopum dirigitur, quem assequi laborat perpetuo. Quemadmodum vicissitudo temporum, ortus & occasus siderum, ordinatæ illæ orbium circumuolutiones ac pœnæ ingentium scelerum testantur. Relinquitur ergo hunc vniuersum orbem, quodam supremæ mentis consilio gubernari ac regi. Hæc est forma superiori similis, nisi quod hic & medius & maior terminus varietate sermonis teguntur. Dialectici ergo est muneris, detracta varietate rem nude proponere, & in iudicium vocare. Imperfecta argumentatio, seu ἐπιχείρημα imperfectum est, in quo aliqua harum quinq; partium desideratur. nunc enim maior, interdum eius probatio, nonnunquam minor, vel eius probatio abest. Quo autem plures desiderantur partes, eo est imperfectius ἐπιχείρημα. Hic quoq; admonendum duxi, sex modis conclusionem variari. Nunc enim simpliciter concluditur, nunc per ἰσοδυναμίαν. Nunc κατὰ ὑπόθεσιν, nunc per contrarium, nunc per id quod conclusionem necessario sequitur. Interdum per schema aliquod Rhetoricum. Simpliciter concluditur, cum Dialectico more concluditur: vt, quod nihil agit expers virtutis est. Deus Epicureorum nihil agit. Ergo Deus Epicureorum expers virtutis est. Hæc conclusio simpliciter illata, per ἰσοδυναμίαν hoc modo variatur. Ergo numen Epicureorum nullis hone-

honestatis actionibus claret. Per hypothesin sic. Quicquid in certum finem fertur, prouidentia gubernatur. Mundus in certum finem fertur. Ergo si mundus fertur in certum finem, prouidentia aliqua gubernari eum necesse est. Sed hac concludendi formula potissimum vtuntur autores in longioribus & fusius tractatis argumentis. Per contrarium concluditur, quando cum inficiatione contrarium conclusionis ponitur. Vt quicquid in certum finem fertur, consilio gubernatur. Mundus in certum finem fertur. Ergo mundus non fortuita temeritate, vt Epicurus somniat, nec Stoica quadam necessitate voluitur. Per id quod conclusionem necessario consequitur, hoc modo. Quicquid in certum finem fertur, consilio gubernatur. At mundus in certum finem fertur. Ergo mundo præest numen quoddam mente & intellectu præditum. Per schema Rhetoricum sic: Quod fertur in certum finem, consilio gubernatur. Mundus in certum finem fertur, Ergo tu insane Epicure pugnas cum natura & negas hanc pulchritudinem consilio aliquo gubernari? Ita per singula schemata fere conclusionem variare licet, idq; non tantum in syllogismo, sed etiam in alijs argumentandi formis. Nec parum iuuerit ad inuenienda & tractanda argumenta, in his sex concludendi formis se exercere. Vtuntur & Rhetores idq; sæpissimè præpostero syllogismo seu Epichiremate, quale est illud Socraticum. firmiter sen-

ter sensum esse aliquem post hanc vitam mortuis statuo, Sic sapientißimi quique sibi persuaserunt, quorum sententiæ veræ sunt & probandæ. Primo loco hic ponitur conclusio. Secundo minor. Tertio maior. In oratione Demosthenis secunda Olynthiaca, tale huius formæ exemplum habes. Si quis existimet Philippum violentia illa, qua loca, portus & huiusmodi inuadit, imperium obtenturum esse, haud leuiter errat. Quando enim beneuolentia res constituuntur, ac laborum socijs non desunt sua præmia, homines in officio retinentur. Verum cum malitiose & auare & violenter aliquis rem gerit, leue erratum omnia labefactat & dissoluit. Non est enim ô viri Athenienses, quod existimetis quenquam, qui periurio, iniuria, & mendacio res gerit, firmum stabileq; habiturum regnum. Quemadmodum enim in nauigijs alijsque ædificijs accidit, quod si firma sint futura, firmamentum firmum habeant, Quod si non habuerint, cito ruitura sunt. Sic etiam actionum principia & causas veras & firmas esse oportet, id quod nequaquam in rebus quæ à Philippo geruntur, perspicitur. Hic primo loco conclusio ponitur. Secundo antithesis maioris. Tertio maior. Quarto maior repetitur per attentionem. Quinto confirmatio maioris. Sexto loco minor ponitur. Est & hoc dignum obseruatione, syllogismos plures apud Oratores sibi mutuo implicari & intertexi: quod

fit

fit vbi duo vel plures syllogismi simul adhibentur ad idem probandum. In tertio paradoxo Ciceronis, pulchrum huius rei exemplum extat, quod asscribam, & partes numeris distinguam. 1. Nemo potest non beatißimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se vno sua ponit omnia. 2. Cui autem spes omnis & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihilq; quod exploratum habeat permansurum sibi ne vnum quidem diem. eum tu hominem terreto, si quem eris nactus istiusmodi mortis aut exilij minis. 3. Mihi vero quia quicquid acciderit in tam ingrata ciuitate, ne recusanti quidem euenerit, non modo non repugnanti. 4. Quid enim ego laboraui, aut quid egi, aut in quo euigilauerunt curæ & cogitationes meæ? Siquidem nihil peperi tale, nihil consecutus sum, vt in eo statu essem, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret iniuria. Mortem ne mihi minitaris, vt omnino ab hominibus: an exilium, vt ab improbis demigrandum sit? Mors terribilis est his, quorum cum vita omnia extinguuntur, non his quorum laus emori non potest. Exilium autem terribile ijs, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus, non his qui omnem orbem terrarum vnam vrbem esse ducunt. 5. Hæ miseriæ, hæ ærumnæ premunt omnes, qui te beatum, qui te florentem putas. tuæ libidines te torquent, tu dies noctesque

cruciaris, cui nec satis est, quod est, & id ipsum quod habes, ne non diuturnum sit futurum times, te conscientiæ stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimat iudiciorum atque legum, quocunque aspexisti vt furiæ, sic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te respirare non sinunt. 6. Quamobrem vt improbo, stulto & inerti nemini bene esse potest, Sic bonus vir & sapiens, & fortis, miser esse non potest. Hæc Cicero. facilis autem erit resolutio cognitis propositionibus probandis, quæ sunt hæ duæ: Prior, sapiens & bonus est beatus, &, improbus est miser. Primo loco ponitur maior primæ. Secundo maior secundæ. Tertio loco minor primæ. Quarto eiusdem probatio amplificata per distributionem. Hoc loco meminisse oportet, quemadmodum & Agricola monet, sæpe Oratores pro Vniuersalibus propositionibus ponere singulares, vt sic magis vulgi aures, & animos oratio feriat. Dialecticus hic dixisset, Sapiens & probus totus aptus ex sese est, & in se vno sua ponit omnia, Sed Cicero singularem, quæ ex hac videbatur sequi, ponere maluit. Quinto loco pro minore secundæ, quæ esset hæc: Stultus & improbus omnia in rebus fortunæ ponit, ponitur eiusdem probatio per distributionem. Vbi etiam singulares propositiones, pro vniuersalibus ponuntur. SEXTO. Conclusio secundi Syllogismi primo loco: Primi vero secundo collocatur, & ambæ per collatio-

nem

nem inferuntur. Hoc genus Epichirematum, quemadmodum & aliæ argumentorum formæ, sæpe per subiectionem variatur & exornatur. Est & forma argumentandi Oratoria, quæ collectio vocatur. hæc rationibus & expolitionibus constat, quæ in quinque partes distributa est, propositionem, rationem vnam pluresue, rationis confirmationem, vnam vel plures: expolitionem vnam pluresue. Propositio hoc loco est quæstio probanda. Cum enim primo loco ponitur, propositio dicitur, cum concluditur, conclusio. Ratio, vel minor syllogismi erit, vel maior. Confirmatio erit præmissæ maioris vel minoris probatio. Expolitio schemate ornat & locupletat rationem, & interdum alicuius præmissæ vim habet: sit tale exemplum. 1. Fugiendum est ocium. 2. Est enim turpis vacatio à rebus gerendis. 3. Mors & viui hominis sepultura, immo omnium malorum sentina pessima, homines ab officio auocans. 4. Quod est totius Reipub. perniciosissima pestis. Vbi enim ocio indulgent magistratus, non potest nisi pessime administrari Respub. negliguntur leges, cessat cura ærarij publici, non fiunt iudicia, non corriguntur malefacta, contemnuntur studia, corruunt vrbes, Breuiter vniuersa Respublica funditus euertitur. Vbi in ocio viuit vulgus, ibi plane ex libidine viuitur, vitia perpetrantur, cædes, rapinæ, latrocinia, donec ex ocio tota Respub. euersa

iacet, nemine opem supplici ferente: Contra vero optime ea constituta est Respub. vbi suo quisque officio fungitur: Magistratus curat obseruari leges, populus obtemperat, vigent honesta studia & moribus viuitur optimis. 6. Quemadmodum enim ager si ociosus iacet, non solum nullum producit frugem vtilem, sed præter tribulos & vrendam filicem producit nihil. Sic fieri non possit quin humanus animus vel præstantissimus ex ocio fiat peßimus. 7. Scipio Aphricanus vir prudentissimus, ne vnquam indulgeret ocio tantillum, maluit lapillos in ripis colligere, quam nihil agere. Apud Athenienses erat capitale ocium, cogebanturq; ciues ocij sui publicam reddere rationem. Apud Ouidium legis Aegistum factum adulterum ex ocio. 8. Marci proinde Varronis sententia videtur mihi in primis laudanda, qua docet nihil agendo homines discere male agere. In hac collectione primo loco ponitur propositio. 2. Ratio. 3. Confirmatio. 4. Exornatio, seu noua quædam argumentatio. 5. Alia exornatio, & argumentum à contrarijs. 6. Exornatio à simili. 7. Exornatio per historias & exempla. 8. Autoritates & χρεῖαι.

Est & obseruanda enumeratio Rhetorica duplex, quam Dialectici inductionem vocant. Prima eius forma est, cum summam rei proponimus hoc modo. Tres sunt res, quæ homines in vniuersum ad maleficia solent impellere, Auaritia,

tia, Ambitus, & Luxuria. Hic Roſcius minime fuit auarus, nulla ambitus indicia in eo relucebant, nec vnquam ob luxum malè audiuit. Non poteſt igitur maleficium Roſcio imputari. Alia forma à Dialectica inductione non differt, quare exempla omitto. Vtuntur & Oratores complexione, quæ eſt vt dicunt bicorne argumentum, vehemens ſane argumentationis ſpecies, quæ vtrinque aduerſarium ſternit, alterutrum ſiue firmauerit, ſiue negauerit. Demoſthenes contra Aeſchynem hac vſus eſt complexione. Sciuiſti quod erat futurum, aut neſciuiſti. Si ſciuiſti in culpa es, quod non admonuiſti. Si neſciuiſti, cur nos ignorantiæ comdemnas? Hæc quia ſemper conſtare debet, ſi erit firma, ex contrarijs immediatis, facile reuocabitur ad duos ſyllogiſmos. Submiſſione vtuntur etiam Oratores, in qua quis à ſe ipſo petit rationem, quare vnumquodque dicatur. Vt Maiores noſtri magnam Oratoriæ operam dare voluerunt. 2. Quid ita? quod recte intellexerunt ea ſtudia omnium ſumme eſſe appetenda. 3. Cur id? quoniam per ea tanto plus alijs hominibus præſtamus, quanto homines brutis. 4. Qui hoc? quod nihil habent ingenia in hominibus conſtans, niſi ea doctrina & arte excolantur. 5. At quid ita? Nam cum Oratorum præceptis quibuſcunque rebus ordo detur, fit vt ingenia ad ordinem compoſita, nihil tumultuarium, nihil præceps,

nihil confusum, præruptum, hians, nihil intempestiuum producant. Primo loco hic ponitur propositio probanda. 2. Eius probatio. 3. Rationis confirmatio. 4. Confirmationis ratio. 5. Huius rationis probatio. Unde facile est Dialectico quatuor Enthymemata constituere, eaq; ad syllogismorum normam exigere. Sunt & aliæ Oratorum argumentandi formæ, quas omitto, quia ex his quæ dicta sunt facile iudicari possunt. His itaque argumentationum formis cognitis, & regulas quas supra tradidi, vbi accesserit lectio frequens, & styli exercitium, facile erit Rhetorica argumenta ad suos fontes reuocare, atque quæstioni propositæ accommodare. Quantum ad iudicium attinet vbi forma argumenti proposita fuerit, ars primum consulenda est, vnde quæstio sumta est. Deinde videndum an ex firmis aliquibus artis principijs, vel ex hypothesibus conclusis ex principijs, propositio probans sit sumta. Si non fuerit inde sumta, videndum an aliquid absurdi sequatur, si concedatur quæstio, & rursus si quid commodi. Deinde iudicandum est etiam an propositiones instituantur iuxta Dialectices præcepta: quæ præcepta sunt viæ iudicandæ, probandæ & improbandæ quæstionis.

DE TERTIO MEMBRO.

Postquam de formis interpretationis breuissime

me dictum est, ordo postulat, vt via examinandi ea quæ tradita sunt, aperiatur. Constituatur ergo Triplex examen. Grammaticum, Dialecticum & Rhetoricum. Grammaticum rursus tripartitum est. Vnum singularum dictionum. Alterum orationis seu constructionis. Postremum phraseos seu linguæ. In examine dictionis duplex adhibenda est consideratio, vocis nimirum & significationis. In voce spectanda sunt omnia quæ Orthographiam, Etymologiam & Prosodiam attingunt. In significatione, vtrum naturalis sit significatio, vel non naturalis. utrum vnum pluraue ex æquo significet. Et si non fuerit naturalis, explicanda est ratio deflexionis. In orationis, seu constructionis examine, tantum duæ voces coniungendæ erunt paulatim, donec tota Oratio complebitur, & quærenda est singularum connexionum ratio. In phraseos examine coniungendæ sunt tot voces, quot ad integrum sensum requiruntur, ac primum vis phraseos & vsus explicandus est. Deinde conferenda est phrasis Græca cum Latina, vtraque cum patria. Hoc triplex examen ita adhibendum iudico, vt non eadem præcepta quotidie repetantur, sed vt singulis mensibus vniuersæ Grammatices examen absolui possit. Ac vtilissimum iudicarem si Pædotribæ singulis septimanis pueris, qui paululum in Grammatica promouerunt, orationem aliquam variandam, iuxta Erasmi

præscripta proponerent. Dialecticum examen duplex est. Vnum præceptorum artis, quæ eo ordine examinanda sunt quo traduntur. Alterum est cum Dialectica alijs rebus seu artibus adhibetur arbitra, vbi examen instituendum est iuxta præscriptum superiorum Methodorum. Rhetoricum examen, quod est verborum & rerum, petendum est ex Methodo Rhetorica, de qua vbi prius dixero de quarto membro, præcepta tradam.

DE QVARTO MEMBRO.

Cum ipsa ars Dialectica rerum ordinem contemplatur & seriem, nulla erit via facilior ediscendi, quam si eundem ordinem sequaris. Puer igitur volens aliquid ediscere. Primum omnium rem bene intelligat. Deinde partes rei numeret, primum maiores, deinde minores. Tertio loco ordinem partium diligenter inspiciat. Quarto animaduertat exornationes rerum. Hoc vbi fecerit puer, plus quam dimidiam laboris partem se absoluisse sciat. qui contra faciunt, se misere citra magnam frugem torquent. Postquam autem hoc præscriptum secutus fuerit puer, in rebus cognoscendis, accingat se ad ediscendum iuxta dispositionis ordinem. Oratio Iunonis ad Aeolum in primo Aeneidos sit nobis exemplum, vt in facilioribus via monstrata, in difficilioribus quoq; spes sit.

Aeole (namq; tibi diuum pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque penates.
Incute vim ventis submersasq; obrue puppes:
Aut age diuersas, & disijce corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo,
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat: & pulchra faciat te prole parentem.

Hos vndecim versiculos primum intelligat puer, vt poßit rem comprehensione quadam summaria complecti. Deinde partes numeret, quæ sunt quatuor: Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio: partiumque locos obseruet. Tertio loco ordinem primum recondat in mentem, quod est facile, cum sit hic naturalis ordo seruatus. Primo enim loco Exordium. 2. Narratio. 3. Propositio. 4. Confirmatio collocatur. Postremo loco attendat exornationes, quæ hic sunt fere nullæ, præter propositionis repetitionem & vehementiam. Hoc vbi sciet puer, primum edifcat duos primos versus, in quibus absoluitur exordium, prima orationis pars. Deinde duos proximos, tertium & quartum, continentes narrationem, quæ est secunda orationis pars.

Tertio ediſcat quintum & ſextum verſus continentes propoſitionem tertiam orationis partem. Ultimo loco ediſcat reliquos quinque, qui ad confirmationem quartam orationis partem ſpectant. Hanc viam ſequantur pueri in omnibus alijs ſcriptis. Verum maturiores, quibus eſt maior rerum cura quàm verborum, illas maiores partes obſeruent, & experientur ſe nullo alio artis memoratiuæ adminiculo indigere. Si fuerit prolixior oratio, partes vel numeris vel literis notentur, & poſtea tanquam depoſitum repetatur à ſingulis literis, quod illis erat commendatum. Iuuat & hoc in primis memoriam, ſi quotidie aliquid ediſcas, & illud mox ſequenti die à te ipſo repoſcas. Sæpe recordari, medicamine fortius omni.

DE METHODO RHETORICA.

PERSEQVI Uniuerſam Methodum Rhetoricam nimis longum eſſet, quare de Methodo ſingularum partium Orationis Rhetoricæ pauca quædam præcepta colligam. Sunt autem Orationis Rhetoricæ partes. Exordium, Narratio, Diuiſio ſeu Propoſitio, Confirmatio, Confutatio & Peroratio. Quantum ad totius orationis corpus attinet, hic ſeruabitur ordo partium, quem enumeratio poſita monſtrat. Iſte enim ordo naturalis eſt.

est. Interdum tamen hic ordo mutatur: Cum causę necessitas mutationem efflagitare videtur.

DE METHODO EXORDII.

Omne exordium ex quatuor maxime componi videtur. Expositione, Ratione, Redditione & Comprobatione. Expositio hoc loco est oratio, quæ cum ab aliquo eorum locorum, qui ad inuentionem pertinent inueniatur, aut docilem aut beneuolum, aut attentum facit auditorem. Ratio est oratio accommodata expositioni, per quam id quod expositum est, facile confirmatur. Redditio est breuis comprehensio eius quod expositione & ratione conficitur, & totius rei aperta propositio. Comprobatio est redditionis causa, quæ quidem rem totam manifestius tangit. Verum hic scire oportet, quod autores interdum non sunt contenti vna expositione, nec vna ratione, redditione & comprobatione, sed interdum plures adhibent. Ut autem hæc vniuersa res clarius intelligatur, Exordium Ciceronis pro Marco Marcello subiungam, partesq; enumeratas ostendam.

1. Diuturni silentij Patres conscripti, quo eram his temporibus vsus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia finem hodiernus dies attulit, idemq; initium quæ vellem quæq; sentirem meo pristino more dicendi. 2. Tantam enim magnitudinem, tam inusitatam inauditamq; clementiam, tantum in summa po-

testate

potestate rerum omnium, modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac pene diuinam tacitus præterire nullo modo possum. Marco enim Marcello vobis Patres conscripti Reipub. reddito, non solum illius, sed etiam vocem meam & autoritatem vobis & Reipub. conseruatam & restitutam puto. 3. Dolebam enim Patres conscripti, & vehementer angebar, cum viderem virum talem, qui in eadem causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna, nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in vestro veteri curriculo, illo æmulo ac imitatore studiorum nostrorum, atque laborum quasi quodam socio à me & comite distracto. 4. Ergo & mihi & pristinæ vitæ consuetudinem Cæsar interclusam aperuisti, & his omnibus bene de Repub. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. 5. Intellectum enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipso, & paulo ante in omnibus cum M. Marcellum Senatui Reipub. concessisti, commemoratis præsertim offensionibus, te autoritatem huius ordinis, dignitatemq; Reipub. tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. Hic primo loco ponitur Expositio sensu quidem multiplex, Compositione orationis omnino simplex. 2. Ponuntur rationes expositionis. 3. Adijciuntur rationes, quibus verecundiam & dolorem silentij fuisse causam ostendit. Quarto loco sequitur redditio, expositioni

tioni & primæ rationi accommodatior, & totius causæ, in qua de laudibus agitur Cæsaris, apertißima expositio. Quinto loco sequitur redditionis Comprobatio. Hanc Methodum obseruat Cicero etiam in alijs exordijs : sed sæpe membra aureo verborum flumine ita obruuntur, vt vix nisi valde attentis appareant.

Porro præter hæc, quæ ad partes Exordiorum pertinent, alia quatuor quæ ad materiam & formam spectant, consideranda sunt. 1. Exordium monstret finem, cuius gratia oratio habeatur. 2. Ducenda sunt exordia non ex his quæ causam confirmant, aut rem de qua quæritur, sed ex ijs, quæ circa res personasque posita sunt. 3. Exordia debent esse breuia, perspicua & accommodata causæ. 4. Exordium ita perfici debet, vt initio narrationis cohæreat.

METHODVS NARRATIONIS.

In narratione quinque sunt obseruanda. Primum, quæ narrationis elementa. Secundum, quæ formæ. Tertium, quotuplex ordo. Quartum, quæ optimæ narrationis virtutes. Quintum, quæ destruendæ falsæ narrationis via. De elementis narrationis supra in secundo membro Methodi Exegeticæ dictum est.

DE FORMIS NARRATIONIS.

Narratio-

Narrationum alia eſt abſoluta, alia deficiens. De qua diſtinctione ſupra dictum eſt. Secunda diuiſio, Narrationum alia eſt Poëtica, quæ habet expoſitionem fictam, Alia hiſtorica, quæ habet expoſitionem rerum vetuſtam. Alia politica vel Oratoria, qua Oratores vtuntur. Tertia diuiſio, Alia ſimplex, cum nihil adhibetur quo fides fiat auditori: Alia argumentoſa, cum ſingularum rerum quæ narrantur, confirmationes adijciuntur.

DE ORDINE NARRATIONIS.

Duplex eſt narrandi ordo. Naturalis, cum rerum geſtarum ſeriem, & tempora ſequimur. Hic hiſtorijs & ciuili narrationi accommodatior eſt. Alius ſuperiori contrarius eſt, cum à poſterioribus ad priora aſcendimus, Eſtque hic ordo Poëtis familiarior.

DE VIRTVTIBVS NARRATIONIS.

Rhetores tres bonæ narrationis virtutes numerant. 1. Vt ſit aperta. 2. Vt ſit breuis. 3. Vt ſit probabilis narratio. Extrema duo ſemper habere debet Narratio, Medium in genere demonſtratiuo & ſuaſorio, interdum locum non habet. Sæpe enim altius petenda narratio, & dilatanda per antecedentia, coniuncta & conſequentia,

quentia, quemadmodum Erasmus monet in posteriori Commentario Copiarum.

Deinde & hæc bonæ narrationis virtus esse debet, vt fini exordij, & initio propositionis seu diuisionis extremis cohæreat.

DE VIA DESTRVENDAE Narrationis falsæ.

Destructurus narrationem, elementa supra enumerata inspicito, eaq; quæ illis adiuncta sunt, quorum si vnum vel impossibile, vel falsum ostenderis, narratio euersa est.

METHODVS DIVISIONIS seu propositionis.

In diuisione, hoc est oratione, per quam quibus de rebus dicturi sumus, breuiter exponimus, quatuor obseruanda sunt. Primum vnde colligenda sit diuisio. Deinde genera diuisionis. Tum modus diuisionis. Postremo, partium diuisionis ordo.

DE COLLIGENDA diuisione.

Quia narratio continua probationis propositio est, ex narratione certa colligenda est sententia, quæ est probanda. Nam Rhetores narrationi diuisionem subijciunt, quæ eorum de quibus dicturi sunt propositio est. Vt in oratione pro lege Manilia hæc diuisio colligitur ex narratione: Primum

mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, Tum de imperatore eligendo, esse dicendum.

DE GENERIBVS DIuisionis.

Alia diuisio fit per seiunctionem, qua sic exponimus quid nobis conuenit cum aduersario, vt quid in controuersia sit seiungatur hoc modo. Cultum Deo præstandum esse, conuenit nobis cum Papistis, sed an sit colendus humanis ritibus, in controuersia est. Alia per distributionem, qua exponimus quibus de rebus dicturi sumus, qualis est illa, quam modo adduxi ex Cicerone.

DE MODO DIVISIONIS.

Hic obseruandum est, tria esse, quæ debeat habere laudanda diuisio, breuitatem, absolutionem et paucitatem. Breuitas facit vt nullum nisi necessarium verbum assumatur. Absolutio vt omnia quæ in causam incidunt genera complectatur. Paucitas vt genera solum rerum, de quibus dicturi sumus ponantur: quæ genera suis locis inter dicendum sunt arte diuidenda, quemadmodum præscriptum est in Methodo diuisiua. Breuitas rursus iuuat memoriam auditorum, placetq́; summis Oratoribus, vt quatuor membra non excedat. Deinde & hoc obseruandum est, quod oporteat ita in omni genere diuidere, vt ex

vnoquo-

vnoquoq; diuiſionis membro, vel ipſe finis orationis, vel quæ finem conſequantur palam appareant, vel ex omnibus diuiſionis partibus quod intendimus concludatur, niſi hoc impediat diuerſarum rerum concurſus in eadem oratione.

DE ORDINE PARTIVM diuiſionis.

Si membra diuiſionis fontibus diſcreta ſunt, nihil refert quo ordine collocentur. Verum ſi ad eundem finem membra diuiſionis pertinent, generalia prioribus locis ſunt collocanda, id quod ſemper obſeruaſſe Ciceronem monet Trapezuntius. Breuiter vel conſequentiæ rerum, vel temporis ordo obſeruandus eſt.

METHODVS CONfirmationis.

Re propoſita, loci dialectici conſulendi ſunt, quẽadmodum in probabili Methodo fuſius explicatum eſt. Deinde delectus habendus eſt, vt ea quæ plus virium habent, præcipue notentur. Tertia cura eſt diſpoſitionis argumentorũ, in qua diſpoſitione hic ordo placet Oratoribus, Vt primo & vltimo loco collocentur firmiora, in medio, quæ numero potius quam pondere valeant. Deinde prudentia adhibenda eſt, vt ita argumenta diſtribuantur, vt ab vno ad aliud facilis ſit tranſitus, quò ipſa oratio continuis quaſi neruis cohæreat.

reat. Vtile & hoc interdum fuerit, facta diuiſione & initio tractationis membrorum, ſingulis membris congeriem quandam rationum ſubiungere per enumerationem, & poſtea eaſdem rationes, vt in enumeratione propoſitæ fuerint, pertractare, quemadmodum Cicero in oratione pro lege Manilia fecit. At vbi non placet exponere hanc argumentorum congeriem, licebit ordine vnam principalem rationem poſt aliam pertractare, ita tamen vt firmiores in prima & extrema collocentur acie, vt ſupra monui.

METHODVS CONFVtationis.

Iuſtæ confutationis quatuor ſunt partes, Propoſitio, Sublatio, Oppoſita propoſitio, Solutio. Propoſitio eſt ſublationis pollicitatio. Sublatio eſt ipſa aduerſariorum propoſitio. Oppoſita propoſitio, eſt ſolutionis pollicitatio. Solutio eſt confirmatio τῆς ἀντιπροτάσεως. *Eraſmus tale exemplum dedit. 1. Nec me clam eſt, quid callidiſſimus ſenex calumnietur. 2. Non debuiſſe me contra pactionem decedere. 3. Verum id quam friuolum ſit, non eſt difficile oſtendere. 4. Ridicule enim mihi pactionem allegat, quam ipſe prior ſoluit. Numerus oſtendit membra confutationis. Eſt & hoc in confutatione obſeruatu dignum, quod monet Trapezuntius, ſolutionem debere*

bere fieri vel per violationem ſeu inuerſionem, vel per inficiationem, vel per inſtantiam, vel per violentiam & inſtantiam ſimul.

METHODVS PERorationis.

Iuſta Peroratio conſtat tribus partibus. Repetitione principalium argumentationum, Amplificatione & Affectibus. Exempla paſſim in orationibus Ciceronis occurrunt.

ECCLESIASTES SIVE METHODVS CONCIONATORIA, AVTORE Nicolao Hemmingio.

PRÆFATIO IN LIBRVM SECVNDVM.

ARtificem omnem instructam esse oportet præceptis, quorum admonitione regatur & mens & manus in agendo. Nam tametsi sæpe accidit, rudes artium aliquid simile artificibus facere: tamen & certius & expeditius agit artifex, vt qui causas cur ita agat cernat, ac εἰδέαν quandam operis apud animum constituat, antequam manum operi adhibeat. Huc facit quod sagax natura ad operis cuiusque absolutionem requirat δύναμιν, ἕξιν, ἐνέργειαν, ἔργον. δύναμις enim facit, vt assuefieri possit. ἕξις præceptis gubernatur, & crebris actionibus absoluitur. ἐνέργεια regitur habitu, vnde quartum emergit

opus

opus, hoc est τὸ ἔργον. Ad eundem modum qui Theologus futurus est, instructus esse debet præceptis monstrantibus certam rationem tradendi & discendi dogmata, quorum vsus mentem & vitam in pietate conseruet. Longe enim falluntur illi, qui ista intolerabili contumelia sacrum Dei verbum afficiunt, quasi citra omnem rationem & ordinem in eo omnia misceantur. Cum tamen in omnibus rebus à Deo conditis admirabilem quandam œconomiam & ordinem conspiciant. Siue enim sursum oculos tollant, siue deorsum despiciant, omnia vident ornatissima, quicquid est confusionis & ataxiæ, id totum ex malicia & peruicacia Diaboli & hominum prouenisse certum est. Quare vt in omnibus rebus à Deo conditis ordinem videmus pulcherrimum, ita etiam in sacra Theologia eundem esse nequaquam dubitandum est, quem qui obseruat, multo celerius ad frugem perueniet, quam qui confuse omnia miscet & confundit. Porrò hæc ordinis obseruandi ratio, aptissima Metaphora Methodus dicitur. Quemadmodum

enim qui viam certissimam sequitur, facilius peruenit quo vult, quam is qui per aquas, montes, saltus, præcipitia, magno ac difficili labore eodem contendit. Sic veluti in reliquis scientijs, ita & in Theologia citius peritiam consequetur, qui Methodum tenet, quam qui magno labore citra ordinis rationem in lectione Bibliorum defatigatur, vt interim taceam huiuscemodi labori maximum fastidium coniunctum esse. Cum contra amans ordinis, summa cum voluptate idem faciat. Hinc est quod non inepte veteres definiant Methodum certam tradendarum rerum rationem & viam, qua celerrime ad peritiam deueniatur.

Quapropter constitui Methodum Theologicam conscribere, in qua rationem & interpretandi scripturam, & formandi sacras conciones complectar, quorum prius faciet, vt facilius alios interpretes intelligamus, & ipsi interpretandi formas teneamus, quas sequi vtile erit. Posterius vero, vt citra garrulitatem, dextre & copiose

piose de re proposita disserere in cœtu Ecclesiastico valeamus.

Verum priusquam ad has partes explicandas accedam, operæprecium fore iudico, paucis vniuersæ scripturæ Ecclesiæ diuisiones quasdam recensere, vt cum partes scripturæ obseruentur facilius, tum vsus singularum partium in interpretandi formis ac concionibus conspiciatur apertius.

DIVISIO SACRAE SCRIPTVRAE.

Diuiſio ſacræ ſcripturæ alia ab alijs autoribus traditur, neq; id abſurdum cuiquam videri debet. Nam & earundem rerum interdum plures ſunt differentiæ, pro quarum diuerſitate diſcrimina diuiſionum ſumi poſſunt, & autores diuiſionum formas conſtituere tales conſueuerunt, quæ ſuo propoſito potiſſimũ ſeruire videntur. Quare cum varie diuidatur ſcriptura, ordine recitabo præcipuas ſcripturæ diuiſiones, & earum vſum ſubijciam, quo conſpiciatur huius varietatis vtilitas.

DIVISIO PRIMA.

Vulgatiſſima ſcripturæ diuiſio hæc eſt, quod in vetus & nouum inſtrumenta diuidatur, quæ coniuncta Græca appellatione Biblia nominantur, idq; κατ᾽ ἐξοχὴν, *ſiue Antonomaſian. Hæc Biblia ideo inſtrumenta dicuntur, quia ſunt organa quædam per quæ diuina voluntas, ſeu verbum Dei nobis affertur & innoteſcit. Epitheta vetus & nouum, à circumſtantijs temporum deſumta ſunt. Vetus quidem quod prius erat tempore, Nouum vero quod poſterius. Verum ſi quis à fœderum diuerſitate hoc diſcrimen deſumtum exiſtimat, non magnopere refert, prior tamen ratio verior eſt & accommodatior. Cæterum qui veteris &*

noui Teſtamenti appellationes libris accommodant, καταχρηστικῶς voce Teſtamenti vtuntur.

SVBDIVISIO.

Vetus inſtrumentum à Iudæis dicitur eſrim veorba, idq; à numero librorum, Nam 24. indubitatæ autoritatis recipiunt libros, quos in quatuor partes, ſiue claſſes digerunt.

Prima ab illis Thora, id eſt lex ſeu doctrina dicitur, & continet libros quinque, nimirum Geneſin, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomion, quos ſimul Græci πεντάτευχον nominant.

Secunda pars ab his reſchonim nebijm, id eſt Prophetæ priores, & hæc pars quatuor libris, nimirum Ioſue, Iudicum, Samuelis, & Regum abſoluitur.

Tertia pars eſt acharonim nebijm, id eſt Prophetarum poſteriorum, & continet quatuor libros, Eſaiam, Ieremiam, Ezechielem & librum duodecim Prophetarum, quos minores appellant, vt ſunt Oſee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Baruch, Sophonias, Hageus, Zacharias, Malachias.

Quarta pars eſt chetubim, id eſt ſcriptorum Hagiographorum, & continet vndecim libros, Paralipomena, Pſalterium, Prouerbia Salomonis, Iob, Ruth, Eccleſiaſten, Threnos Ieremiæ, Canticum Canticorum, Eſter, Daniel, Eſdram,

&

& Nehemiam, quorum poſtremi duo pro vno reputantur. Atq; ita habemus libros veteris inſtrumenti indubitatæ autoritatis 24. in quatuor claſſes digeſtos. Cæterum præter hos libros habent ἀπόκρυφα, vt vocant, id eſt ſecreta ſeu abſcondita, ideo ſic dicta, quia non producebantur in lucem ad confirmanda dogmata. Huius generis ſunt, Ieſus Syrach, Iudit, Tobias, libri Machabæorum, Sapientia Salomonis, Baruch Ieremiæ ſcriba. Atq; hæc eſt veteris inſtrumenti iuxta Hebræos & Græcos diuiſio.

Nouum autem inſtrumentum diuiditur in quatuor partes. Prima continet quatuor Euangeliſtas. Secunda, Acta Apoſtolica. Tertia, viginti vnam Epiſtolas Apoſtolorum, Pauli quatuordecim, Ioannis tres, Petri duas, Iacobi vnam, & Iudæ vnam. Quarta pars, Apocalypſin Ioannis. Porrò omnes hi noui inſtrumenti libri in Canone ſunt præter Epiſtolas, ſecundam Petri, ſecundã & tertiam Ioannis, & Epiſtolas Iacobi et Iudæ cum Apocalypſi. Nonnulli etiam Epiſtolam ad Hebræos extra Canonem ponunt.

Iam pauca adijcienda videntur de vſu memoratæ diſtinctionis. Parum enim prodeſt accurate diſtinguere, niſi quid inde capias vtilitatis animaduertas. Prodeſt igitur primum hæc diſtinctio, ad recte iudicandum de ſacrorum voluminum autoritate. Omnes enim veteris & noui inſtrumenti libri indubitatæ ſunt fidei, adeoque

valent

valent ad confirmanda dogmata, præter ea quæ dixi appellari ἀπόκρυφα, quæ quidem cum fructu legi possunt, sed in disputationibus de dogmatibus non sunt adhibenda. Soli enim illi libri indubitatæ sunt autoritatis, qui Mosi, Prophetis, Euangelistis, Apostolis vere tribuuntur. Quare cum de autoribus Apocryphorum dubitauit primitiua & purior Ecclesia, recte reijciuntur, quando aduersus scripta Prophetica & Apostolica producuntur ab aduersarijs. Est & alia vtilitas huius distinctionis. Prodest enim ordinem librorum habere certum, vt studiosi partiri possint lectionem Bibliorum in certa tempora, prout commodum ipsis ad libros sacros discendos videatur. Tertia vtilitas est, vt ratio certa haberi possit (siue concioneris, siue in scholis sacra scripta interpreteris) citandi siue allegandi testimonia scripturæ, vt locus testimonij quasi digito monstretur, nominato autore scripti, & capite libri.

SECVNDA DIVISIO.

Scholastici Theologi cum veteris tum noui instrumenti libros secant in Legales, Historicos, Sapientiales & Propheticos. vt veteris instrumenti, Legales, sint quinq; Mosi libri. Historici libri, Iosue, Iudicum, Ruth, libri Regum quatuor, Iob, Machabæorum libri duo. Sapientiales, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Prophetici, septen-

tendecim Prophetæ ſupra enumerati. Ad hunc quoq; modum, vt magis illorum inſcitia appareat, noui inſtrumenti libros diuidunt, vt legales ſint quatuor Euangeliſtarum libri, Hiſtorialis ſit liber Actorum Apoſtolorum, Sapientiales ſint Epiſtolæ Apoſtolorum 21. Prophetalis ſit Apocalypſis Ioannis. Hæc diuiſio nullo colore excuſari poteſt. Eſt enim prorſus abſurda, quatenus libris ab ipſis accommodatur: Verum ſi rebus accommodarent hanc ſuam ſubtilem diuiſionem, quemadmodum veteres feciſſe exiſtimo, toleranda forte eſſet: Sed quia manifeſte falſa eſt, prout libris accommodatur, nolo in re aperta longiorem confutationem inſtituere.

Porro vſus huius diuiſionis prout rebus accommodatur, fortaſſis hic eſſe poterit, vt diſcentes inter legendum, prudenter inter hiſtorias, leges & Prophetias, & ſapienter dicta, id eſt gnomas, diſcernant.

TERTIA DIVISIO.

Vniuerſa ſcriptura, ſi res ſubiectas conſideres, commodiſſime diuiditur in hiſtoriam & doctrinam: quæ duo diligens lector ſtudioſe quæret in ſacrorum librorum lectione.

Eſt autem hiſtoria duplex, vetus & noua. Vetus quidem continet hiſtorias omnes inde vſq; à principio creationis rerum, vſq; ad conceptionem Domini, ſeu initium Euangelicæ hiſtoriæ.

Hæc

Hæc historia initium ducit (vt dixi) à prima rerum conditione, & continuatur vsq; ad Cyri monarchiam. Postea sequuntur hebdomadæ Danielis, vsq; ad Christum occisum. Porrò annorum computationem in hos versiculos memoriæ gratia redegi, quos subijciam:

M.D.C.L.V.I. post Adam mundus inundat.
Post vndas ad Abram, ducent nonaginta duoq;.
Exodus hũc sequitur quingẽtos quinq; per annos.
Exodus ad Babylon, nongent decemq; recenset
Post Babel ad Christum, D, & L. tribus X. datur vnus.

Hos annos si coniungas, habebis ter mille nongentos & quadraginta quatuor annos à conditione rerum vsq; ad Christum exhibitum, quem numerum his versibus complecti soleo:

Ter mille et nongẽt, quater X. duo bis numerãtur.
Christus adest nobis, gloria, vita, salus.

Porrò noua historia ab Euangelistis describitur. hæc de conceptione, natiuitate, circumcisione, oblatione, exilio, disputatione, baptismo, ieiunio, tentatione, doctrina, miraculis, morte, resurrectione & ascensione Christi in cœlum, Item de donatione Spiritus sancti in die Pentecostes, & de Ecclesia primitiua & eius persecutionibus instituitur. Ad hæc enim capita noua historia reuocabitur. Atque hactenus de historia.

Doctrina spargitur per omnes libros veteris & noui instrumenti, & diuiditur in doctrinam

rerum & signorum. Rerum deinde doctrina in Legem & Euangelium. Signorum doctrina continet ceremonias & Sacramenta, de quibus copiosius non est hic dicendi locus. Verum usus huius distinctionis non est simplex. Historia enim sacra, speculum vitæ Christianæ esse debet. Nam continet plurima veræ pietatis, confessionis, fidei, tolerantiæ, vocationis &c. exempla, recenset præmia & pœnas obedientiæ & inobedientiæ erga Deum, plurima testimonia de Deo continet.

Doctrinæ vero distinctio, facit, ne temere cum Papistis legem & Euangelium confundamus, qui Euangelium nouam legem somniant, sed falluntur. Non enim aliud docent Prophetæ & Apostoli, quam Moses, tametsi in modo tradendi maxima est diuersitas. Moses etenim doctrinam à Deo et Patribus tanquam per manus traditam scriptis commendat, quæ perfectum Dei cultum continet, Sed obscurior est Prophetis. Prophetæ Mosis sunt interpretes. Nam quod Moses quasi aphorismis quibusdam notat, Prophetæ integris concionibus explicant. Sed quia quod Prophetæ prædixerunt, id Apostoli coram viderunt, facti sunt Apostoli clariores adhuc Mosis et Prophetarum interpretes. Hoc discrimen qui obseruat, maiori cum fructu Mosis, Prophetarum & Apostolorum scripta leget. Quo autem loco sint habendi Apostolorum discipuli, & alij sancti scripturarum interpretes, dicam infra, vbi de formis interpretandi agetur.

QVAR-

QVARTA DIVISIO.

Est & alia diuisio à Græcis tradita minime prætereunda. Verbum enim Dei salutem hominibus afferens, diuiditur in προτρεπτικὸν, γνωστικὸν *&* πρακτικόν.

Ad προτρεπτικὸν *pertinent hortationes, consolationes, minæ, obiurgationes: quæ omnia sunt incitamenta quædam ad verbum audiendum, amplectendum, eiq; obtemperandum.* γνωστικὸν *cognitionis pars est, quæ cultus Dei, Legis, Euangelij & Sacramentorum scientiam continet, cuius Epitome est* κατήχησις. *Postrema pars ad actionem pertinet. Nam cognitionem sequi oportet obedientiam cordis & vitæ innocentiam. fides enim, vt Paulus inquit, debet esse* ἀνυπόκριτος, *& efficax per charitatem. Hæc diuisio eò pertinet, vt sacræ scripturæ vsum scias. hoc est, vt hortanti obtemperes, docenti credas, & secundum ea quæ credis agas. Dignus enim (quemadmodum Agapetus inquit) Deo is est, qui nihil indignum Deo agit: sed sentit quidem quæ Dei sunt, loquitur vero quæ sentit, & facit quæ loquitur.*

DE FORMIS ENARRATIONVM.

DIcturus de enarrationum formis, quatuor ordine expediam, quibus præsidijs instru-

ctus esse debeat futurus utilis interpres, quæ sint enarrationum causæ, quæ interpretandi genera, quisque commentariorum usus.

PRAESIDIA INTERPRETIS.

QVOD utilis interpres instructus esse debeat liberali doctrina, & potissimum cognitione artium dicendi, nemo est qui dubitare potest. Quare ad alia quædam præsidia, quibus cauetur ne interpres à pietate aberret, me conferam. In mysterijs itaque sacris tractandis, quadruplex potißimum cura illi incumbit, qui se ab errore liberum, & ab Hæreticorum imposturis securum esse cupit. Prima sit cura, quærere Deum voluntatemque ipsius in scriptura cum timore & humilitate, ut ipsum vere agnoscat in Domino nostro Iesu Christo. Altera sit cura, sacrum Dei verbum pro regula habere. Hæc cura coniuncta cum superiore, faciet ut sine arrogantia & φιλονεικία in scriptura verseris, & ne stulta temeritate efferaris, sed potius implores eius opem humiliter, quem in scripturis quæris fideliter. Facit & hæc altera cura, ne sis sollicitus de illis, quæ non sunt verbo Domini prodita. Contentus enim esse debes ea luce, quam Dominus sequendam monstrauit. Tertia sit cura, ut diligens accedat scripturarum collatio, ut appareat

Mosis,

Mosis, Prophetarum, Christi & Apostolorum consensus, vtq; in speciem pugnantes sententiæ, per collationem reconcilientur, diligenter obseruatis locorum circumstantijs. Hæc cura facit, ne temere arripias vnam aliquam scripturæ sententiam ad aliam oppugnandam, Vnde omnium Hæreticorum sectas ortas esse non est dubium: quod vt fiat apertius, exemplo declarandum est. Arrius audit filium dicentem: Pater maior me est. hanc sententiam arripit, & ad expugnandam Christi diuinitatem accingitur. Contra Manichæus, vt humanitatem Christi tollat, arripit dictum Pauli 1. Cor. 15. vbi Christus dicitur secundus Adam, de cœlo cœlestis. Rursus sunt qui diuinitatem agnoscunt, & humanitatem fatentur, sed duplicem personam in Christo faciunt, λόγον *& filium virginis. Osiander quia scriptum est, Iehoua est iusticia nostra, Iustificationem soli naturæ diuinæ adiudicat, quasi humanitas prorsus nihil faceret ad salutis beneficium. Stancharus contra, quia promißionis verbum est de semine mulieris, & Paulus dicit Iesum Christum hominem mediatorem, subtrahit diuinitati redemtionis beneficium, & soli humanitati attribuit. Hic si affuisset timor Domini & vera humilitas, & abfuisset* φιλονεικία *& superbia, facile ex collatione scripturarum de hisce mysterijs iudicassent. Quinta sit cura, omnem interpretationem ad* ἀναλογίαν

fidei referre, à qua si discrepat interpretatio, falsa iudicabitur. Contra si cum ea conuenit, etiamsi interdum à scopo & mente autoris erratur, tamen extra salutis periculum id fieri sciendum est. Sed quid est interpretationem ad ἀναλογίαν fidei reuocare? Est eam ita instituere, vt respondeat fidei primis axiomatis, vtq; ex illis quasi extructa esse videatur. Illa enim secundum ἀναλογίαν fieri dicuntur, quæ ex comparatione ad aliud fiunt; seu quando alia ex aliorum comparatione formantur. Vnde cum Paulus iubeat vt Prophetia, hoc est, interpretatio scripturæ debeat esse Analoga fidei, vult vt interpres respiciat ad religionis prima axiomata, quæ clara & perspicua sunt, de lege & promissionibus Euangelij, cum quibus omnis interpretatio conformari debebit. Quare Papistæ in huius dicti (si vis ad vitam ingredi serua mandata) explicatione, ab Analogia fidei discedunt, dum salutem per opera propria homines consequi, ex isto dicto concludunt. Pugnat enim hæc interpretatio cum claris ac perspicuis axiomatis, qualia sunt: Semen mulieris conteret caput serpentis. Item, Agnus Dei tollit peccata mundi. Item, Si ex lege est iusticia, Christus frustra est mortuus. Atque in hunc modum semper mens interpretis intenta esse debet in prima nostræ religionis axiomata, à quibus non patietur se auelli vlla Sophistica. Nã qui hanc ἀναλογίαν fidei, inter

preti

preti à Paulo commendatam contemnit, & aliunde petit contra fidei regulam interpretationem, is sciat se pœnas diuinitus luiturum. Sicut enim olim sub veteri Testamento ab igne altaris perpetuo tollendus erat ignis, quo sacrificia cremarentur: ita à perpetuo Dei verbo pendebit omnis scripturarum interpretatio. Et quemadmodum Nadab & Abiu thuribulis suis ignem alienum imponentes, quod illis præceptum non erat, à Domino puniti sunt: Ita Hæretici rationis figmenta & Philosophicas fraudes pro vera religione ingerentes, supplicio digni existimandi sunt. Atque hæc monuisse de præsidijs interpreti necessarijs satis est, Nunc quod secundo loco propositum est exequar.

INTERPRETATIONIS CAVSAE.

IN præfatione locorum Philippi Melanchthonis quatuor interpretationum causæ recitantur. Quarum prima est, vt intelligatur genus sermonis. Nam auditores siue lectores, non vbique intelligunt phrases alienæ linguæ, imo doctißimi interdum homines plurimum in hac palæstra desudant. Plerunque enim contingit, vt oratio reddita alienæ linguæ verbis, respondentibus quidem in significatione, non tamen in vtraque lingua eundem retineant sensum, idque pro-

pter Dialecti, seu phraseos varietatem. Ne igitur hic fallamur incauti, opus est sæpe perito interprete. Secunda causa, est iudicatio ordinis rerum. Nam qui non tractationis ordinem animaduertit, eum sæpe hallucinari certum est, vt qui ex Paulò citant contra iusticiam fidei hoc dictum: Non auditores legis, sed factores iustificabuntur. Hic si tractationis ordinem obseruassent, vidissent Paulum eo loco minime concionatum fuisse de iusticia operum, videlicet quod homines operibus iusti constituantur coram Deo, cum ibi Paulus instituat huius opinionis contra doctrinam fidei confutationem. Opus est ergo interprete, qui ordinem & ordinis partes dextre monstrare poterit, cuius rei vtilitas maior est, quam vt paucis verbis indicari poßit. Tertia causa esse debet testimonium veræ interpretationis. Nam cum auditores animaduertunt interpretationes ex verbo Dei peti, et vident consensum verbi Dei & purioris Ecclesiæ cum interpretatione, magis amant doctrinam & auidius discunt. Quarta causa, est confutatio falsarum opinionum, ne Hæreticorum venenis discentes inficiantur. Hæ causæ satis magnæ sunt, propter quas Deus vult in Scholis & in templis ministerium verbi conseruari.

INTERPRETANDI GENERA.

Ta-

TAMETSI ex ijs quæ dixi de causis interpretationum, vtcunque intelligi possunt interpretandi genera, tamen quia prodest ea distincta habere, volo de ijs quam possum maxime perspicue dicere, quemadmodum superius pollicitus sum. Quadruplicem itaque formam enarrandi sacra animaduerti, legens variorum scriptorum commentaria.

GRAMMATICVM INTERPRETANDI GENVS.

Quidam parum solliciti de tractationis Methodo, voces tantum & phrases familiari & clariori modo explicant, quod interpretandi genus, quia constat Grammatica quadam exegesi, vocetur Grammaticum. Hoc genus secuti sunt Athanasius, Theophylactus, Ambrosius & multi alij. Est profecto laude dignum, quod tanti viri, qui copiose & eleganter disputationes longas ac orationes de singulis instituere potuissent, tamen se ad Grammaticos dimiserunt. Sciuerunt enim inde veram sententiam petendam esse. Porro huius generis interpres liberali doctrina instructus esse debet. Primum enim ipsum habere oportet cognitionem eius linguæ, qua vsus est scripti autor: nisi malit alienis quam suis oculis videre. Et si non conceditur absoluta cognitio, tantam tamen esse oportet peritiam, vt linguas illas tres inter se conferre possit, Hebræam,

Græcam & Latinam. Nam his tribus linguis opus eſt interpreti Theologo, quarum collationem plus prodeſſe animaduertit ſtudioſus, quam magnorum hominum prolixa commentaria. Deinde vt dextre explicet, quod recte intelligit, neceſſaria eſt Dialectica, quæ ſæpe Grammatico interpreti manus auxiliatrices porrigit. Iuuabitur etiam non parum Commentarijs de copia, vnde diſcet varias eiuſdem ſententiæ reddendæ formas.

DIALECTICVM INTERPRETANDI GENVS.

Alij, cum vident in omnibus rebus ordinem primas tenere partes, Methodum tractationiſque ordinem quærunt ac monſtrant, oſtendunt quæſtiones, argumenta, collationem, ad certa capita ſeu locos communes, tanquam conſultationes, ipſas hypotheſes reuocant breuiter. Hæc cura huius generis interpreti potiſsima eſt, vt omnia aperte & diſtincte proponantur ac declarentur. Verum quoniam hoc genus in ſcholis vtiliſsimum eſt, breuiter oſtendam viam, quam tuto interpres in hoc genere ſequi poterit, quod vt fiat apertius, totam rem in quatuor Canones includam.

CANON PRIMVS.

In principio prælectionis alicuius ſacri ſcripti, omnium primũ de doctrinæ genere dicat oportet, idq; hoc ordine (vt mihi videtur) fieri poteſt commode.

mode. Primum, quale ſit doctrinæ genus explicet, vnde in commendationem delabi poteſt. Secundo, autoritas oſtendatur. Tertio, quæ ſit certitudo & vnde petenda, ſignetur. Quarto, quæ neceſſitas. Quinto, quæ vtilitas & fructus proueniat inde ad auditores, monſtretur. Hæc quinque capita in principio alicuius libri ſacri vtiliter explicantur, meo quidem iudicio, nec improbo, ſi his vel alia adijciat, vel aliqua ſubtrahat, modo ne auditores fallat, qui cum diſcunt, Methodum imitationis etiam auide quærunt.

CANON SECVNDVS.

Vbi autem iuxta primum hunc Canonem generatim dictum eſt de doctrinæ genere, commode fit deſcenſus ad hypotheſin, hoc eſt, ad particulare ſcriptum, quod explicandum proponitur: in quo loco hæc neceſſario ei, qui Dialecticum interpretandi genus ſequitur, dicenda ſunt. Primum quis qualisq; ſit ſcripti autor, vnde autoritas ſcripti dependet. Secundo quæ fuerit ſcribendi occaſio, cuius obſeruatio ad intelligendum tractationis ordinem facit. Tertio quis ſit ſtatus, ſeu quæſtio principalis, vna ne an plures, vnde de genere cauſæ iudicabitur, & totius ſcripti conatus, hoc eſt finis & ſcopus vltimus deprehendetur. Quarto quæ ſit præſentis ſcripti Methodus, ſeu (quod idem eſt) quis ſit tracta-

tionis ordo : qui nisi teneatur, parum aut nihil profuerit docentis labor.

CANON TERTIVS.

In omnibus scriptis Propheticis & Apostolicis diligenter obseruandum est, quod dum docent, sæpe dilabantur in monitiones, reprehensiones, laudationes, minas, consolationes &c. quibus accommodant doctrinam auditoribus, eosque extimulant ad doctrinam suscipiendam. hoc qui non attendunt, tractationis ordinem obseruare nec possunt ipsi, nec alijs viam recte monstrare. Sed de hoc canone plura dicam infra, vbi agetur de tractatione copiosa locorum communium.

CANON QVARTVS.

Explicatio singulorum capitum commode fieri potest hoc ordine. Primo loco in summariam quandam comprehensionem totum caput contrahatur, quod dextrè nemo nisi Dialecticæ peritus facere potest. Nam quæ speciatim & per partes dicta sunt, ad genera & tota reuocabit, quæ accessoria sunt, abscindet. Non rerum omnia argumenta adhibebit, sed summa rerum contentus erit, detractis omnibus quæ amplificationis, aut diductionis rerum causa addita sunt. Secundo ordinem capitis ostendat, monstrando, quomodo cum præcedentib. (si aliquid præcessit) cohæreat, partes maiores signet, & quomodo conse

quuntur admoneat. Tertio loco ſequatur exegeſis textus, notentur loci communes, vt ad vſum omnia conuerti poßint. Sed inuentionis locorum ratio tradetur infra, vbi de locis concionatorijs agetur, nunc ſufficit quid factu opus ſit breuiter oſtendiſſe.

ORATORIVM INTERPRETANDI GENVS.

Eſt & Oratorium interpretandi genus in templis & ſcholis vtilißimum, in quo maxima quæque ingenia ſe exercuerunt, vt Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & multi alij Græci & Latini. Hi enim quæſtiones ſingulas fuſiori oratione explicant, Rhetorum more, qua de re rurſum dicendum, vbi ad locorum communium tractationem ventum fuerit.

MIXTVM INTERPRETANDI GENVS.

Mixtum interpretandi genus eſt, cum interpres vel ſuperiora omnia miſ[illegible], vel quædam ex ipſis coniungit, quod non pauci noſtro ſeculo magno cum fructu faciunt, in quorum numero facile princeps eſt Philippus Melanchthon, hunc ſequuntur præclariſſimi viri Bucerus, Caluinus, Brentius, Beza, & alij multi.

COMMENTARIORVM VSVS.

MVLTI abutuntur commentarijs, dum perpetuo in illis desudant, parum aut nihil textum Biblicum morantes, qui perinde faciunt atque is, qui aliquo profecturus, in itinere perpetuo morandum constituit. Sunt enim commentaria instar statuarum Mercurialium. Nam quemadmodum hæ collocantur, vt monstrent viatoribus rectum iter, ne aberrent, Sic commentaria manu ducent lectorem inexercitatum: quibus non perpetuo vtetur, sed quemadmodum viator statuis Mercurialibus. Has enim non aspicit viator, vbi viam iteratis crebris profectionibus pernouit. Hic primum admonetur interpres sui muneris, nimirum vt cogitet se debere viam monstrare auditoribus eamq; expeditissimam, & non impedire properantes. Deinde & hinc patet, quo in loco habendi sunt discipuli Apostolorum, & eorum successores scripturarum interpretes. Hi enim omnes sequendi sunt, quatenus habent præeuntem scripturam Propheticam & Apostolicam. at si quando ab hac aberrant, agnoscamus nostram communem in lapsum facilitatem, & precibus sollicite Deum precemur, ne sinat nos in perniciosos errores prolabi.

RA-

RATIO FORMANDI SACRAS CONCIONES.

METHODVS concionatoria est certa via ac ratio, monstrans rationem sacras conciones formandi. Et quoniam ea quæ necessario in Ecclesia proponenda sunt, non sunt vnius generis, nec vna forma tradi possunt, perutile fuerit primum concionum genera, deinde rationem, qua singula cum fructu tractari poßint, ostendere, vt futuris sanctißimi ministerij verbi (quo nullum est augustius, nullum sanctius) ministris, præscripta sit quædam compendiaria ratio formandarum concionum, quam ipsi vsu & exercitatione confirmatam, præceptis Dialecticorum & Rhetorum augere poterunt. Non noua fingo præcepta, sed communes Dialecticorum & Rhetorum regulas ad certam materiam accommodo, & vsum doctorum hominum, quos concionantes audiui, præceptis astringo, vt facilior sit imitatio: quæ profecto parum erit firma, nisi præceptis iuuetur, quemadmodum supra in præfatione dictum est.

GENERA CONCIONVM.

PRIVSQVAM ad genera concionum accedam: breuiter partes attingam, quæ commode quatuor numerari possunt. Exordium, Tractatio, Digressio, Peroratio.

EXOR-

EXORDIVM hoc loco eſt ingreſſus concionis poſt inuocationem & recitatam ſacram lectionem, quæ tractanda proponitur. Hoc commode ſumi poteſt ab occaſione, interdum ab alijs circumſtantijs. Et ita inſtituatur, vt ſit ceu via quædam, ad eam rem quam tractaturi ſumus. Sit modeſtum, ſit breue, ſit graue, vt auditores beneuolentia conciliet, docilitate excitet, attentione retineat.

TRACTATIO variat pro thematum diuerſitate. Ex quo fit vt aliâs diuiſione & expoſitione ſit contenta: cum videlicet thema ſimplex ſit (Diuiſio, eſt oratio, per quam, quibus de rebus dicturi ſumus, breuiter enumeramus. Hæc commendatur breuitate, abſolutione, paucitate: de qua conſulantur rhetorum præcepta. Expoſitio, eſt oratio, qua diuiſionis partes exponuntur. Et eſt triplex, ſynthetica, diæretica, & analytica, de quibus infra copioſe dicetur. Hæc expoſitio interdum ſimplex eſt, videlicet cum nulla argumenta adhibentur: interdum mixta, cum admiſcentur partium expoſitionis rationes) Aliâs, cum diuiſione requirat confirmationem partium diuiſionis, & refutationum ſententiæ aliorum pugnantis cum noſtra ſententia. idq; quoties thema compoſitum fuerit. Prudentia concionatoris facile iudicabit quando confutatio præcedet confirmationem, & quando ſequetur. Præcedat neceſſe eſt, quando errore animi auditorum præoccupati

cupati sunt. Non enim capaces esse possunt veritatis, priusquam ab errore vindicati fuerint.

DIGRESSIO, est oratio, qua accommodatur doctrina auditoribus, consolando, obiurgando, terrendo, monendo. In hac principium, finis, & locus præcipue spectentur: principium, vt ex doctrina sponte fluere videatur: finis, vt coëat & coalescat cum doctrina sequente, si qua doctrina explicanda reliqua fuerit: locus, vt in fine cuiusque membri diuisionis seu partitionis adhibeatur, ne discentium iudicium, interruptione doctrinæ interturbetur, plura de digressione infra dicentur.

PERORATIO est conclusio tractationis. Hæc & summas rerum quæ tractatæ sunt, breuiter repetat, et animos auditorum excitet commendatione doctrinæ explicatæ & vsus indicatione. Iam ad explicãda concionum genera accedamus.

Est itaque in vniuersum duplex concionandi genus. Vnum didascalicon. Alterum parænеticum.

DIDASCALICON quidem est simplicium locorum, eorumque tum personarum, tum rerum, & coniunctorum locorum thesium & hypothesium.

PARÆNETICVM vero triplex est. Suasorium, obiurgatorium, & consolatorium. Potest autem hæc diuersitas concionum probari, Primum à diuersitate auditorum, quibus concio

accom-

accommodabitur. Nam aut rudes sunt prorsus & sunt docendi: quo primum genus pertinet, aut non sunt rudes, sed vel pusillanimes, & sunt consolationibus erigendi, vel pigri & sunt stimulis incitandi, vel sunt contemtores, & sunt minis castigandi. Ad hos quadruplices auditores, omnes conciones Christi diriguntur. Alias enim docet ignaros cupientes discere, alias consolatur & erigit pusillanimes, Nunc tardiores inhortatur, interdum prophanos minis territat. Exempla passim in Euangelica historia obuia sunt. Deinde idem comprobatur ab vsu scripturæ sanctæ. Nam 2. Timot. 3. sic scribit Paulus: Omnis scriptura diuinitus inspirata, est vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia, vt integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Hic quadruplex vsus scripturæ indicatur, idq; quatuor vocibus, quæ sunt: διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδία. διδασκαλία primo genere, nempe Didascalico tractanda est. ἔλεγχος obiurgationem habet. ἐπανόρθωσις est cum lapsus erigitur & stabilitur, quod consolationibus fieri manifestum est. παιδία puerorum est institutio, cuius potissima pars, ad recta & honesta suadere, & ab iniquis & turpibus dissuadere. Conuenit itaque nostra distinctio cum auditorum varietate, Christi exemplo, & Pauli traditione. Verum quoniam auditores in publicis cœtibus mixti

mixti sunt, fit vt Prophetæ, Christus, Apostoli, atque adeo omnes pij ministri verbi, plerunque ex doctrina extruant consolationes, suasiones & obiurgationes, quas vis doctrinæ quasi adiunctas habet, quemadmodum superius dixi fieri in Prophetarum & Apostolorum scriptis, quorum exempla pios ministros decet sequi in formandis concionibus. Nec ideo nostra distinctio est improbanda, quæ ad rerum tradendarum naturam pertinet, docetq; quæ sit ratio obseruanda in concionibus formandis, tametsi interdum ea, quæ nominaui tanquam accessoria digressionis schemate accommodantur: quod qui non obseruant, nec poterunt suas recte formare, nec aliorum conciones iudicare, memoriaq; tenere. Quare concionum genera distinguantur, & quæ adduntur recte extruantur.

DE GENERE DIDASCALICO.

DIDASCALICA concio est, cuius finis est ignorantem docere auditorem. In hoc concionis genere pius concionator totos neruos intendet, vt ipse prius rem docendam exacte cognitam habeat: Deinde vt eiusdem plenam œconomiam formet apud sese: tum vt eam explicet plana & populari oratione, habita ratione non suæ laudis ob eloquentiam, sed potius gloriæ Dei

promouendæ, & captus præsentium auditorum: quod si fecerit, sperare potest, vt auditor non amplius fluctuet opinionibus, sed doctrinæ veræ & perspicuæ acquiescat.

Quoniam autem Didascalica concio duplex est, quemadmodum supra in diuisione admonui, nimirum simplex siue simplicium locorum, & coniuncta siue coniunctorum locorum, postulat docendi ratio, vt primo loco de Didascalica simplici dicatur. Sed quoniam Didascalica simplici nunc personæ, nunc res tractantur, de personarum tractatione primum dicendum videtur.

DE DIDASCALICA SIMPLICI PERSONARVM.

DVPLEX est personarum tractatio, vna paradigmatica seu exemplaris, Altera epidictica seu demonstratiua. Nam si factum aliquod personæ proponitur, paradigma est: at si tota persona describitur, ἐπίδειξις, et demonstratio personæ existit.

DE PARADIGMATICA TRACTATIONE PERSONARVM.

Cum itaque proponitur persona aliqua ex sacris historijs, cuius tota vita non describitur,

ſed factum perſonæ aliquod producitur, idq; vel doctrinæ, vel imitationis, vel admonitionis gratia, paradigmatica erit tractatio. Hoc modo Paulus Romanis & Galatis proponit Abrahamum. Hoc modo Epiſtola ad Hebræos capit. 11. magnum Prophetarum ac Regum catalogum recenſuit. Abrahami facto fidei doctrina & natura docetur, imitatio commendatur, vocationis exercitia firmantur, & veræ pietatis fructus & opera. Pœnitentia Manaßis docet lapſos recipi. imitationis igitur cauſa vtiliter proponitur: admonet de miſericordia Dei tam immanem Eccleſiæ perſecutorem, ac tam impurum idololatram, ex mera ſua bonitate in gratiam recipientis. Verum hic occurrendum eſt ijs, qui ſæpe Sanctorum exemplis abutuntur. Sunt enim qui ſcelera ſanctorum imitari malunt, quàm virtutes, & ſe ſanctorum exemplis defendunt. Sunt etiam, qui ex factis ſanctorum perſonalibus, & extraordinarijs mandatis, male extruunt ſpeciem facti, et tanquam legem vniuerſalem commendant. Illi reſponſione digni non ſunt, Hij admonitione in viam reuocandi erunt. Tenere enim eos oportet diſcrimen, inter mandata ſeu præcepta pietatis communia et perſonalia, quæ tantum vel vnum populum, vel vnum hominem attingunt. Hebræi iuſſi ſunt, vt ſpoliarent Aegyptios. Abraham ex mandato Dei filium in monte Moria mactare in holocauſtum parat. Hæc perſonalia facta in ſpecie

non accommodanda erant, sed in genere tantum. Nam ab vtroque exemplo discenda est obedientia erga Deum in ijs, quæ à nobis suo verbo requirit. In hac quoque personarum exemplari tractatione, notum est Papistas & præcipue Monachos periculose errasse, qui nescio quos fictitios sanctulos in concionibus proposuerunt, eosque per totam vitam adeo inculpate vixisse finxerunt, quod nunquam vel in minimo impegerint. Huiusmodi ficta personarum descriptio, magis ad desperationem, quam ædificationem conscientiæ luctantis cum magnitudine peccati & iræ Dei, facit. Proponantur igitur vera exempla, ficta relinquantur Poëtis, & non ab ijs tractentur, qui œconomi mysteriorum Dei à D. Paulo appellantur. Sacra scriptura & vera historia suppeditet exempla, qualia sunt Abrahæ, Iob, Ioseph, Manasse, Magdalenæ, Latronis conuersi, & similium. Ex huiusmodi enim, non solum docere possumus auditores veram pietatem, verumetiam formam recte viuendi iuxta vocationis rationem. Meminerit itaque pius Ecclesiastes exempla vtilia pietati proferre, & non ea quæ ad desperationem facere videntur. Nunc tempus est, vt quæ dicta sunt, claro paradigmate declaremus. Et quia nullum Abrahami exemplo illustrius esse potest, illud examinandum proponam.

Paulus inquit: Credidit Abraham Deo, & impu-

imputatum est illi ad iusticiam. Hic Paulus exemplum Abrahæ potissimum doctrinæ gratia producit, & inde eruit, non solum firmam iusticiæ doctrinam, verumetiam naturam fidei, & qualis vitæ sanctimonia credentis personæ esse debeat, extruit. Ad hunc modum discamus ex imitatione Pauli duo obseruare in exemplis, factum videlicet in se, deinde circumstantias personæ & facti. Factum in se, docet iusticiam veram fide in promißiones Dei constare. Circumstantiæ personæ & facti de plurimis rebus admonent. Primum, quod circumcisio non necessario requiratur ad iustificationem. Est enim Abraham ante circumcisionem iustificatus, sed postea addita est circumcisio tanquam sigillum iusticiæ, quæ est ex fide. Secundo, profeßio vitæ Abrahæ ante iustificationem, testatur eum nullis meritis proprijs aut præparantibus operib. à Deo receptum, sed sola bonitate Dei. Tertio, quod iusticia fidei ad omnes promiscue pertineat, hoc Abrahamico exemplo indicatur. Est enim iustificatus Abraham antequam vllis notis externis discreti sunt homines. Ex hac circumstantia Prophetæ haud dubie conciones de uocatione Gentium extruxerunt. Quarto, quod ritus Mosaici non requirantur à iustificandis. Vt enim sine illis Abraham est iustificatus, ita qui eius exemplo iustificabuntur, eos non requirant ad iusticiæ complementum. Quinto, quod sine lege morali &

operibus in Decalogo præceptis contingat iustificatio. Nam si Abrahæ exemplo iustificamur, & is fuit iustificatus annis multis, id est, 430. ante legem, profecto fieri non potest, vt ex lege sit iusticia. Verum si quis obijcit legem moralem fuisse perpetuo, eaq; non caruisse Abrahamum, responsio facilis est, Nulla enim merces debetur operibus, nisi ex pacto Dei. Nam opera non sunt intrinseca dignitate meritoria, sed acceptatione Dei, & ratione pacti. firma stat igitur consequentia Pauli: Abraham iustificatus est fide promißionis, ante editum pactum de operibus, nimirum, qui fecerit ea homo viuet in eis, Ergo fide & non operibus est iustificatus. Sexto, quod vera & iustificans fides sit certa πληροφορία, quæ non rationis argumentis succumbit, sed certo statuit, eum qui promisit mentiri non posse, vtut tota rerum natura reclamare videatur, et quod fides habeat adiuncta bona opera & obedientiam erga Deum, quodq; nihil carius Christiano esse debeat, quam diuinæ voluntati obtemperare. Atque ita Prophetæ, pij Reges, Apostoli, atq; adeo omnes pij post Abraham, primum ab exemplo didicerūt veram iustificandi rationem: deinde ex circumstantijs personæ et facti, de rebus grauissimis admoniti sunt. Hoc pacto pius concionator exemplo Paulo applicet & alia exempla, tum in se, tum in circumstantiarum varietate, & semper in accommodatione meminerit respiciendum esse ad fidei analogiam.

DE EPIDICTICA PERSONARVM TRACTATIONE.

Epidictica personarum tractatio, totam vitam, adeoque omnes vitæ partes personæ alicuius pertractat, idque eo ordine, quo loci personarum in Erotematis Philippi recitantur. Est enim is ordo non solum naturalis, verumetiam dicenti & audienti commodus. Verum hoc in primis obseruandum est in Epidictica personarum tractatione, quod illa membra potißimum exornanda sint, ex quibus tria illa supra commemorata, Doctrina, Imitatio & Admonitio, peti possunt. Nam Paulus Rom. 15. de hoc accommodationis modo admonet, cum inquit: Quæcunq; scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, &c. Debent itaque huiusmodi membra ad totum Ecclesiæ corpus accommodari, quod fit vbi hypothesin ad thesin recte transferimus. Vt si Baptistæ vita esset ἐπιδεικτικῶς tractanda, sequendus esset ordo naturalis, dicendumq; esset de parentibus, de conceptione, de natiuitate, de educatione, de vocatione, de officio, de testimonio Christi, de morte & ijs, quæ circa mortem & post mortem contigerunt.

In membro de parentibus hæc insunt, quod preces piorum aßiduæ tandem exaudiantur, quod afflicti credentes consequantur ad extremum consolationem, quod Deus approbet matrimonium sacerdotum.

In membro de conceptione, primum offert se officium angelorum, quod sint legati Dei & ministri Ecclesiæ. Deinde quod sit memor Deus suarum promißionum. Tum quod Dei actio non impediatur impedimentis naturalibus, hoc est naturæ sterilitate & defectu. Deinde quia Ioannes adhuc in vtero matris agnouerit Christum, docet quod pueri recipiantur à Deo, & quod à pueris agnosci & coli velit Deus.

In membro de natiuitate, gratitudo erga Deum pro acceptis beneficijs commendatur, Piorum officium mutuum ostenditur, quod gratulari debeant ijs, quibus benedictio Dei contingat. Denique quod pij debeant suos pueros Deo afferre seu commendare.

Deinde vitæ austeritas nobis non Monasticen, sed sobrietatem & obedientiam erga Deum commendat.

Posthæc in officio ipsius, & circumstantijs personæ & officij, non solum doctrina, sed etiam consolatio, constantia in officio, confessio, crux, amor veritatis, atque innumeræ aliæ virtutes pijs commendantur. Consolatio est, quod digito saluatorem monstrauerit. Constantia, quod Herodis minas & Pharisæorum contemnens, Euangelium intrepide docuerit. Confessio, quod se vocem clamantis in deserto fassus sit. Crux, quod propter vocationem non solum vagatus sit sine certis sedibus, sed mortem quoque adire non dubitaue-

bitauerit. Hæc omnia quæ ſic eruuntur ex perſonæ & officij circumſtantijs, primum pijs miniſtris verbi doctrinæ, imitationis & admonitionis gratia proponantur. Deinde in genere vniuerſæ Eccleſiæ, quantum ad communia pietatis officia pertinet. Perſonalia enim facta, non in ſpecie ſed in genere accommodanda ſunt, quemadmodum ſupra admonui.

Eſt & alia forma tractandi exempla, nimirum, cum non habeatur ratio ordinis, temporum, ſed tantum virtutum & viciorum genera recitantur & illuſtrantur, ſed hæc forma paradigmati ſubijcienda eſt. Atque hæc de duplici paradigmatica & Epidictica perſonarum tractatione dicta ſufficiant. Ratio autem eruendi locos, per quos exempla accommodantur Eccleſiæ, poſtea vbi de locis communibus inueniendis tractabitur, exponenda eſt. hic ſufficit Methodum monſtraſſe, & paucis exemplis Methodi vſum oſtendiſſe.

DE DIDASCALICA SIMPLICI RERVM.

DIDASCALICA ſimplex rerum (hoc eſt, vt vſitate vocant, locorum ſimplicium) eſt cum de vna re ſimplici docendus eſt auditor, vt de Deo, peccato, gratia, de iuſticia Chriſtiana &c. Hæc forma ſubtiliorem tractandi ratio-

nem requirit, & maiori artificio indiget. Quanquam autem hæc Methodus expositione proprie constat, quemadmodum coniuncta, argumentatione: tamen membra huius formæ argumentatione confirmabuntur. Itaque præsentis formæ instrumentum proprie quidem est expositio. Argumentatio vero adhibetur fulciendis expositionis partibus. Præterea & hoc obseruandum est, quod triplex in hac forma soleat adhiberi expositio, nimirum Diæretica, Synthetica & Analytica. Nam aliâs alia ratio commodior est.

DE DIDASCALICA SIMPLICI RERVM Diæretica.

TAMETSI Diæreticus ordo (cuius membra potissima sunt definitio & diuisio) tractandi res simplices, et à Philippo in Methodo Didascalica simplici, & ab alijs Dialecticis diligẽter indicatur: tamen operæprecium esse iudico, hoc loco tractandi rationem præscribere, quæ commoda futura est nouitijs concionatoribus. Primum itaque summa capita proponam, Deinde tractationis Methodum subijciam.

Sunt igitur hæc capita.

1. DEFINITIO.
2. DIVISIO seu PARTITIO.

3. CAVSÆ.
4. EFFECTVS.
5. VSVS & ABVSVS.
6. ANTITHESES.

DE DEFINITIONE.

Definitionum aliæ noſtræ ſunt, aliæ aduerſariorum. Illas vt veras exponemus, probabimus, comprobabimus & colligemus, Has vt falſas confutabimus. In vtroque genere eſt peculiaris methodus, ſed de priori prius dicendum eſt.

Definitio itaque quam pius concionator, & veram & immotam ſtatuet, quatuor habebit partes in tractatione: expoſitionem: rationem: comprobationem & complexionem.

Expoſitio eſt oratio, per quam exponimus noſtram de re aliqua definitionem claris & perſpicuis verbis.

Eſt autem definitio Theologica duplex, contracta & copioſa. Illa genere & differentia contenta eſt. Hæc cauſas, adiuncta, propria, & circumſtantias interdum, generi & differentiæ accommodat.

Ratio eſt definitionis probatio.

Comprobatio, eſt per quam confirmamus ſeu declaramus rationem ſiue exemplis, ſiue alijs declarandi modis.

Complexio eſt breuis Expoſitionis, Rationis & Comprobationis comprehenſio. Porro

quod

quod dictum est de Ratione & Comprobatione, ita intelligi velim, quod non simplex ratio, neque simplex comprobatio, sed & rationes & comprobationes plures adhiberi possint, prout commodum auditoribus, & rei tradendæ vtile esse videatur. Deinde & hoc obseruandum est, quod definitio copiosa confirmanda, Analysi prius resoluenda sit in propositiones, interdum etiam in terminos. Deinde rursus paulatim coniungendæ sunt partes per Synthesin, & ostendenda definitionis necessitas. Atque hæc omnia rationi definitionis subijcienda sunt. Nunc exemplo vno atque altero præcepta illustremus, ac sumamus primum definiendum Matrimonium.

Matrimonium est viri & mulieris legitima coniunctio (hæc definitionis expositio est, sequitur ratio) Scriptum est enim: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ (sequitur Comprobatio) Si hæc verba rite examinentur, in ipsis inueniemus, quæ posuimus in definitione. Primum enim testantur coniunctionem debere esse, quæ legitima est, cum fit iuxta verbum Dei, & voluntatem Dei. Deinde cum dicit: Erunt duo in carne vna, vnius viri & vnius vxoris vult copulam, non vnius viri, & multarum vxorum, neque vnius vxoris & multorum virorum, quemadmodum & primum coniugium Adam & Euæ testa-

testatur. (Sequitur Complexio) Cum itaque Deus sua lege præceperit, vt legitime copulentur personæ, vt sint non plures personæ in matrimonio quam duæ, Relinquitur, matrimonium esse legitimam viri ac mulieris coniunctionem. Ex hoc exemplo vtcunque intelligi potest tractatio definitionis simplicis: quam si ad Dialectices leges & normas reuocare velis, Prima pars quæstio dicitur, Altera ratio, Tertia rationis confirmatio siue Aetiologia, Quarta Conclusio, in qua hypothetica forma ipsa ratio cum quæstione repetitur. Verum membrorum appellationes, quas superius recitaui, tractationi populari seruiunt magis, & intellectu faciliores sunt.

Addamus etiam exemplum copiosæ definitionis, quod fusius explicemus, ac sumamus definiendum Euangelium.

Euangelium est doctrina diuinitus reuelata, in qua annunciatur liberatio à peccato, maledictione legis & ira Dei, & proclamatur remissio peccatorum, salus & vita æterna, credentibus in filium Dei propter eiusdem victimam, vt bonitas & misericordia Dei prædicentur, utq; liberati per Filium, fructus Euangelio dignos edant. Hactenus expositio definitionis, quæ Analysi resoluenda est in has propositiones, Quarum prima est, quod Euangelium sit doctrina diuinitus reuelata. Secunda, quod Euangelium annunciet liberationem à peccato, maledictione legis, ira

Dei, &c. Tertia, quod proclamet remißionem peccatorum, ſalutem & vitam æternam. Quarta, quod hæc beneficia contingant credentibus in Chriſtum. Quinta, quod Euangelij vis reſideat in victima Chriſti. Sexta, quod ex Euangelio Deus ſit prædicandus. Septima, quod homo gratitudinem ſuam Deo exhibere debeat, pie viuendo. Has propoſitiones ordine confirmare oportet. Sequitur ergo ratio primæ propoſitionis. Euangelium enim eſſe doctrinam diuinitus reuelatam. Paulus clare docet, vocans Euangelium myſterium abſconditum à ſeculis. (Comprobatio.) Quibus verbis aperte docet, ex humana ratione non pendere Euangelium. Nam ſi ratio vllo pacto potuiſſet hanc doctrinam perſpicere ſuo acumine, nequaquam myſterium abſconditum à ſeculis dicendum eſſet (Ratio ſecundæ propoſitionis) Deinde annunciari in Euangelio liberationem à peccato, à maledictione legis & ira Dei, multa teſtimonia docent Prophetica & Apoſtolica. Daniel aperte dicit Chriſtum ablaturum peccatum. Paulus maledictionem legis per Chriſti aduentum abolitam docet. Pater clamat de cœlo ſe per filium placatum (Comprobatio) hoc verum eſſe experti ſunt omnes pij, teſtimonium habentes ſpiritus ſancti, per quem clamant, Abba pater, quod profecto non facerent, niſi certo ſtatuerent ablatum peccatum, maledictionem legis abolitam, iram Dei placatam:

tam (Ratio tertiæ propositionis) Proclamari porro in Euangelio remißionem peccatorum, salutem & vitam æternam, testantur hæc testimonia, Ipse Dominus dicit sic scriptum esse, quod oporteat prædicari in ipsius nomine pœnitentiam & remißionem peccatorum, incipiente prædicatione à Hierusalem. Marci vltimo promittitur salus credendibus. Similiter Rom. 10. Præterea Dominus ipse vitam æternam promittit in se credentibus. Quid multis? Vniuersa scriptura sacra remißionem peccatorum, salutem & vitam æternam pollicetur populo Euangelium amplectenti (comprobatio) Fieri enim non potest quin sublata ira Dei, maledictione legis ac peccato, salus, iusticia & vita sit parta. verum quia hæc non contingunt omnibus (Cain enim, Iudas, Saul & multi alij perierunt, & hodie magna pars mundi, proh dolor, ruit in æternum exitium) in definitione additum est quarto loco, quod hæc beneficia contingant credentibus (Ratio) Clare enim dicit Dominus: Qui credit in me non peribit, sed habebit vitam æternã (Comprobatio) Et ne quis hoc ex conditione operum pendere existimet, Paulus hominem iustificari fide sine operibus scribit, & prolixis disputationibus confirmat ad Rom. & Galat. Porrò quinto loco additum est, quod Euangelij vis in Christi victima resideat (Ratio) Sic enim Paulus inquit: per redemtionem, quæ est in Christo

Iesu (Comprobatio) Vox etenim qua Paulus hic vtitur est ἀπολύτρωσις, hoc est redemtio, quæ fit dato precio capitis pœna, λύτρον enim proprie precium liberationis est. Tale precium pro nobis soluit Christus, quando factus est pro nobis peccatum, vt nos fieremus iusticia Dei. Præterea sexto loco adiectum est, Deum prædicandum esse propter suam bonitatem & misericordiam (Ratio) Id quod satis conuincit Angelorum cohors, canens nato Domino hunc hymnum Deo: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus εὐδοκία. (Comprobatio) Hoc namque ideo factum existimemus esse, vt omnes qui hunc Christum agnoscunt, discant angelorum exemplo bonitatem & misericordiam Dei prædicare, præsertim cum ipsa natura clamitet gratitudinem reddendam esse bene meritis. Postremo loco additur de fructibus, quos edere debent liberati per Euangelium (Ratio) Quod confirmatur testimonio Pauli dicentis, nos in Christo Iesu creatos ad bona opera, in quibus nos ambulare vult Dominus. (Comprobatio) Quomodo enim conuenirent ista, nos liberatos à peccato, & tamen facere desideria peccati, Cum Paulus dicat, apparuisse gratiam Dei salutarem omnibus hominibus, vt abnegata impietate & humanis desiderijs, sobrie & pie & iuste viuamus, &c. (Complexio) Cum igitur firmis demonstrauimus rationibus per Euangelium tolli peccatum, male-

maledictionem legis, & iram Dei, & succedere in horum locum iusticiam, salutem & vitam propter Christum, dum in ipsum credimus, & quod velit nos Deus propter hoc beneficium suam bonitatem prædicare, ac vita tota gratitudinem ostendere, sequitur quod antea proposuimus, Euangelium esse doctrinam diuinitus reuelatam, in qua annunciatur &c.

Atq; in hunc modum, tractata nostra definitione, si sunt qui aliter sentiunt, confutandi sunt Methodo confutatoria, quæ constat propositione, sublatione, opposita propositione, & solutione.

Propositio hoc loco est sublationis pollicitatio. Sublatio, est ipsa aduersariorum propositio. Opposita propositio, est solutionis pollicitatio. Solutio, est confirmatio oppositæ propositionis. Sed res breui exemplo illustretur. Nec me clam est quod aduersarij nostri Papistæ garriant (hæc confutationis propositio est, sequitur Sublatio) Euangelium esse nouam legem de non vindicando, de abijciendis facultatibus, de non iurando &c. (Sequitur opposita propositio) Verum id quam friuolum sit, non est difficile ostendere. (Sequitur Solutio) Id enim quod asserunt ex diametro pugnat cum Christi sacrificio, adeoq; cum vniuersa scriptura, quæ fide nos consequi Euangelij beneficia clamitat. An non clara sunt verba Pauli? Si iusticia est ex lege, Christus frustra mortuus est. Hæc oppositæ propositionis confirmatio, ex

locis confirmatorijs, hoc est Dialecticis petenda est, de qua re dicam in coniuncta locorum Methodo. Verum quid generaliter tum in confirmationibus, tum in confutationibus obseruandum sit, hic admonendi sunt Studiosi. Primum itaque postquam perspicuis argumentis confirmaueris ἀντιπερίστασιν, ordine aduersariorum argumenta diluenda sunt, & si res ita patitur, omnium primum genus sumendum est, & postea ad specialia argumenta descendendum, vt in præsenti causa. Primum, confutandum est, Euangelium esse legem, Deinde, non esse legem de vindictæ prohibitione, de abiectione facultatum, de non iurando &c.

Præterea & hoc cum in confirmatione nostræ sententiæ, tum in confutatione aduersæ partis diligenter spectandum est, vt præoccupes ea, quæ vel prudentia carnis, vel aduersaria pars obijcere possit, contra ea quæ dicis, & ea confutes. Hoc Paulo vsitatissimum fuisse apparet in ipsius scriptis. Quemadmodum in proposita confutatione sententiæ Papistarum, quod Euangelium sit noua lex: Caro ingrata Deo inde arma arripit, contra doctrinam operum, & infert hoc pacto. Si Euangelium liberat nos sine operibus nostris, cur igitur bene operemur? Hæc obiectio per occupationem tollenda est. Atque ita in omnibus partibus concionis spectabit fidus Ecclesiastes quid contradici possit. Sed præcepta copiosæ confutatio-

futationis & confirmationis infra tradenda sunt.

DE DIVISIONE ET partitione.

Hoc Methodi membrum commode in hunc modum tractari potest. Si primum exponas tuam diuisionem seu partitionem. Secundo probes. Tertio comprobes. Quarto colligas rursus. Exemplum diuisionis sit hoc: Audiuimus quid sit lex, sequitur vt quotuplex sit dicatur (huiusmodi enim transitionis formula vtendum est, cum de vno in aliud descenditur) Est autem lex Dei triplex, Moralis, Ceremonialis, & Iudicialis. Hæc expositio fuit. (Ratio) Omnis enim lex Dei aut mores format, aut ritus commendat, aut iudicia exercet (Comprobatio) His enim rite hominis vita conseruatur & gubernatur. In ciuili enim vita, iudicijs opus est, in Ecclesiæ cœtu Ceremoniæ sunt necessariæ, religionem animi erga Deum, & pietatem erga homines (in spirituali Dei regno) morum præceptis constare manifestū est (Collectio) Firmū est igitur quod proposuimus legem Dei esse triplicem, Moralem, Ceremonialem, Iudicialem, præsertim cum his tribus vitæ recta gubernatio constet, siue vitam communem spectes, siue Ecclesiam, siue spirituale Dei regnum. Hæc diuisionis membra si obscura sunt,

definitionibus & subdiuisionibus explicentur, ac rationibus & exemplis illustrentur. Verum si aduersarius aliam diuisionem, eamq; falsam obtrudit, confutationis Methodo euertenda est. Exemplo non opus est in re aperta. Porrò partitio eadem ratione instituenda est, vt pœnitentiæ partes sunt contritio, fides & studium recte formandi vitam (Ratio) Peccati enim nos pœnitere oportet: & quia hæc contritio nihil prodest, nisi accedat fides in Christum, necessario & hæc additur: & quia neutrum horum verum est, nisi sequatur studium recte & pie viuendi, necessario cum superioribus coniungitur bonum propositum (Comprobatio) Nam videmus & scripturam & exempla hæc tria coniungere. Dauid lapsus dolet se peccasse, confugit per fidem ad misericordiam, & reliquam vitam quanta potuit diligentia innocentem conseruauit. Hæc partitionis membra si definitionibus & diuisionibus, & earum rationibus diffunduntur, magna orationis & vtilis copia exurget.

DE CAVSIS.

Iam rei causas addere oportet, prorsus naturali ordine, & per seiunctionem excludendæ sunt quæ putantur rei causæ, & non sunt. Singulis causarum generibus suæ rationes ex verbo Domini adijciendæ sunt. Causæ coniunctæ concurrunt

runt in suis actionibus, & stant mutuis auxilijs, singulæq; proprium quiddam habent in actionibus. Quare causarum ordines diligenter considerandi sunt, ne fiat causarum confusio, vnde postea magnæ tenebræ exoriuntur. Deinde & hoc obseruandū est, cum aliquid præcipitur aut prohibetur, omnes coordinatas causas præcipi aut prohiberi. Vt cum sanctificatio nominis Dei præcipitur, quæ fieri nequit sine fide, & hæc non sine noticia Dei contingit, quæ noticia Dei sine prædicatione verbi Dei esse non potest. Ergo cum iubemur petere sanctificationem nominis Dei, hæc ordine petimus, prædicationem verbi, noticiam Dei, fidem & ipsam nominis Dei sanctificationem. Nunc breuiter exemplum subijciam. Pœnitentiæ causæ sunt non hominis liberum arbitrium. (Hæc seiunctio est.) Sed primum verbum Dei, Deinde Spiritus sanctus, qui intus arguit peccatum, & excitat odium peccati in corde hominis, Tum voluntas motui diuino et verbo non repugnans. Fines sunt, gloria Dei & salus pœnitentis. Hæ sunt coniunctæ causæ, & stant mutuis auxilijs in suis actionibus, & facile apparet, singulas quiddam proprium habere in suo ordine ad effectum. Porrò quomodo hæc sint explicanda definitionibus, & confirmanda testimonijs, ex superioribus præceptis intelligitur.

DE EFFECTV.

Effectus exponantur, probentur, comprobentur & colligantur, & qui falſo rei tribuuntur, confutationis Methodo euertantur: vt ſi quis dicat, contritionem mereri remiſſionem peccatorum, Confutandus eſt eo modo, quem ſupra indicaui.

DE VSV ET ABVSV.

Si fuit res in abuſu, confutetur abuſus confutationis Methodo. Deinde verus vſus exponatur, probetur & comprobetur.

DE ANTITHESIBVS.

Antitheſes non certum locum habent, neq; in hac Methodo, neq; in alijs, ſed paſſim interferendæ ſunt illuſtrationis & amplificationis gratia. Putant enim Rhetores, nihil magis facere ad perſpicuitatem, quam Antitheſium ſeu contrariorũ collationem.

DE DIDASCALICA SIMPLICI SYNTHETICA.

Expoſitio Synthetica eſt, quãdo exordimur ab ijs quæ antegreſſa ſunt rem, & paulatim per gradus componimus ea, & cumulamus donec omnia illa collecta videntur, quæ ad rei naturam excutiendam ſufficiunt. Vt ſi de pace, quam cum Deo

Deo habemus per fidem, dicendum eſſet, hæc κατὰ σύνθεσιν exponi poſſent. Primum quæ offenſa. 2. Offenſæ partes. 3. Mediator. 4. Compenſatio iniuriæ & damni, ſeu ſatisfactio. 5. Reconciliatio. 6. Pactum reconciliationis. 7. Pacis declaratio ſeu promulgatio. 8. Fructus pacis. Hæc ſi ſigillatim confirmarentur, comprobarentur & illuſtrarentur teſtimonijs & exemplis, copioſa emergeret oratio. Hoc pacto σύνθεσις ſequitur ordinem naturæ, & omnes quæ præcedunt natura quæſtiones inueſtigat, exponit, probat, comprobat, Antitheſibus, exemplis, ſimilibus & diſſimilibus illuſtrat. Porrò & hoc obſeruandum eſt, quod copioſæ definitiones hac Methodo extruantur, vt ſupra in definitione Euangelij videre eſt.

DE DIDASCALICA SIMPLICI ANALYTICA.

Analytica expoſitio eſt, quando à toto vel fine exordimur, & deinde partes, & ea quæ ad finem requiruntur, inueſtigamus, ordine plane ſuperiori contrario, Ut ſi de oratione dicendum eſſet, hac Methodo primum quid eſſet inuocatio (habet enim definitio totius rationem) et quis eius finis, exponendum. Deinde quæ ad orationem tanquam neceſſaria membra pertinent, enumerandum eſſet, vt ſunt affectus mentis, cauſæ cur orandum, quis orandus, per quem & quid orandum,

dum, quæ memoriæ gratia complecti soleo hoc versiculo:

Affectus causæ, quis, per quem, quidq; petendum. Postremo addi possunt circumstantiæ indifferentes, vt orationis circumstantiæ indifferentes sunt, Locus, tempus, gestus. Hæc profecto si scripturis & exemplis probentur & illustrentur, magna & vtilis orationis copia nascetur.

Porrò, quæ hactenus dicta sunt de simplici rerum seu locorum tractatione, ita intelligantur oportet, quod sic fieri debeant omnia iuxta diuersarum Methodorum simplicium quæstionum rationem artificiosam. Verum quoniam varietas exercitatos delectat, interdum harum Methodorum leges ad amussim non sequuntur concionatores docti, sed auditores quasi in consilium adhibent, & ea deligunt ex magna copia, quæ præsentibus auditoribus quàm vtilissima cognitu fore arbitrantur. Atque hanc tractandi rationem nonnulli Methodum prudentiæ appellant, quæ circumstantias auditorum præsentium & rerum pondera metitur. Vt si quis de lege Dei esset dicturus, hic primum auditores contemplaretur, deinde rei pondus consideraret, Tum facile ad pauca capita captu facilia reuocaret tractationem, & primum forte quid lex sit exponeret, Secundo, an quisquam legi Dei satisfaciat, Tertio, quis vsus, cum nemo satisfacit, Quarto, qualis legis abrogatio intelligenda sit. Similiter fieri

fieri poteſt in alijs quæſtionibus ſimplicibus. Quanquam autem hæc ita ſint, nouitijs tamen concionatoribus, qui nondum exercitati ſunt, profuerit artis Methodum ſequi quam expoſui, idq; tum propter memoriam confirmandam, tum vt exercitati diu multumq;, poſſint poſtea vtrumq; genus fœliciter ſequi.

Sanctiſſimę memoriæ Philippus Melanchthon populari captui ſe accommodans, in cuiuslibet rei ſimplicis explicatione, hæc quatuor indicat proponenda, declaranda & amplificanda: definitionem rei, cauſas, partes & officia. Definitio ex collatione multorum dictorum & illuſtrium exemplorum petita, rem totam veluti in vnam faſcem colligat, et ſummam rei breuiter proponit, cauſarum explicatio definitionem fulcit, partium recitatio diſtinctius rei naturam ob oculos ponit. Officiorum voce compræhenduntur vſus rei, effecta, & cauſæ finales.

Porrò eſt & hoc admonendum, quod in locorum ſiue ſimplicium, ſiue coniunctorum tractatione, ſi plures ſunt loci, obſeruare oporteat, vt is locus, qui natura præcedit, etiam tractatione præcedat. Vt ſi de peccato & gratia eſſet habenda oratio, de peccato prius quàm de gratia dicendum eſſet. Sed ſi prorſus diſcreti ſunt loci, nihil refert, quo ordine eos explices, niſi forte alter alteri in confirmatione opem ferat, Tum enim is priori loco explicandus eſt, quo explicato, iuuetur alter.

DE DIDASCALICA CONIVNCTA.

DIdaſcalica Concio coniuncta, ſiue coniunctorum locorum, eſt quando certi loci coniuncti, hoc eſt propoſitiones, theſes & hypotheſes tractantur: quod tametſi proprie fit Methodo confirmatoria & confutatoria: plerunq; tamen accidit, vt mixta Methodus adhibeatur. Nam ſi propoſitionis partes obſcuræ ſunt, Analyſis eas retexet, & partes ſeorſim proponet: Diæreſis propoſitas partes explicabit: poſtea Syntheſis componet: ac Methodus confirmandi ac confutandi compoſitum probabit, & quod cum eo pugnat, confutabit. Vt ſi prima precatio tractanda proponeretur: Sanctificetur nomen tuum. Hic neceſſario primum Analyſis eſſet adhibenda, quæ in duas ſimplices partes retexeret hanc propoſitionem, in nomen Dei, & ſanctificandi verbum. Deinde Diæreſis vtramque partem, vnam poſt alteram definitionibus & diuiſionibus explicaret, Tum Syntheſis rurſus componeret partes. Hinc iam confirmatio & confutatio tempeſtiue adhiberetur. Atque hoc præceptum perpetuo ſequendum eſt, vbi partes propoſitionis explicatione indigent, alias minime. Præterea in parabolis adhibenda eſt Analyſis, vt primum retextas partes proponas. Deinde eaſdem per comparationem rei ad quam pertinet parabola accom-

accommodes. Tum extruas doctrinas & parænefes, vt in Euangelij parabola de femine, partes parabolæ funt quinq;: Seminator, Semen, Seminatio, Terra, Fructus. Seminatori Deus: Semini verbum Dei: Seminationi prædicatio verbi: Terræ auditores verbi: Fructui feminis, fructus verbi comparentur. His explicatis, extrues doctrinas & parænefes, Vt doctrinæ præfentis parabolæ funt: Prima, follicitudo Dei de noftra falute procuranda. Confertur enim hic Dominus diligenti agricolæ. Secunda, dignitas verbi. Tertia dignitas minifterij. Quarta, quod nobis & Diabolo imputandum fit, fi fructum non ferat verbum.

Porrò parænefes ex fine parabolæ extruendæ funt. Sunt autem fines præfentis parabolæ, vt Dominus excitet auditores ad verbi amorem, vt arguat negligentes, vt confoletur obedientes. Cæterum in huius concionis genere, adhuc maior concionatoris vis & prudentia requiritur. Quare vt in hac parte fatis alioqui difficili, iuuem nonnihil nouitios concionatores, ordine duo tradam. Primum enim Methodum inueniendi locos oftendam. Deinde rationem indicabo eofdem copiofe & vtiler tractandi, In quibus duobus capitibus tota hæc facultas confiftere videtur.

DE INVENTIONE LOCORVM COMMVNIVM.

Ne

NE quis, quod primum in buccam venit, arripiat tanquam locum communem, quemadmodum illi facere consueuerunt, qui ex singulis fere vocibus aliquid venantur, parum solliciti, siue ad negocium pertineat propositum, siue non, vt qui hoc solum quærunt, vt magni architecti, & locorum communium non imperiti fabri videantur: opus est præceptis, intra quorum septa animus inquirentis contineatur. Et tametsi res maior est, quam vt paucis præceptis absolui possit: tamen prodest nouitijs communia quædam præcepta tenere, quæ sequi tutò & cum fructu eorum quos docebunt, possunt.

Primum itaque omnium lecto & intellecto textu aliquo, quæratur textus occasio, summaria comprahensio, & finis seu vsus: quod quomodo fieri debeat, in Dialectico interpretandi genere superius declaratum est. Deinde textus partes seu propositiones quærantur. Tum ex his iuxta sequentes regulas loci eruantur communes, qui ad finem rei propositæ facere videntur.

REGVLA PRIMA.

Si propositionis subiectum fuerit singularis terminus, loco eius ponito gradatim superiora, hoc est speciem primo loco: Deinde genus proximum: Tum si videbitur adhuc superius genus, & componantur hæc ordine cum propositionis prædica-

to. Psal. 122. In principio hæc eſt propoſitio. Lætor, inquit Dauid, cum mihi dicitur, in domum Domini eamus. Primum facito enallagen perſonæ in hunc modum: Dauid lætatur, cum dicitur ei, in domum Domini eamus. Hic iuxta regulam, primum regis vocabulum, Deinde magiſtratus, Tum hominis ponito. Hoc facto, coniungito hæc ordine cum prædicato, in hunc modum. Regium eſt lætari cum ſubditi conſentiunt in religione. Magiſtratus eſt lætari, quod habeant ſubditos, qui ſecum conſentiant in religione. Omnium hominum gaudium eſſe debet conſentire in cultu Deo præſtando. Ecce tot theſes hæc prima & puerilis regula ſubminiſtrauit, quarum vltima communiſſima eſt, & in plurimas hypotheſes diffundi poteſt, de quarum certitudine ex regula ſequenti iudicandum eſt: Approbato exemplo in ſubiecto, approbatur res in genere. Cum igitur in Dauide approbatur hoc factum, res in genere improbari non debet, & contra: Reprobato exemplo in ſubiecto, reprobatur res in genere, vt Ozias Rex Iuda inuadens alienum officium, diſplicuit Deo: Ergo reges atq; adeo omnes qui aliena agunt, Deo diſplicent. fuit enim non regum ſed ſacerdotum officium, offerre incenſum thymiamatis.

SECVNDA REGVLA.

Si in locum prædicati ſubſtituantur gradatim ſupe-

superiora vt species proximæ, postea genera alia atq; alia, copiosa emerget locorum inuentio. Hæc regula sæpissime quidem in alijs rebus, sed semper in Christi historijs sequenda est. Vt Christus sanat Samaritanum leprosum inuocantem, Sed quia hic Samaritanus est Ethnicus, afflictus homo: collige hinc, Christum iuuare Ethnicos afflictos, & omnes homines, qui ipsum inuocant. Et quia ex Christi particularibus factis colligitur eiusdem officiũ in genere, licet in hunc modum locum extruere, Quod Christi seu Messiæ officium sit, iuuare miseros & afflictos se inuocantes.

TERTIA REGVLA.

Si in locum tum subiecti tum prædicati substituas per gradus species & genera, copia communium propositionum nascetur. Vt Dauid committens adulterium est expulsus regno. Ergo reges grauiter delinquentes punientur, atq; adeo omnes qui flagitiose viuunt, supplicia aliquando debita luent. Colluuies impiorum hominum Cataclysmo absorpta est. Ergo flagitiosi aliquando pœnas daturi sunt.

QVARTA REGVLA.

Aliquando prodest ex concretis abstracta facere, vt mulier Cananea credens, Matth. 15. in necessi-

necessitate Christum accedit, inuocat, non patitur repulsam, sed magis instat, quemadmodum & archisynagogus, qui credens, secum totam domum conuertit ad Dominum. Hinc collige fidei proprietates, nimirum quod fides in necessitate constitutum hominem impellit ad Christum, vt eum inuocet, instare facit vt impetret, augmentum dum tentatur, sumit, ac tandem gratissimos Deo fructus edit. Hæc regula ex loco coniugatorum uim habet. Sed quoniam quæ de fide recitaui, præcipua sunt fidei momenta, ea in duos versiculos inclusi, hoc pacto:

Vera fides Christũ petit & rogat, instat, ab ipso
Impetrat, & crescit, fructificatque simul.

Aliud exemplum. Beatus vir qui timet Dominum. Locus communis: Vera beatitudo consistit in timore Domini. Huius regulæ vsus est magnus non solum in locorum inuentione, verumetiam in definiendis concretis. Nam quemadmodum Aristoteles & Rodolphus docent, ex descriptione concretorum colliguntur abstractorum definitiones. Ut si quid pietas sit, velis definire, sume concretum pius in illustri exemplo. Ut Abraham pius timet Deum, veraq; fide & obedientia illum colit. Ergo pietas est timor Dei, fides & obedientia erga ipsum. Hac via Aristoteles multarum virtutum differentias inuestigauit, quam sibi non inutilem fore facile animaduertent Studiosi Theologiæ.

QVINTA REGVLA.

Diligenter quæ rem præpositam antecedunt, quæ cum eadem coniuncta sunt, & quæ eam necessario consequuntur spectanda erunt, atq; in locos communes includenda, vt Psal. 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Primum hic ex antecedentibus sequitur, Sine Christo neminem beatum esse. Nam si tum demum fiunt beati, quando in Christo confidunt, sine hac fiducia miseri sunt omnes mortales. Hic locus etiam à contrario sensu concluditur hoc modo: Omnes confidentes in Christo sunt beati, Ergo omnes non confidentes in eo non sunt beati. Si non beati, certe miseri sunt. Vides vt hic locus suppeditat occasionem de miseria humani generis disserendi. Secundus locus est ex adiunctis, qui secundum quartam regulam extruitur, videlicet quod vera fœlicitas & beatitudo sita sit in fiducia Christi. Tertius locus, quod vniuersale sit beneficium. Generalis enim propositio ad nullam gentem aut hominem restricta est, sed omnibus offertur beneficium, qui confidere in ipso non recusant. Quartus locus, quod fiducia in Christum sit modus, per quem beneficiorum Christi redduntur homines participes. Quintus, ex hoc loco sequitur locus de Christi diuinitate. Nam si fiducia in solo Deo reponenda est, & beatus pronunciatur qui confidit in Christo: sequitur profecto Christum verum Deum esse.

SEXTA

SEXTA REGVLA.

Causarum & effectuum necessaria consecutio non est negligenda. Nam si causa ponitur, effectus concluditur potentia, vt in symbolo, dum agnoscimus Deum omnipotentem, fides inde eruit duplicem effectum, Vnum, quod Deus possit benefacere quibus vult. Alterum, quod sit illi facultas defendendi quos in suam tutelam assumit. Sed addamus illustrius exemplum. In cœna Domini ex causarum & effectuum consecutione colligendæ sunt hypotheses de vera Sacramenti meditatione. Cum itaque Cœna Domini Sacramentum sit nostræ per mortem Christi redemtionis, primum cœnæ celebratio cogitationem de peccato mentibus instillat. Nam ob peccatum mortuus est Dominus. Secundo admonet de victima peracta ad redimendum humanum genus à iure peccati. Tertio, huius victimæ dignitas & excellentia cogitationem suggerit pijs mentibus, non solum de magnitudine iræ Dei, percutientis filium propter peccata nostra, & inenarrabili misericordia Dei recipientis nos in gratiam propter victimam filij, sed etiam de amore filij intercedentis pro nobis & deriuantis in se iram Patris. Quarto, contritio quidem ex cogitatione peccati & iræ Dei nascitur. Fides vero ex inenarrabili misericordia Dei & amore filij persoluentis λύτρον pro nobis,

excitatur. Quinto, hæc fides confirmatur & augetur vsu Sacramenti tantæ rei. Sexto, fides confirmata & aucta Deo gratam se exhibet, vitam pie, honeste & iuste instituit, proximum cum quo habet communem λυτρωτὴν diligit.

Ecce quantam doctrinam, quantam copiam, quam piam meditationem sacræ cœnæ, consecutio causarum & effectuum suppeditat.

Aliud exemplum. Christus remittit peccata sua autoritate. Hic effectus monstrat Christi diuinitatem, Latro obiurgat blasphemantem socium & Christum inuocat, ex quibus effectibus, contritio, fides & noua vita latronis concluditur.

SEPTIMA REGVLA.

Quæratur repugnans dicti, & repugnans consequentis dicti, Vnde duo locorum genera oriuntur. Sit dictum: qui aliud Euangelium docuerit anathema sit. Hic repugnans dicti est, Qui idem Euangelium docuerit, non est anathema. Consequens dicti, quod Papa sit anathema. Aliud enim Euangelium docet. Huius repugnans destruitur, ut Papa non est Ecclesiæ caput, &, Papæ non est obtemperandum.

OCTAVA REGVLA.

Prodest interdum per contrarium sensum locum extruere, videlicet cum termini sunt pares, vt iustus ex fide viuit. Ergo non iustus ex fide non vi-

non viuit. ex quo ſequitur, neque ex operibus eſſe iuſticiam, neque vitam. Atque ita Paulus colligit ad Galat. 3. Quoniam autem, inquit, in lege nemo iuſtificatur, manifeſtum eſt, quia ſcriptum eſt, iuſtus ex fide viuit. Similiter forma per contrapoſitionem interdum locos miniſtrat. Vt omnis qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Hic locus per contrapoſitionem colligit, eum qui non audit verbum Dei, non eſſe à Deo.

Hæ ſunt regulæ inuentionis locorum præcipuæ, quarum fontes ſunt loci Dialectici & regulæ conſequentiarum, & poſſent his plures addi, ſed has puto ſufficere nouitijs concionatoribus, quas ſi fuerint ſecuti, & ipſis in quærendis locis communibus expedita erit ratio, & ab alijs notatos locos dextre iudicabunt. Deinde & hinc iudicare poſſunt, cur non ſemper eoſdem locos diuerſi autores commonſtrent. Ratio enim diſcriminis eſt, cum diuerſitas inuentionis, tum quod alij loci alijs autoribus magis arriſerint. Poſtquam autem pius Eccleſiaſtes locos inuenit, examen apud ſe locorum inibit. Huic examini triplex inſtrumentum adhibebit. Primum enim diſpiciet, an alicubi in ſcriptura locus inuentus expreſſe ad verbum habeatur. Deinde demonſtratione ad impoßibile examinetur locus, ſi expreſſus verbo Domini non eſt. Tertio, Syllogiſmo aliquo concludatur locus, & per conuerſionem ſyllogiſticam, tanquã ad Lydium lapidem

probetur. Demonstrationis ad impoßibile sit hoc exemplum. Locus probandus: Christiani possunt tenere propria. Huius loci assume oppositum. Nulli Christiani possunt tenere proprium. Iam quære propositionem aperte veram, quæ cum opposito potest altera præmissarum esse in syllogismo. Vt, omnes qui dabunt eleemosynas debent habere propria, Ex quibus duobus præmißis sequitur conclusio falsißima, videlicet quod nulli Christiani dabunt eleemosynas, ex huius aperta falsitate, destruenda est altera præmissarum. Quare cum maior aperte sit vera, sequitur minorem esse falsam. Hinc iam infertur ex lege contradictionis loci propositi veritas. Iam colligamus quod diximus. Omnes qui dabunt eleemosynas debent habere proprium, Nulli Christiani possunt habere proprium, Ergo nulli Christiani dabunt eleemosynas. Sed conclusio est falsa, ergo altera præmissarum: non autem maior, ergo minor, quæ dicit, Nulli Christiani possunt habere propria.

Conuersionis syllogisticæ sit hoc exemplum. Locus. Quidam audientes verbum non sunt pij. Syllogismus. Nulli ambulantes secundum carnem sunt pij. Quidam audientes verbum ambulant secundum carnem, Ergo quidam audientes verbum non sunt pij. Conuerte in hunc modum. Si qui nulli ambulantes secundum carnem sunt pij, Et quidam audientes verbum, ambulant secun-

ſecundum carnem. Ideo quidam audientes verbum non ſunt pij. Siquidem omnes audientes verbum ſunt pij, ſiue, nulli ambulantes ſecundum carnem ſunt pij, Nulli audientes verbum ambulabunt ſecundum carnem, ſiue, quidam audientes verbum, ambulant ſecundum carnem, Certe quidam ambulantes ſecundum carnem erunt pij. ſed & nulli ambulantes ſecundum carnem ſunt pij, & quidam audientes verbum ambulant ſecundum carnem, Stat itaque firma concluſio, quoſdam audientes verbum non eſſe pios.

DE RATIONE LOCOS INVENTOS COPIOSE ET VTILITER tractandi.

AD copioſam & vtilem locorum tractationem quatuor potiſſimum requiruntur, quorum primum eſt diductio quæſtionum, hoc eſt, locorum inuentorum: Alterum, copioſa confirmatio, Tertium, digreßio: Poſtremum, artificioſa concluſio. De his quatuor eo quo propoſita ſunt ordine dicam, ſingula præceptis & exemplis declaraturus.

DE DIDVCTIONE QVAESTIONVM.

Hic non de inuentione locorum communium, de qua iam dictum est, sed de loci communis inuenti diductione, hoc est, multiplicatione in plures quæstiones seu locos, dicendum est. Diducitur autem locus inuentus vel in simplices locos, vel in coniunctos. Ut si quartum præceptum explicandum proponeretur. Primum hic locum communem quæreres iuxta præscriptum primæ regulæ hoc pacto, Parentes sunt honorandi, parentes superiores sunt, Ergo superiores honorandi sunt. Hic locus communis in tractatione quarti præcepti est principalis, & tractandus præcipue. Verum vt copiose tractari possit, profuerit eum diducere in alios locos, simplices quidem, quos præbent ipsa verba, coniunctos vero, qui vel ex ijs quæ ipsis verbis necessario insunt, veluti species seu hypotheses in suis generibus & thesibus insunt, & quæcunque cum re necessario coniuncta sunt: vel ex ijs, quæ ex conditione rei adhærent, petuntur. vt in proposito exemplo duo insunt simplices loci, Vnus de honore, Alter de superioribus. Hi tractandi sunt seorsim Didascalica rerum simplici, eo modo quem supra tradidi.

Deinde ex diuisione huius theseos: superiores sunt honorandi, nascuntur plurimæ hypotheses pro diuersa subiecti & prædicati diuisione. Subiectum enim in has formas diuidi potest, quod superiorum alij sunt priuati, qui vel naturales

ſunt vt parentes, vel non naturales vt pædagogi, patroni & patresfamilias: alij publici, vt Ciuilis magiſtratus & Eccleſiaſticus cum ſuis differentijs. Deinde prædicatum honorandi, diuidatur in partes honoris. Qui enim honorat, reueretur eum, obtemperat, gratuſque eſt ei, Ita prædicati tres ſunt partes ſeu differentiæ. Hinc iam tanquam ex ſyluula extruamus hypotheſes: parentes reuereri oportet: parentibus obtemperandum eſt: parentibus gratitudo præſtanda eſt. Præceptores oportet reuereri, præceptoribus obtemperandum eſt, præceptoribus gratitudo exhibenda eſt. Patronos oportet reuereri, patronis obtemperandum eſt, patronis gratum eſſe oportet. Ad eundem modum conſtituantur hypotheſes ex reliquis quæ poſui, vnde emerget maxima quæſtionum neceſſariarum copia. Iam ex ijs quæ ex conditione inſunt, nonnunquam utiliter petuntur loci, vt ſi parentes, præceptores, patroni ſunt moroſi, difficiles, tyranni, an tum ſit illis reuerentia, obedientia & gratitudo præſtanda, & quatenus. Atque ita ex alijs conditionibus multiplicantur quæſtiones. Verum hoc poſtremum genus quæſtionum, quod ex conditione naſcitur, per occupationem commode tractabitur. Ecce ſi has hypotheſes ἀναλυτικῶς retexueris, & διαιρετικῶς tractaueris, & Methodo confirmaueris confirmatoria, & exornaueris: non vna concio, ſed tot quot

ſunt hypotheſes, inſtitui poſſunt. Fateor non omnes locos communes præbere tantam hypotheſium ſyluam, Attamen nullus eſt tam ieiunus, quin aliquot ſaltem ſuppeditet, quas ea ratione, quæ expoſita eſt, extruere oportet ex loco communi, quod vt dextre facias, plurimum iuuabit, ſi prædicabilium, prædicamentorum & propoſitionum doctrinam quàm optime cognitam habeas.

DE COPIOSA CONFIRMATIONE.

COPIOSA confirmatio conſtat probationum generibus, congerie, expolitione argumentorum, & confutatione ſententiæ, cum noſtra pugnantis, de quibus ordine dicam.

DE GENERIBVS PROBATIONVM.

PROBATIONVM itaque genus in Theologia eſt triplex. Primum & tutiſsimum eſt, cum ex pronunciatis ſcripturæ claris & perſpicuis, ducitur probatio. Vt parentes honorandi ſunt, quia quartum præceptum clare & perſpicue ſonat: Honora patrem tuum & matrem tuam. Item, ex fide eſt iuſticia, & non ex operibus, quia verbum Domini ſic pronunciat: Statuimus

tuimus hominem iustificari fide absque operibus.

Secundum genus ratiocinatio est, quoties non ex claris dictis pronunciatur, sed colligitur firma & immota consequentia. Atque hoc genus duplex est, Directum & obliquum. Directum quidem, cum simpliciter prima conclusione quod probandum est colligitur, quod genus sumitur à locis inuentionis: genere, specie, definitione, causis, destinatis & adiunctis &c. Ut si quæratur, an præceptores honorandi sint, ex genere recte conclude: Omnes superiores sunt honorandi, ergo & præceptores. Obliquum vero non simpliciter concludit quod probandum proponitur, sed ex opposito colligit absurdum, ex quo rursus destruit antecedens, quo destructo, sequitur veritas oppositi. Ut si superiores non sunt honorandi, neq; parentes honorandi sunt, Sed falsum hoc est, ergo & illud. consequitur igitur superiores honorandos esse. Tertium genus est infimum, quando exemplis nitimur eorum & testimonijs, qui in Ecclesia excelluisse videntur, quod genus infringitur, si superioribus probationibus destituitur. Proponamus & aliud exemplum. Sit quæstio, Utrum Christus sit Deus, Hoc primum probatur dicto, seu primo genere probationum. Nam 1. Iohannis 5. sic dicitur de Christo. Hic est verus Deus & vita æterna. Secundo ratiocinatione. Christus fecit diuina opera propria potentia, &

Christo tribuitur diuinus cultus, Ergo est Deus. Obliquo ductu. Si Christus esset creatura tantum, maledictus esset omnis qui in ipsum confideret. Sed iam verbum Dei pronunciat beatos, qui in illum confidunt, Ergo non creatura est, sed verus Deus. Tertio testimonium Ecclesiæ, vt symbolum Athanasij & omnium piorum consentientia suffragia, Christum Deũ esse testantur. Porro hæc nostra probationum distinctio nec ratione, nec exemplo caret. Ratio quidem hæc est, Quicquid probatur vel improbatur in rebus sacris, id necesse est, vt fiat vel scripturæ, vel Ecclesiæ testimonio. Si scriptura id fit, erit alias expresso verbo, vnde primum genus nascitur, alias inclusiue siue implicite, idque vel in thesi vel in hypothesi, vnde secundum genus probationum sumitur. At si Ecclesiæ testimonio probatur aliquid, tertium erit probandi genus. Exemplum vero Pauli habemus, quem hoc triplici probationum genere, in suis scriptis vsum fuisse manifestum est. Quod ex fide sit iusticia dicto probat, cum inquit: Iustus ex fide viuit. Ratiocinatione: Si ex operibus est iusticia, Christus frustra mortuus est. Hinc nunc sequitur quod proposuit, ex fide esse iusticiam. Exemplo. Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad iusticiam. Item, Nos in Christum credimus, vt iustificaremur ex fide. Hæc genera si late diffunduntur, maxima futura est probationum copia, sed

ſed adhibendus eſt tamen modus, ne copia ſit intempeſtiua, atque ideo faſtidium pariat.

DE CONGERIE.

Congeries hoc loco eſt, quando propoſitioni ſeu loco communi probando ſubijciuntur præcipuorum argumentorum capita, & quaſi in vnum faſciculum congeruntur. Ut ſi hæc propoſitio tractanda eſſet: Legi diuinæ nemo ſuis viribus ſatisfacere poteſt, poſſent ſequentia argumentorum capita, per congeriem in hunc modum ſubiungi, hoc enim experientia omnium hominum conuincit: hoc ſaucia natura congemiſcens agnoſcit: Hoc vniuerſa ſcriptura clamitat: hoc denique victima filij Dei horrendis modis lacerati in patibulo crucis, comprobat. Hoc modo Cicero propoſitioni ſubiungit argumentorum congeriem, quem in diſponendis argumentis doctiſsimi quique imitari ſolent. Cæterum, tametſi Cicero interdum ab vltimo capite, expolitionem argumentorum in congerie poſitorum incipit, cui primum ſubiungit, & poſtea pergit vſque ad penultimum, quod ſit tractatione vltimum: tamen Theologo & concionatori tutius eſt, ordinem in congerie poſitum in expolitione ſequi.

DE EXPOLITIONE.

Expolitio eſt per quam argumentum propoſitum confirmatur & exornatur. Conſtat autē copioſiſsima

piosissima expolitio, propositione, ratione, ætiologia, exornatione & conclusione. Propositio est, quæ argumenti caput aliquod proponit, tanquam confirmationis propositionem. Ratio probat propositionem, & hæc talis esse debet vt sit minor syllogismi. Aetiologia rationis causam addit, & talem esse conuenit, vt vel maior syllogismi, vel eius probatio sit, Atque ita ex propositione, ratione & ætiologia fit syllogismus integer, sed ordine inuerso. Post ætiologiam sequetur exornatio, quæ sumenda est à sententijs, comparatis, contrarijs, similibus, exemplis. Postrema erit conclusio, quæ superiorum summam colligit, & propositionem principalem concludit. Hæc expolitionis præcepta sunt, nec pugnant quæ dixi cum illorum sententia, qui septem expolitionis partes numerarunt. Non enim est vnum expolitionis genus, sed ego id tantum delegi, quod aptißimum nouitijs concionatoribus fore arbitrabar.

Cæterum vt præcepta expolitionis intelligantur, vnum exemplum subijciam. Proposui supra locum communem: Legi diuinæ nemo suis viribus satisfacere potest. Deinde huic loco quatuor probationum capita per congeriem subieci, quorum primum fuit, quod experientia omnium hominum id verum esse conuincat. Hoc caput sit expolitionis propositio, in hunc modum: Experientia omnium hominum conuincit, neminem

legi Dei satisfacere. (Ratio) Omnes enim homines in seipsis facile sentiunt, quam procul absint à legis Dei perfecta & perpetua obedientia. (Aetiologia) Vident enim legem Dei sanctam & perfecte viuendi regulam, & seipsos plane prophanos natura, & imbecilles. (Exornatio à sententia.) Vsque adeo verum est, quod Propheta clamitat, omnes iusticias nostras esse veluti pannum menstruatæ mulieris: quæ sententia quomodo constaret, si experientia vllius hominis sani diuersum esset experta. (Exornatio à comparatis.) Quemadmodum enim arbor, cuius radix est putrida & venenato succo infecta, nunquam fructus nisi venenatos producit: ita homo cuius cor peccati veneno infectum existit, nequaquam potest puram & integram obedientiam præstare legi Dei. (Exornatio ab exemplis.) An non hoc fatetur sanctus Abel in suo sacrificio? Profecto sic est. Nunquam enim Deus probasset Abelis sacrificium, nisi Christum promissum Sanctus ille vir agnouisset eum, qui credentes iustificaret, & suum peccatum intellexisset, quo se impediri nouit, vt non potuerit legi Dei satisfacere. Nam si putauisset se legi Dei satisfacere posse, nunquam recte sacrificasset, hoc est, sacrificio declarasset promissum semen esse legis completorem. Huc & Dauid locupletissimus testis adijciatur, qui ad Dominum clamans aperte fatetur, non iustificari in conspectu Dei vllum mortalium

talium. Omnes enim declinasse & inutiles factos conqueritur &c. (Conclusio.) Cum igitur Dauidem testem habeamus: cum peccati virus agnoscamus: cum legis puritatem, & immundiciem nostram contemplemur, quis quæso nisi amens negabit? se experiri suam in præstanda obedientia legi Dei imbecillitatem, & (vt ita dicam) οὐτενίαν, In hoc exemplo vtcunque videre est expolitionis vsum: quod si fusius tractare instituissem, singulis partibus dilatatis & multiplicatis, integra oratio, vel ex hoc primo probationis capite fluxisset. Ad eundem modum reliqua tria capita in congerie posita, essent expedienda. Hinc non difficile iudicare possunt studiosi adolescentes, huius expolitionis esse summam vtilitatem. Quare operæprecium facturi sunt, si multum se in expolitionis tractatione exerceant. Hinc enim eam facultatem consequentur, vt postea in serijs negocijs & sacris concionibus hæc expolitionis præcepta, vel non cogitata dicentibus occurrant.

DE CONFVTATIONE.

Confutationis methodus, quæ constat propositione, sublatione, opposita propositione, & solutione, supra est declarata & exemplis illustrata. Quare hic tantum admonebo auditores de loco confutationis.

Locus itaque proprius confutationi assignatur

tur mox post confirmationem, quem tamen locum perpetuo non habet. Nam quoties alia sententia quam nostra, auditorum animos occupauit, Exordium sumi potest à confutatione: quam legem non solum Aristoteles & Cicero, verumetiam Paulus secutus est in Epistola ad Romanos. Confirmaturus enim hanc propositionem, Quod iusticia sit ex fide, primum confutat Gentium & Iudæorum præiudicia. Gentium quidem quæ lege naturæ se iustos putabant. Iudæorum vero qui ex lege diuinitus sibi tradita se iustos gloriabantur. Ex hac confutatione præiudiciorum, dilabitur Paulus in propositionem, quam repetit primum, & postea iustam confirmationem ei subiungit. Hoc Pauli exemplum sequendum iudico, quoties alia quam nostra sententia occupantur auditorum animi.

DE DIGRESSIONE.

DIGRESSIONIS præcepta ad quinque momenta reuocari possunt, & sunt locus, modus, materia, tempus & reditus à digressione. De loco hoc obseruandum est, quod digressio probatæ alicui propositioni subijci debeat. Importuna enim digressio est, quæ fit re nondum confirmata. Modus talis adhibendus est, ne discentium memoriam interturbet molesta prolixitate. Infeliciter enim docent, qui neglecta doctrina, leuissima

leuissima aliqua affecti iniuria, integras horas declamitant in vnum atque alterum, quem offendisse iudicant. Materia digressionis ad exhortationes, consolationes & obiurgationes, sed non quasuis, pertinet. Talis enim debet esse digressionis materia, vt sponte videatur fluere ex doctrina, non accersita aliunde. Nisi enim doctrinæ vis & natura, digressionis materiam offerat, fieri non potest, vt ad ædificationem faciat. Hoc præceptum ideo diligentius obseruandum est, quia non raro ab inexercitatis contra illud peccatur, non sine verbi Dei iniuria, & auditorum damno. Quarto loco tempus posui, quod requirit necessario digressionem. Quando enim auditores vel à doctrina abhorrent vel pigriores videntur, vel pusillanimes existunt, tum obiurgandi, excitandi & consolandi sunt. Reditus à digressione sit non violentus, sed vel finis eius ita aptetur, vt coëat cum ea parte orationis, vnde digressum est, quod fieri vix potest, nisi vis doctrinæ digresſionis materiam præbuit, vel aliquo schemate adhibito recurrat ad doctrinam. Cum primum Beatus Lutherus cœpit vindicare doctrinam Euangelij contra Papalem tyrannidem, opus erat acrioribus stimulis. quare crebrior fuit in digressionibus, quemadmodum in ipsius scriptis videre est, Nunc vero cum doctrina firmata est, & redditus est Ecclesijs nostris tranquillior status, parcius istis acrioribus stimulis vtendum est.

Deinde

Deinde quia neq; vocatio similis, neq; autoritas omnium par est, cogitabunt nouitij concionatores suæ modestiæ esse, rarius extra metas euagari. Cæterũ si quis horum præceptorum de Digressione exempla requirat, legat Epistolam ad Hebræos. Hæc enim vna ingentem exemplorum syluam suppeditabit.

DE ARTIFICIOSA CONCLVSIONE.

DIxi supra qualis conclusio adhiberi debeat in singulorum argumentorum expolitione. Hic dicendum est de loci alicuius seu concionis integræ Epilogo, in quo hæc sunt obseruanda. Primum, vna propositione repetendus est locus explicatus. Secundo, instituenda est breuis enumeratio argumentorum, & maxime præcipuorum capitum. Tertio, sequatur illatio, in qua tria coniungi possunt, quæ tribus propositionibus absoluenda sunt. Quid doceat præsens locus, quid confutet, quid moneat. Quarto, omnia ita ordinanda sunt, vt facilior sit transitus in locum sequentem, si plures explicandi restant. Vt, explicato loco quem supra proposui: Quod nemo suis viribus, legi Dei satisfacere possit, non incommoda foret hæc conclusio (Loci repetitio) Quis modo posthac se suis viribus legi Dei satisfacturum arbitrabitur? (Argumentorum enumeratio)

cum non solum experientia reclamat, natura negat, scriptura passim apertis testimonijs confutat, verumetiam victima filij longe aliud docet (Illatio) Quare hic locus docet nos omnes nostram imbecillitatem & peccatum: confutat iusticiarios, qui legis iusticiam iactant: monet nos omnes, vt agnitis peccatis & imbecillitate nostra, confugiamus ad Christum. (Transitus) quem nobis offert Euangelium, de quo iam nobis dicendũ est.

DE PARAENETICO CONCIONVM GENERE.

Explicato vtcunq; primo concionum genere, quod quia in docendo versatur, Didascalicum nominaui. Nunc sequitur alterum genus Paræneticum, quod ideo breuius tractabo, quia rarius solum et per se habetur. Didascalico enim vt plurimum admisceri solet. Est autem parætneticum genus, quo vel suademus, dissuademusue, vel consolamur, vel obiurgamus auditorem. Hinc triplex concio parænetica exoritur, nimirum suasoria, consolatoria & obiurgatoria, de quibus ordine hæc exponenda sunt. Primum definitio, deinde inuentio, tum tractatio, quibus breuissima subiungam exempla, quo præcepta facilius intelligantur.

DE SVASORIA CONCIONE.

Svasoria concio est, per quam suademus ad aliquid

aliquid vel faciendum, vel ferendum, vel etiam omittendum.

Loci inuentionis in hoc genere præcipui ſunt hi. Neceſſitas cauſæ, mandati, vocationis, vtilitas priuata & publica, dignitas perſonæ & rei. Exempla, antiqua, recentia, Chriſtiana, Ethnica. Item, parabolæ & γνῶμαι. Horum omnium probationes, comprobationes & exornationes aſpergantur, & quemadmodum ſupra admonui in Dialectica methodo, admiſcendas eſſe digreſſionis ſchemate exhortationes, conſolationes & obiurgationes: ita hic confirmatoria methodo loci parænetici confirmari debent.

Porrò in tractatione quatuor concurrunt, occaſio, propoſitio, confirmatio & concluſio. Occaſio cauſas recitat paræneſeos. Propoſitio exaggeranda eſt & multiplicanda, ac ſubinde alijs atq; alijs verbis & ſchematibus iteranda. Confirmatio petetur ex locis iam commemoratis, in qua confirmatione duo præterea ſpectanda ſunt, gradus & ſchema. Gradus facit vt gradatim à leuioribus & minoribus ad grauiora & maiora, deinde grauiſſima & maxima aſcendas, alioqui vileſcet parænesis. Schema, non ſolum affectibus ſeruit, verumetiam orationem acutiorem (vt ita dicam) reddit, vt penitus in auditorum animos penetret, atq; adeo ipſum cor totum poſſideat. Huc Interrogatio, Subiectio, Exclamatio, Admiratio, Dubitatio, Occupatio, Hypotypoſis, Dialogiſmus,

αὐτοπάθεια & huius generis alia, quæ à Rhetoribus nominantur & explicantur, referri debent. Conclusio, quam quartam tractationis partem feci, nouis præceptis non indiget, sed eodem modo confirmabitur, qui supra monstratus est. Cæterum vt præceptorum vsus conspiciatur, exemplum vnicum subiungam.

EXEMPLVM SVASORIAE concionis.

Occasio) Quia video multos tardiores ad verbum Dei audiendum (Propositio) Constitui breuiter nos excitare ad verbi cœlestis amorem, quo impellamur ad diligentius audiendam & conseruandam doctrinam de cœlo nobis allatam. (πάθος) Quanquam dolendum est, mortales esse vsq; adeo suæ salutis immemores, vt stimulis indigeant, quo properent eò, quò toto impetu ferri deberent. (Necessitas causæ) Inde enim tantus torpor mentibus nostris insidet, quod non vt deberemus attendimus, quæ sit verbi cœlestis necessitas. An quisquam omnium mortalium intelligere poterit voluntatem Dei sine ipsius verbo? Profecto si sapientia mundi, quemadmodum vere dicit Paulus, est stulticia coram Deo, fieri nequit, vt Dei voluntatem sciamus, donec stulticiam carnis fuerimus sequuti. (Necessitas mandati) Excidisse sane videtur mentibus no-

ſtris mandatum Dei patris, Cuius hæc verba ſonant de cœlo: Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite. Ipſe filius ſua verba à ſuis audiri cupit, Oues meæ vocem meam audiunt. Vnde conſequitur, eos qui aſpernantur vocem Chriſti, quam ſonat per miniſtros ſuos, non eſſe oues ipſius. Spiritus ſanctus voce Prophetarum & Apoſtolorum ad legem et ad teſtimoniũ inuitat. Quis itaque tu es, qui mandatum æterni Patris contemnis? Quis es, qui filium pro te paſſum, inuitantem te ad audiendum ſuum verbum, aſpernaris? Quis es, qui ſpiritus ſancti imperium detrectas? (neceſſitas vocationis) Vſq; adeo obliti ſumus, vnde & quo vocati ſumus. Nonne per verbum è tenebris Sathanæ educti in admirabilem Dei lucem ſumus? Hoc verbum nos vocauit: Hoc verbum nos Chriſtianos fecit: ſed nos interim adeo auguſti nominis obliti, ſalutis myſterium negligimus. (Vtilitas) Quod ſi hæc tam auguſta vocatio nos non mouet, profecto mouere deberet proprij commodi ratio, qua vel bruta animantia tangi animaduertimus. Sed quis poteſt vlla ratione humana vel angelica recitare ſaltem huius vtilitatis, vel momenta quædam, præſertim cum Paulus poſt Eſaiam dicat, oculum hominis non vidiſſe, nec aurem audiuiſſe, nec aſcendiſſe in cor hominis, quæ Deus præparauit ijs qui ſe diligunt. Nec eſt quod quiſquam ſe ſomniet Deum diligere, qui verba ipſius non audit, non meditatur,

non confert inter sese, vt mysterium in illis latens paulatim intelligat. Christus enim λόγος Dei æternus dicit: Qui diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum. Huic dilectioni Patris & Filij maiora bona adiuncta sunt, quam vt percipi possint humano ingenio. Tametsi Paulus summam his verbis complexus est, Euangelium est potentia Dei in salutem omni credenti. O stupidum hominem, O lapideum cor, quod tantam oblatam salutem spernit, reijcit, proterit. Vt prospiciamus ventri, quid facimus? nonne artes discimus? nonne maria nauigamus? nullum gelu fugimus, nullum æstum auersamur, nullo tempore torpemus, quo misero ventri prospiciatur. His rebus interituris mouemur, & interim salutem nostram relinquimus. Tanta est nostra insania, tanta peruersitas & malicia, vsq; adeo veneno illo Sathanico infecti sumus miseri, quod libentius velimus in sceleribus nostris mori, quam porrectam manum Dei apprehendere & saluari. Verum vbi nihil aliud habemus agendum, tum verbum Domini minori sane reuerentia, quã olim Aesopum suas fabulas recitantem audiuerunt triobolares serui, nos audimus. Vtinam hæc nostra oscitantia non esset euidens signum pœnæ nostræ ingratitudinis. (Dignitas personæ & rei) Quis putasset vnquã homines fore tam obliuiosos, vt stipulationis in baptismo peractæ obliuiscerentur? Ibi enim inaugu-

augurantur Christi corpori, & eius membra redduntur, vt cum illo consortes sint cœlestium bonorum, nec alia re quam fide (quæ ex auditu verbi est) in corpore Christi permanere possumus. Hic merito dubitauerit aliquis, insaniæ ne an stupiditati nostræ ascribatur, quod tantam dignitatē, quam habemus in corpore Christi, quod tantum cœlestium bonorū thesaurum, quē possidemus per Christum, reijcimus terq; quaterque ingratissimi (Exempla) Mirum est non reddi nos cautiores aliorum incommodo. Stupendū est, non venire nobis in mentem, quod totus mundus κατακλύσμῳ perierit, propter verbi Dei contemtum. Non mouemur exemplis Sanctorum Patriarcharū Abelis, Seth, Enoch, Noe, Abrahæ, atque adeo plurimorum, qui nunc Dei iucundissimo aspectu fruuntur in cœlis. Lætor inquit Dauid, cum mihi dicitur, in domum Domini eamus, Sed nos contra lætamur, cum mundus nos ad voluptates inuitat, quibus tamen inescamur, vt tandem in hamo hæreamus capti. Beatus inquit idem Dauid, qui legē Dei meditatur die ac nocte. Sed nos (proh dolor) non secus à meditatione verbi cœlestis abhorremus, quā si omnia ista quæ in verbo proponuntur, essent terriculamenta quædam puerorū. Tomuri sacerdotes Dodonæi, nunquam è templis discesserunt, qui tamen superstitionem Diabolicā, pro verbo Dei amplexi fuerant: Nos nunquam aut raro templa intramus, qui tamen verbo &

testimonio multiplici, de nostra religione edocti sumus, sed vtinam edocti, vtinam vere sentiremus corde, quod ore profitemur & titulo. quod si faceremus, nequaquam ministerium verbi tam peruicaciter contemneremus. Quid quæso respondebis filio Dei, cum in extremo die sua vulnera tibi ostendet? Cum sanguinis sui crudeliter conculcati pedibus te accusabit? Tunc vere tibi accidet, quod Dominus pædixit fore, vt præ pudore & iusto Dei iudicio cum impia damnandorum turba, dicas montibus, Cadite super nos, idque, ne intuearis in faciem filij Dei, quem hic contempsisti, cuius verbum hic abiecisti, cuius sanguinem immaniter pedibus conculcasti, quem expandentem sanguine madentia brachia, & cupientem te è medio mortis & è faucibus inferni eripere, spreuisti miser: vere miser, vt quem iustus iudex nisi pœnitentiam egeris, æternis tenebris & carceribus traditurus est. (conclusio) Rogemus igitur Deum vt nos conuertat, quo conuersi afficiamur dulcedine verbi Dei, vt nos suo spiritu excitet ad audiendum salutis verbum, per quod voluntatem Dei, & verum cultum discere possumus, per quod tantæ vtilitates ad nos adueniunt, per quod tot Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Sancti, Martyres, atq; alij pij plurimi salutem consecuti sunt, per quod recta via in cœlum nobis monstratur per Iesum Christum Dominum nostrum, cui cum Deo patre & spiritu sancto sit laus,

laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Hoc exemplum tractationis vtcunq; monſtrat vſum locorum inuentionis, pauca Schemata interpoſui, frequentius propoſitionem attigi, nec ignoro longe infra rei dignitatem ſubſidere hanc meam exempli tractationem. Quare ſtudioſos hortor, vt dum licet, ſe multum exerceant declamitando & ſcribendo, vt poſtea inſtructiores ad miniſterij ſacratiſſimi functionem accedant, quam battologijs & garrulitate indocta conſpurcare, flagitioſiſſimum eſt.

DE CONSOLATORIA CONCIONE.

Conſolatoria Concio eſt, in qua concionator afflictum hominem & luctantem ſub cruce erigit, ne impatientia victus, ſuccumbat dolori.

Loci Conſolatorij ſunt hi præcipui & communes. Primus, voluntas Patris cœleſtis. Secundus, conditio. Tertius, promiſſio liberationis. Quartus, conformitatis Chriſti & membrorum eius neceſſitas. Quintus, vtilitas eaque multiplex. Cruce enim præſumtio propriæ virtutis euertitur, hypocriſis detegitur, confidentia carnis excutitur, patientia exploratur, obedientia confirmatur, contemtus mundi naſcitur, humilitas inſtillatur, præteritus error corrigitur, futurum

malum præcauetur, fides exercetur, Spes in vnum Deum reponi docetur. Plura de hac re lege in locis Philippi. Tractatio constat occasione, propositione, confirmatione & conclusione, non secus atq; in suasorio genere, cui affine est. Porrò quoniam vtile est certam rationem tenere accommodandi consolationes, paucis subijciam Methodum consolandi.

METHODVS CONSOLATIONIS ADHIBENDAE.


CAEterum ne intempestiue & imperite adhibeatur consolatio, distinguamus primum inter priuatam & publicam Consolationem, deinde vtriusq; iustam formam præscribamus. Priuatam voco consolationem, quæ vni fit, presso aliquo dolore seu cruce. Communem appello, quæ tempore vel persecutionis, vel plagæ alicuius diuinitus immissæ, toti fit cœtui. Sed de priuata prius dicetur, in qua tria in vnuiuersum obseruanda mihi videntur. Primum, quis sit ille qui consolatione erigendus est. Secundum, quid sit quod dolet. Tertium, præsenti dolori apta medicinæ accommodatio.

Qui dolet aut pius est, aut impius. Si pius, statim indicata communi filiorum Dei sorte, consolationibus erigendus, confortandus & fouendus est, idq; per locos supra commemoratos, & valde vtiliter 8. Caput ad Rom. adduci potest. Sin impius,

pius, maiorem curam, vt in grauiori morbo adhibere necesse est. Huiusmodi enim non statim erigendus est, sed magis adhuc deijciendus est fulmine legis Dei, & minis proterendus, donec suam agnouerit sine hypocrisi impietatẽ, donec irã Dei in se concitatam intellexerit, donec clamauerit cum Manasse, se multis modis reum esse. Nam qui impio homini siue ægrotanti, siue alioqui aliqua calamitate presso, mox consolationem accommodat, periculosum, intempestiuum & lethale pharmacum adhibet. perinde enim facit ac medicus, qui foris vulnus sanat, relicta intus sanie, vnde postea maius malũ & mortiferum erumpit. Quare vt peritus medicus μότῳ inserto prius elicit saniem, qua extracta, malagmate obducit vulnus: ita pius concinator impij hominis hulcus legis comminatione tanget prius, vt agnitus morbus sanari possit facilius. Vere enim dicitur, ad sanitatem primum gradum esse nouisse morbum.

Secundum quod in consolationibus obseruandum admonui, est res quæ dolorem affert, seu id quod dolet, quod necessario examinandum iudico, propter medicamenti rectam accommodationem. Aliter enim erigendus est, qui sua culpa sibi malũ accersiuit, aliter cui aliena culpa malum illatum est. Nam si quis sua sibi culpa crucẽ accersiuit, vti infamiam, paupertatem, morbũ, mortem &c. nõ mox medicina seu consolatio adhibenda est nisi videas reum serio peccatorum sensu tangi. Tũ

enim



enim iste peccatorum sensus confirmandus est verbo Dei, & augendus si opus videtur. Deinde ad consolationes descendendū est. At si vel hypocrita existit, vel alioqui impius, tantisper maledictio legis & ira Dei proponenda sunt, donec et peccati sui atrocitatem agnouerit, & illud sibi ex animo dolere confessus fuerit. Quod si eò lege Dei ac minis adigi nequit, non est margarita proijcienda ante porcos. Contra autem si perductus fuerit reus in sui cognitionem, & vero doloris sensu ob peccatum admissum tangatur, tum demum arte medicina adhibenda est, & exponenda sunt ordine hæc tria, lapsus primum: deinde pœna: tum finis vtriusque.

Lapsum ex eo primum prouenisse docendus est, quod timorem Dei abiecerit, idq; confirmari potest commode & copiose ex primo ad Rom: capite. Deinde quod iam in ipsum facilius tanquam in inermem, insidiæ Diaboli, vitium carnis, & improbitas mundi præualere potuerint. His causis lapsus indicatis & confirmatis, secundo loco pœnam ostendere oportet, nequaquam parem esse delicto commisso, sed esse testimonium duarum diuersissimarum rerum, nimirum iræ Dei & eiusdem paterni fauoris & clementiæ. Iræ quidem, si non egerit reus pœnitentiam, & non siuerit se emendari virga Dei. Paterni vero fauoris & clementiæ, si correptus emendetur plaga, & ad pœnitentiæ portum confugerit. Post

hæc tertio loco finis cum lapſus, tum pœnæ exponendus eſt. Lapſus quidem, vt poſthac ſit cautior. Pœnæ vero, quod ſingulari conſilio Dei (cum interim multis impijs & facinoroſis parcitur) ſit caſtigatus, non vt pereat, ſed vt habeat paratum teſtimonium paterni fauoris erga ſe. Verum quia hoc difficilius perſuadetur laboranti ſub cruce, teſtimonia & exempla ex verbo Dei clara et perſpicua producenda ſunt. Teſtimonia quidem, qualia ſunt hæc: Paulus 1. Cor. 11. dicit, Rebus aduerſis nos à Domino corripi, ne cum hoc mundo damnemur. Vide finem crucis eſſe ne damnemur, ſi ſcilicet admoniti cruce egerimus pœnitentiam. Deinde Prouerb. 16. Fili mi, inquit Salomon, ne reſpuas correptionem Domini, neq; afficiaris tædio, cum ab eo argueris, quem enim diligit Deus corripit, & quem velut pater filium, amplectitur. Autor Epiſtolæ ad Hebræos Capite 12. dicit nos ſpurios eſſe non filios, ſi extra diſciplinam ſumus. Huiuſmodi loci & ſimiles aptiſſimi ſunt, quibus animus rei iam pœnitentis erigi poteſt, vt iam pœnam qualemcunq; ſufferre, tanquam præſtiturus Deo obedientiam, velit. Exempla vero ſint Manaſſes, Dauid, Soror Moſis, Rex Vſias, populus in captiuitatem abductus & plurimi alij, qui ob certa peccata puniti ſunt, & poſtea per pœnitentiam ſunt reuerſi. Inſigne præ alijs Latronis exemplum eſt, qui præclarum patientiæ & fidei exemplum edidit.

Hic

Hic non ideo putauit se abiectum, quia morte ista infami erat ob scelera sua afficiendus, sed spe in Christum collocata, patienter commeritam pœnam subijt.

Post huiusmodi testimonia & exempla (quibus patefacienda sunt iudicia Dei, conferendo mores nostrorum hominum cum pristini populi moribus. Deus enim sibi perpetuo similis est, siue pœnam, siue misericordiam respicias) possunt addi loci communes supra commemorati.

Porrò si aliena culpa illatum est quod dolet, ea ratio in consolationis accommodatione sequenda est, quam in publica consolatione ostensurus sum, de qua nunc dicendum est.

Publica igitur consolatio vt recte instituatur, tria sunt obseruanda. Primum, vnde calamitas publica. Secundum, quæ causæ. Tertium, Consolationis accommodatio, pro calamitatis & causarum diuersitate. Calamitas igitur vel est θεήλατος, id est diuinitus immissa, vel ab hostibus nostræ Reipub. illata. Si est à Deo calamitas, vt pestis, annonæ caritas, siccitates, tempestates, causæ non sunt extra nos quærendæ, sed domi nostræ. sunt enim peccata singulorum communium calamitatum causæ, & sæpe ob vnius culpam integra Respublica plectitur, cuius rei testes sunt Acham, Dauid, Oedipus & alij multi, qui sceleribus publicam calamitatē accersiuerunt. Hic non est difficile accommodare consolationem, si exem-

exempla sanctorum Prophetarum sequi voluerimus. Horum enim exempla quid faciendum sit monent. Hi enim primum consueuerunt publice taxare scelera, eaq; triplicia: desertionem Dei, hypocrisin, iniuriam proximi. & horum genera quæ potissimum in populo grassari videntur. Exempla passim extant in Propheticis scriptis. Deinde publice inuitare solebant totum cœtum ad seriam pœnitentiam, ieiunium & orationem. Vtriusq; rei exempla his annis aliquot insignia, ad mandatum Serenissimi Regis nostri, edita sunt, à ministris nostrarum Ecclesiarum, non sine fructu et mitigatione pœnarum commeritarum. Postremo admonere consueuerunt Prophetæ eos, quos præ alijs sceleribus contaminatos animaduerterunt, nostris ministris verbi exemplum relinquentes, vt eos priuatim admoneant, corripiant & emendent, quos animaduertunt sua idololatria, suis vsuris, adulterijs, tyrannide, fraudibus, auaricia &c. Reipub. toti pœnam accersere. hoc pacto, Tyresias tametsi Ethnicus sacerdos Oedipum tyrannum, ob cuius scelus Thebana Respub. peste puniebatur, ad duram pœnitentiam reuocauit. Hoc modo Esaias & Ieremias Reges suorum temporum castigauerunt, eisque imputauerunt communes calamitates. Et scire debent ministri verbi, hanc non infimam partem esse sui muneris, quam si negligunt vel metu vel ignauia, graues pœnas Deo daturi sunt, quemad-

quemadmodum habet comminatio apud Ezechielem & alibi.

Sin autem ab hominibus venit, siue priuata siue publica calamitas, id fit vel propter iusticiam, vel non. Si propter iusticiam, consolatio statim adhibenda est à communi sorte filiorum Dei in hoc mundo, & ostendendum, quanto honore nos dignetur Deus, quod ita nos peculiari suæ militiæ nota insignit: vnde Apostoli plagis affecti, gaudent, quod digni habiti sint pro nomine Christi contumeliam pati. Hæc enim species crucis fidelium maxime propria est, qua vult Christus in nobis glorificari, quemadmodum Petrus docet prioris Epistolæ Capite 4. Porrò si non propter iusticiam nobis ab hominibus calamitas publica inducitur, causæ in nobis ipsis quærendæ sunt, & quemadmodum supra explicatum est, vbi dictum est de cruce diuinitus illata, consolatio adhibenda est. Ex his puto constare, qua ratione & via cum priuatæ tum publicæ consolationes adhibendæ sunt.

DE OBIVRGATORIA CONCIONE.

Concio obiurgatoria est, in qua vel cessantē, vel delinquentem, vel etiam contumacem auditorem obiurgat Ecclesiastes. Huius finis debet esse correctio, & emendatio eius qui obiurgatur.

tur. In hac ſpectentur potiſſimum hij loci: Primus, turpitudo rei perpetratæ. Secundus, adiuncta: vt ſunt mala conſcientia, periculum reiectionis & metus impendentis iudicij Dei, ac præſentium æternarumque pœnarum. Tertius, Dignitatis perſonæ & turpitudinis rei collatio. Quartus, Exempla. Quintus, Connexa perſonæ, vt Chriſtus caput & Rex noſter, Eccleſia quæ eſt patria ſpiritualis, corpus noſtrum quod dedicatum eſt Deo, vt ſit templum Dei. Huc Reſpublica, domus, familia &c. referantur.

Dum hos locos enumero, non ſentio omnes in quauis obiurgatione adhibendos eſſe, ſed nunc hos nunc illos prout prudens concionator viderit vtile fore. Exemplum petatur primæ Cor. 6. Vbi fornicarios obiurgat Paulus. Porro tractationis Methodus non diſſimilis eſt tractationi exhortatoriæ. Quare non opus eſſe iudico exemplum aſſcribere, præſertim cum loci ſint perſpicui, & notum ſit, ſingula confirmatoria Methodo probanda, comprobanda & exornanda eſſe. Verum hic duo adijcienda duxi. Prius, quod animus obiurgandi præmolliendus ſit, ad obiurgationes patienter audiendas, id quod fieri poteſt commode, ſi miniſter officium ſuum erga reum declaret, & publicam neceſſitatem ſibi impoſitam vt id faciat oſtendat, ne putetur obiurgatio proficiſci ex aliquo prauo affectu. Sic Paulus præmolliuit Corinthiorum animos ante acerbiorem

obiurgationem. Posterius, vt intermiſceantur conditiones pœnitentiæ, ne quis aſperiori obiurgatione fractus, animum deſpondeat, vel mortem ſibi conciſcat.


Hæc ſunt honeſti auditores, quæ iudicaui indicanda eſſe nouis concionatoribus, & ſpero, niſi me valde fallit opinio, adoleſcentes non parum iuuari poſſe indicatione huius Methodi. Sunt autem præcepta omnia quæ à me recitata ſunt ex Dialecticorum & Rhetorum fontibus deſumta, & accommodata ad vſum Eccleſiaſticum, vtilia cum in Sacrorum ſcriptorum enarratione, tum in ſacris concionibus formandis, quibus ſi ſe regi patiantur adoleſcentes, non dubito ijs polliceri faciliorem in ſtudijs Theologicis & concionibus formandis progreſſum. Cæterum quia non ſatis eſt apte inueniſſe, & prudenter ordinaſſe ea quæ dicturi ſumus, niſi felix aſſit memoria, volo veluti coronidem huic Methodo adijcere pauca de memoria, idque non veterum more (qui imagines & ſigna comminiſcebantur, quæ eſſent quaſi memoriæ ὀπιςήλια quædam, hanc enim ſubtilitatem libenter illis relinquo) Sed ea tantummodo colligam, quibus ſe iuuari intelligant Studioſi in ediſcendis concionibus.

DE MEMORIA.

DVPLICEM iuuandæ memoriæ rationem inſti-

inſtituamus, quarum prior quidem artificioſior, Poſterior vero rudior erit.

Artificioſior illa conſtabit duabus rebus, ordine nimirum & numero. His enim conſtat artes & tradi & percipi. Nam vt ordo quæque ſuo loco collocat, initia, progreßiones & metas conſiderat, ita numerus res rerumque momenta metitur. Quoniam igitur Methodus quam tradidi rerum ordinem monſtrat, ac quaſi numerat partes, optima erit ediſcendi via, eundem ordinem mentis acie aſpicere. fieri enim non poteſt, vt qui perite ordinem rerum inſtituit, ac rerum puncta obſeruauit, & veluti numerauit, quin eandem facile mente retineat, ac quaſi depoſitum ab eadem repoſcat dicturus. Vnde ridiculum videri poſſet, aliam ediſcendi rationem præſcribere, præſertim hominibus qui in artibus dicendi inſtituti & exercitati ſunt. Verum tametſi hæc ita reuera ſe habeant, non tamen ſtatim ab omnibus percipiuntur. Quapropter vt diſtinctius hæc intelligantur, & ad vſum concionatorum propius accommodentur, totam hanc rationem ediſcendi, quam dixi in ordine & numero poſitam eſſe, in quatuor membra ſiue præcepta diſtribuam. Primum ſit, vt rem exacte intelligat, menteq; totius rei ſummariam quandam comprehenſionem teneat concionaturus. Secundum membrum, vt locos, hoc eſt, κεφάλαια (vt Græci vocant) in numerato habeat. Tertium mem-



brum, vt locorum tractandorum ſectiones faciat, quas certo numero complecti neceſſe eſt. Quod ſi carmine aliquo ad id parato fiat, non erit inutile, vt ſi vſus legis explicandus eſſet. Primum ternam ſectionem non incommode faceret, quam complecti poſſet hoc verſiculo.

Inſtruit & damnat ſontes, docet atque renatos.

Et quia prima pars huius ſectionis plures habet particulas & cauſas, poſſet & eas hoc verſu complecti:

Mandatum, pœnæ, pax publica, dux ad Ieſum.

His enim quatuor pædagogicus vſus legis abſoluitur. Ad eundem modum de alijs duabus partibus inſtitui poſſunt verſiculi.

Veram legis meditationem Doctor PETRVS PALLADIVS Epiſcopus noſter vigilantiſſimus, ac de Eccleſijs Danicis, Noruegijs & Iſlandicis optime meritus, hoc carmine complexus eſt.

Lex quid eram, quid ſum, quid ero, per quem manifeſtat.

Quartum membrum ſit, vt certis in locis digreſſiones in minas, conſolationes, & exhortationes collocentur, ne digrediendo memoria impediatur & abſtrahatur dicturus à re propoſita, quod plerunq; vſu venire ſolet ijs, qui hoc præceptum non obſeruant. Vbi autem iuxta hæc quatuor præcepta concionaturus orationem ordinauerit, ac veluti numerauerit, ad ediſcendum ſe accin-

accingat iuxta dispositionis ordinem. Ac primo loco mandetur memoriæ summaria comprehensio, vt quæ primo loco recitanda est. Deinde loci seu capita seorsim. Tum locorum tractatio cum suis sectionibus, ac sectionum particulis. Hanc rationem ediscendi optimam esse non dubito, quam haud dubie omnes docti sequuntur.

Porro posterior ratio, quam dixi rudiorem esse, hominibus indoctis, qui artes dicendi non degustarunt vtilis est, & hæc siue notis numerorum, siue literis instituatur, perinde est, & fieri potest in hunc modum.

Primum ea quæ vult ediscere artium rudis concionator, distinguat primum notis numerorum, aut literis singulis. Deinde repetendo videat quid apud singulas notas siue literas deposuerit. Postremo ediscat iuxta distinctiones factas, & à singulis notis siue literis tanquam depositum repetat, quod illis antea commiserat.

Non parum profuerit, si primum concionem describat, & deinde iuxta præscriptas regulas distinguat & ediscat. facilius enim mens tenet, quod manus antea notauerat.

Τῷ πόνῳ ἀποκρίνοιτο αὖ ἡ τυχή.



LIPSIAE

EXCVDEBAT ERNESTVS VOEGELIN CONSTAN-TIENSIS.

Cum priuilegio Imperatoris Maximiliani, & Electoris Augusti, Ducis Saxoniæ,

ANNO, M. D. LXV.

vinisti

Contra praesentiam Chri hominis has obiectiones proferunt Cal

I Philippenses 1 paulus inquit cupio dissolvi et esse cum Christo
E Chrs in hac vita cum ipso non fuit. [illegible] dispergendi [illegible] Dni


I Matth 26 inquit Chrs ipse: pauperes semper habebitis mecum non E.

II Johan: 14 Chrs promittit se missurum Spiritum sanctum
q suam absentiam suppleat E.

III Iohan: 17 Pater volo ut ubi ego sum et illi sint quos mihi dedisti
Si igitur Chrs in dextra Dei e ubique Ergo omnes fideles cum ipso [illegible] ubique

TOPICA THEOLOGICA CONSCRIPTA A

CLARISSIMO VIRO GRAVISSImoq́; theologo, Doctore ANDREA HYPERIO sacrarum literarum in inclyta schola Marpurgensi professore celeberrimo.



VVITEBERGÆ.
Excudebat Petrus Seitz.
1565.





CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS BOnarum artium & sacræ Theologiæ studiosis adolescentibus S. D.



REDO ego plerosq; qui noua hæc Topica Theologica uident, mirari cur uir doctissimus Andreas Hyperius, in tanta copia ueterum atq; recentiorum qui de arte disserendi scripserunt, de eadem arte scribere uoluerit. Accerunt etiã fortasse aliqui non alieni à dialectices studio, qui tamen hanc nouam rationem scribendi, qua dialecticorum de inuentione præcepta peculiari libro theologicæ disciplinæ accommodantur, penitus damnabunt. Dicent enim, uel theologiæ studiosum oportere ab initio integram artem inueniendi ex hoc libro discere, uel arte aliunde cognita & percepta tum demum hæc cognoscenda esse: quorum utrumq; incommodum atq; à rationibus studiosorum alienum sit. Si enim hæc sola proponãtur, auocari adolescentes ab ipsis artium fontibus, ad hos tenues riuulos ideoq; ad solidam artis integræ cognitionem eos non posse peruenire. Sin uerò hæc arte demum præcepta sunt discenda non iuuari hac ratione sed onerari stu

dia adolescentum, dum id quod semel cognouisse satis erat bis traditur. Ad hæc artem, quæ certis & definitis præceptionibus constat, fieri hac ratione quodammodo infinitam: si enim theologorum peculiaris quædam est Topica, etiam iurisconsultorũ et medicorum, & oratorum, & poetarum, & forte etiam grammaticorum peculiaris erit ars inueniendi: imò singulæ artes, & forte etiam singulæ quæstiones, quæ tamen numero infinitæ sunt, cum omnes aliquid peculiare habeant, singulæ propriam Topicã requirent. Hoc autem opinari non modo falsum & absurdum, sed etiam adolescentum studijs periculosum est: opinio enim infinitatis artium, facile animos ipsorũ in desperationem conijcit: quis enim tantum ingenio suo confidere potest, ut arbitretur se id quod infinitum est posse comprehendere. Si uerò non est necessarium, ut inueniendi ars certæ alicui facultati peculiaribus præceptionibus applicetur, sed una eademq; inueniendi ratio omnibus artibus communis est, uidebitur authori nostro non tam utilitas adolescentum quam superuacanea quædã subtilitas proposita fuisse. Quærunt præterea cum in Theologia non contenti simus communibus præceptis inueniendi, et peculiarem Topicam habere uelimus, cur nõ etiam peculiarẽ κριτικὴν Theologicam conscribendam curemus: quod ipsis absurdum et plane ridiculũ uidetur. His autẽ rationibus etsi ego fortè non potero respondere ea qua oportebat orationis ui et copia, tamẽ cũ libri auctor, qui munus hoc defendendi suum opus optimè

præstare

præstare potuisset, ante libri editionẽ, nobis ac omnib. studiosis alienißimo tẽpore, ex hac uita euocatus ad Christũ, cui uixit, migrarit, arbitror officij mei esse, ut saltẽ eas rationes exponam quas cogitatione diligenti potui assequi. Et quoniam ea quæ magnorum uirorum exemplo fiunt, plerumq; rectè fieri uidentur, esto hæc prima ratio iustaq; defensio, licuisse tot doctißimorum uirorum exemplo, etiam Hyperio, qui semper doctißimis annumeratus est, suas cogitationes literis mandare. Neq; id exemplo caret quòd artem dialecticam accõmodauit peculiari libro sacris literis quibus ipse se totum addixerat: nam cum una quoq; sit ars benedicendi, quæ docet aptè & ornatè dicere, quacunq; tandẽ de re oratio instituatur, nihilominus multi magniq; uiri libris editis explicarunt rationem scribendi ad absentes, uel leges conscribẽdæ historiæ, aut rationẽ concionandi: quæ etsi omnia ad communem dicendi artem pertinent, habent tamen singula ex his proprias quasdam leges, quæ non inutiliter obseruatæ et annotatæ sũt. Simili ratione Christophorus Hegendorphius et Claudius Cantiuncula, quos honoris causa nomino, artem disserendi iurisprudentiæ accommodarũt, et dialecticas (ut uocant) legales conscripserunt. Credo autem opt. hos uiros qui studijs iuuenũ consulere uoluerunt, ut hæc scriberent, certis grauibusq; rationibus motos fuisse. Atqui ut nunc tantum de inuentione agam, quæ in hoc libro traditur, à Cicerone magno huius artis magistro hæc de illa scribuntur. Atq; hoc totum est siue artis, siue

animaduersionis, siue cõsuetudinis, nosse regiones intra quas uenere, ut peruestiges, quod quæras. Vbi eum locum omnem cogitatione sepseris, si modo usum rerũ per callueris, nihil te effugiet, atq; omne, quod erit in re occurret atq; incidet. Confert aũt hic rationem inueniendi argumenta ueniationi, in qua regiones in quibus feræ lateant nosse, et easdem circumdare et sepire, ac tum feras peruestigare oportet. Ita cum argumentorum quasi animalium certæ sint regiones certi loci in quibus latere solent, et locos hos nosse oportet, et eosdem cogitatione sepire, atq; usu rerum adhibito argumenta peruestigare. Verum ut in eadem sylua aliter uenamur ceruos & aliter lepores, ita in eodem saltu locorum aliter theologica & aliter oratoria argumenta quærimus. Habent quidem oratores eosdem cum dialecticis inuentionis locos, in quibus latet omne id quod ad probandum aut refellendũ ab ipsis in oratiõe assumitur. Interea nihilominus inuenere proprios locos, singulis causarũ generibus, singulisq; statibus accõmodatos. Atq; Antonius in oratorijs libris Ciceronis, oratorem quẽ instituendum suscepit, etsi secum illum cupit statim adducere ad communes illos omnium argumentorum locos, è quibus quasi flumen quoddam illorum erumpit: si tamẽ planè rudis sit tradit eum rhetoribus, erudiẽdũ eorum uulgari disciplina, et instituendum in his locis in quibus singularum causarum propria argumenta minutatim inculcantur. Si igitur tantus orator hos qui ingenio non satis acri essent neque disciplinis libe

raliter instituti, aut aliquo imbuti usu existimauit non statim ad hos omnium artium communes locos deducendos esse, sed prius in hac minuta rhetorum disciplina exercendos: cur non idem nobis licet statuere in theologia, in qua res & grauiores oratorijs actionibus, et magis à uulgi sensu remotæ tractãtur. Nam ea quæ hic scribuntur non magnis illis theologis, qui artium uariarum scientia et rerum usu multum ualent, sed adolescentibus & adhuc tyronibus scripta sunt, qui forte non ita facile communibus inuentionis præceptis, in rebus his tam grauibus uti ab initio possunt. Neque uerò his præceptis adolescentes ab ipsis fontibus auocantur, aut gemino labore idẽ bis coguntur discere, propterea quod hæc non proponuntur quasi publicè in scholis interpretanda, sed priuatis studijs & domesticæ exercitationi reseruantur. Nam posteaquam à præceptore artem disserendi didicerint, & eius usum aliquem ex poetarum et oratorum scriptis perceperint, ipsi deinde suo, quod dicitur Marte, non ita difficulter ea quæ hic traduntur addiscent. Neque magno labore eandẽ rẽ bis discent, sed potius magna cum delectatione eorundem præceptorum usum in sacris et grauib: quæstionibus obseruabunt: neq; illos tantum onerabunt, si quæ forte noua præcepta adduntur, quantum exemplorum copia et uarietas delectabit. Quod uero obijcitur ex una arte dialectica infinitas fieri, si singulis facultatibus sit peculiaris dialectica, id mihi penè ridiculum uidetur. Etenim cum artes et disciplinæ libe-

rales non ita multæ sed certò definitoq; numero comprehensæ sint, etiāsi singulis peculiaris esse dialectica, non tamen infinitæ dialecticæ fierent: neq; ob hāc causam studiosi literarum in aliquam desperationem conijcerentur. Nunc enim quotus quisq; est qui per omnes artes & facultates animo peruagetur, & non potius uni alicui studio se totum addicat: hunc igitur non terrebit, sed potius excitabit & iuuabit, si audierit se suæ artis peculiarem propriamq; dialecticam habere, hoc est instrumentum insigne ad suæ artis usum peculiariter accommodatum et adaptatum. Non tamen hæc dico quod existimem utile aut necessarium esse ut id in alijs artibus fiat, quod certo consilio in theologia et iurisprudentia, amplißimis lateq; patentibus disciplinis factum est: id mihi satis est, etiāsi hoc fieret, non tamen propterea artem dialecticam reddi infinitam. Quod uerò additur in hac tractatione nullam esse utilitatem, sed tantum quandam inanem & superuacaneam subtilitatem, mihi non modo non uerum sed ne uerisimile quidem esse uidetur. Si enim communibus artis præceptis noua multa adderentur si minutißimas quasq; locorū partitiones auctor persequeretur, si ad ipsa usq; singularia progrederetur, posset fortè ea uideri subtilitas superuacanea. Verum ille non noua præcepta coaceruat, sed usitata exemplis nouis illustrat, & si quæ fortè addit, ea tamen et pauca sunt, & ita exemplis multis et illustribus confirmata, ut nihil non dilucidum et apertum sit. Equidem ausim polliceri studiosis theologiæ, eos ex his Topicis

picis longè maiorẽ quàm ex ullius alterius dialectica utilitatem percipere poſſe, idq; propter uim & copiam exemplorũ. Sic enim mecũ ſtatuo ex paucis præceptis et generalibus, ſi ea exemplis illuſtrentur, facilius artem addiſci poſſe, quam ſi omnia præcepta, etiam minutißima quæq;, abſq; exemplis in unum coaceruata fuerint: & hoc quod dico, non tantum in hac arte, uerum etiam in Grammatica & Oratoriæ *facultate, ita apertum et manifeſtum eſt ut nulla probatione opus ſit. Verum urgent cur non etiam ſcribatur* κριτικὴ *theologica, exemplo* Topicorum *theologicorum: Ego uerò, rideant illi quantum libet, uelim uirum optimum* Hyperium *hac quoq; in parte conſuluiſſe ſtudijs adoleſcentum, &* κριτικὴν *theologicam conſcripſiſſe: hoc eſt, exemplis ſacrarum literarum illuſtraſſe omnia præcepta de cenſura ueri & falſi. Neque dubito hunc laborem utilem & gratum futurum fuiſſe theologiæ candidatis.* Habemus *Ariſtotelea præcepta diſſerendi, in quibus exemplorum loco ſubinde græcæ literæ* α, β, γ, & *quædam aliæ repetuntur : imitatione quadam mathematicorum, ut uolunt interpretes, conſilio forte recto, euentu tamen non proſpero, quoniam hac ratione magna arti acceßit obſcuritas.* Quid *dicam de tot dialecticorum libellis, qui uulgo in manibus ſunt, in quibus omnibus plus ſexcenties prædicatur,* Omnem *hominem eſſe animal. Omne animal eſſe corpus. Nullum hominem eſſe lapidem Socratem eſſe hominem. Eum currere, ſtare, ſedere.* Quam *uerò ridicula*


ſunt exempla paralogiſmorum, quibus uel quinq; eſſe paria & imparia, aut aliquem hominum cornua habere, aut crudas carnes comedere, aut ſyllabam caſeum arrodere, aut aliquid ſimile concluditur. Sunt tamen multi qui exemplis oratorum & poetarum artem dialecticam illuſtrarunt, aliqui etiam nonnulla á theologis deſumptis ſuis libris dialecticis inſeruerunt? Fateor, & agnoſco bonarum literarum ſtudioſos his multum debere: attamen ſi laudem merentur qui aliqua exempla ſacra ſuis ſcriptis inſeruerunt, cur non maior laus deberetur illi, qui integram artem multis exemplis ſacris exornaret. Tum autem facile uideremus quomodo illi paralogiſmi, qui alioqui uidētur ridiculi, fuerint grauium & diſſenſionum & errorum cauſa in eccleſia: dum homines uel imperiti, uel ambitione, aut alijs affectibus excæcati, ſuas prauas opiniones male detortis ſcripturis, & rationibus uitioſè inde concluſis, probare conantur. Verum quoniam Hyperius hanc partem morte præuentus abſoluere non potuit, eam expectemus ab alijs, ſi qui forte fuerint qui fidem eius & diligentiam in erudienda iuuentute, uoluerint imitari. Interea ſtudioſi adoleſcentes dum κριτικῇ theologica deſtituimini, grato erga Hyperium animo hoc eius beneficio fruimini, neque uos leuiculæ quorundam obiectiones moueant, ut optimos optimi uiri labore contemnatis aut negligatis. Nolo ego nunc ipſius Hyperij laudes uobis commemorare, quas ſcio me pro dignitate celebrare non poſſe: hoc

tan-

tantum uobis affirmo, in illo uiro, præter eximiam eruditionem cum singulari pietate & humanitate coniunctam, fuisse peculiarem quandam uoluntatem et diligentiam in promouendis adolescentum studijs. Comprobauit id dum uiueret eius in docendo fides et aßidua industria: nam quamuis in theologia, quam publicè docebat, asidue uersaretur, & multum etiam occuparetur scholæ & Ecclesiæ negocijs, nunquam tamen intermisit quin domi iuuentutem in alijs artibus institueret, & philosophiam omnem cū theologia coniungeret. Comprobant eius diligentiam ipso iam mortuo scripta illius: nam & ea quæ iam sunt edita, De formandis concionibus, De recte formando theologiæ studio, De quotidiana lectione ac meditatione sacrarum literarum, Catachesis, Scholia in Epistolam ad Romanos, & hæc ipsa quæ nunc uobis damus Topica theologica, omnia ad promouenda adolescentum studia singulari diligētia accommodata sunt. Et quæ nondum ædita apud hæredes seruantur, uobis quoq; adolescentes studiosi, quantum ex librorum titulis colligere possum, maxima ex parte consecrata sunt. Nam ut nihil dicam de theologicis scriptis, quæ non tantum adolescentibus scripta sunt, reliqua omnia singulare studium iuuandi adolescentum studia præ se ferunt, Primum enim cum nosset, non ita facilè Aristotelem, & reliquos in singulis artibus principes, cognosci & intelligi posse ab his qui primū ad hæc studia ueniunt de singulis penè artibus peculiares libros conscripsit, et eos

iuuentuti

iuuentuti interpretatus est. Deinde quoniam summam sciebat esse ueterum auctoritatem, & in illis eruditionem reconditam latere, eorum quoque scripta, & præsertim Aristotelis quem iure Philosophiæ patrem nominare possumus, diligenter & fideliter explicauit. Vtinam uerò quæ præclare cœperat, absoluere & emendare omnia potuisset: magnum inde emolumentum omnes studiosi proculdubio caperent: sed quia Deo Opt. Max. aliter uisum est, danda uobis est opera studiosi adolescentes, ut saltem ea quæ integra sunt, uobis communicentur. Qua in re si optimi patris liberi honestissimi, atq; librorum eius hæredes uobis gratificari, & ea in re mea opera uti uoluerint, efficiam ut & uos me diligentem in libris excudendis, & illi memorem me horum beneficiorum & gratum erga se esse intelligant Valete, meamq; operam & uoluntatem boni consulite.




LOCORVM INVENTIONIS ANDREAE HYPERII CVM locis R. AGRICOLAE COLLATIO.

TABVLA PRIMA.

Locorum qui in his Topicis habentur quidam,

- Communes sunt ambobus, quos scilicet ambo eiusdem ferè nominibus non tamen eodem ordine explicant, sunt autem hi
  - Nomen,
  - Definitio,
  - Genus & species,
  - Differentia seu Proprium,
  - Diuisio.
  - Coniugata,
  - Adiacentia.
  - Actus & Subiecta.
  - Causæ.
  - Effecta.
  - Contingentia.
  - Pronunciata.
  - Similia & Dissimilia.
  - Comparata.
  - Repugnantia.
    - Opposita.
    - Disposita.
- Ab Agricola tantum enumerantur qui tum etiam sub locis Hyperij comprehenduntur ueluti.
  - Totum & Partes / Euentu & Destinata — pertinent enim hi loci ad
    - Diuisionem seu partium enumerationem,
    - Effecta.
  - Locus, Tempus, Connexa, Antecedentia, Adiuncta, Consequentia. — Hos sex locos Hyperius sub uno Contingentium nomine complexus est.
- Ab Hyperio tantum enumerantur, De quibus uide duas sequentes tabulas.



Locorum qui ab Hyperio tantum enumerantur alij sunt,

- Dialectici & hi uel sunt.
  - Artificiales quorum alij pertinent ad
    - Nomen uel coniugata ut
      - Communis significatio nominis.
      - Accidentia nominis uel uerbi.
    - Proprium ut Attributa Dei,
    - Causas ut
      - Promissio.
      - Comminatio.
      - Prædictio.
      - Typus.
      - Allegoria.
      - Signum.
    - Comparata ut
      - Proportio.
      - Paria ab uno tempore ad omne tempus.
      - Ab uno tempore ad aliud speciatim.
      - A capite ad membra.
      - A membris ad caput.
      - A corporali ad spirituale.
      - A spirituali ad corporale.
      - A terreno ad cœleste.
    - Repugnantia ue luti-
      - Oppositio duarum sententiarum.
      - Conciliatio sententiarum pugnantium.
      - Oppositio ueræ interpretationis contra falsam.
      - Oppositio eius quod præcipue in re considerandum est.
  - Inartificiales qui omnes ab Agricola uno Pronuntiatorum loco comprehenduntur
- Oratorij.

De his uide tertiam tabulam.

Oratorii loci alii sunt

- Personarum qui omnes referuntur ad superiores locos. Alij enim pertinent ad
  - Genus qui quidam γενικὸν significant ut
    - Genus.
    - Sexus.
    - Natio, quamuis hic locus etiam ad adiuncta referri possit.
  - Notationem ut Nomen
  - Causas ut
    - Educatio, est enim inter efficientes causas.
    - Habitus Corporis. Animi natura. — Sunt enim formæ accidentariæ, quare etiam adiunctis adnumerari possunt.
  - Effecta ut Res gestæ
  - Contingentia seu adiuncta
    - Aetas.
    - Conditio seu genus uitæ
    - Fortuna.
    - Illa quæ mortem consecuta sunt.
  - Repugnantia ut Mors.
- Rerum expetendarum & fugiendarum, sunt autem loci per omnes superiores diffusi. Nam fere ex omnibus argumenta depromuntur, ut probetur aliquid esse honestum aut inhonestum, utile aut inutile. Explicantur tamen separatim ab oratoribus hi loci quia noti & magis obuij sunt alijs, & non tantum materiam suppeditant, sed ipsi quoque in argumentum assumuntur.

TOPIC

AVTORE

diuinarum

Aca

Dialec

Theol



seu maceriæ,

circundat :

fructibus qu

ximam cogn

gulas, deber

que uiuendu

Porrò T

ad disciplinas

cœlestibus pro

cum ipso con

TOPICA THEOLOGICA

AVTORE D. ANDREA HYPERIO diuinarum literarum in celeberrima Academia Marpurgensi Professore.

Dialectices per magnum esse in Theologia usum.



ROBATVR NOBIS Priscorum iudicium, qui philosophiã, ut Philo refert in libro de Agricultura, compararunt cum ubere & fertili agro: Atq; ex tribus illius partibus, Logicen quidem dixerunt similem sepi seu maceriæ, qua quis ante omnia locum selectum circundat: Physicen arboribus stirpibusq;: Ethicen fructibus qui decerpuntur. Hoc enim pacto et maximam cognationem artium secum inuicem et singulas, debere ad honestas actiones, siue ad benè beateq; uiuendum dirigi, prudenter demonstrarunt. 23. Maij Anni 59.

Porrô Theologiam, quæ longißimo interuallo disciplinas reliquas superat, deq; rebus diuinis & cœlestibus propriè disserit, equidem non dubitarim cum ipso conferre cœlo. Quemadmodum namq; Omnes artes à Theologia oriri

cœli perpetua agitatione, calore, frigore, rore, pluuijs, flatibus, tum subiectum solum rigatur, & euadit fœcundum, tum arbores ac stirpes uegetantur, augescuntq;, deniq; fructus maturi atq; apti mortalium usui fiunt: Ita de Theologia uerè dici potest, quod laudandarum artium omnium sit procreatrix & quasi parens, quodq; easdem uel sola foueat, roboret, sustentet, ac conseruet. Etenim sacra scriptura qua Theologiæ ratio uniuersa continetur, omnium sine controuersia est antiquißima.

Quamobrem quicunq; de aliquo doctrinæ genere præcepta primi tradidere, hos occasionem, materiam & exemplar colligendarum præceptionum ex illa ipsa hausisse, par est concedamus. Quod uerum esse nominatim de facultate dicendi asserit D. Ambrosius Epistolarum lib. 8. epist. 67. Omnes uerò honestas disciplinas communiter ab Hebræis rerum Theologicarum antiquißimis magistris, dimanasse ad Barbaros, Chaldæos inquam, Assyrios & Aegyptios: dehinc transportatas ad Græcos, in quadam oratione pluribus euincit Tacianus Assyrius. Constat præterea disciplinas quascunq;, ueluti medicinam, cognitionem legum, & similes eatenus recipi atq; haberi in precio, quatenus à Theologia, hoc est, uerbo Dei commendantur. Si quæ autem ab hac exploduntur, eas ceu inutiles imò noxias eliminari ac propelli debere, quo in genere sunt multiplices diuinationum formæ, ac tota illa artium

um

um uanarum καὶ περὶ ἔργων quemadmodum appellantur Act. 19. cohors.

Quod si iam & originem & autoritatem probatæ artes omnes à Theologia accipiunt, æquißimū profectò est, ut eæ uicißim ad ornandam amplificandamq; Theologiæ dignitatem adhibeantur, ut quasi memores beneficij accepti ultrò ipsæ proferant suppeditentq;, quicquid splendori illius existimatur profuturum.

Artes omnes ad Theologiam ornandam adhibendæ

A Dialectica uero hoc imprimis præstari decet. Si namq; hæc utilis est, ut ipse Aristoteles Topicorum lib. 1. asserit ad prima uniuscuiusq; disciplinæ principia, præterea uiam habet ad principia omnium methodorum, fieri non potest, quin ad Theologica quoq; studia momentum magnum adferat. Quo circa D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 31. Disputationis disciplina, inquit, ad omnia genera quæstionum, quæ in libris sanctis sunt penetranda ac dissoluenda plurimum ualet. Tantum ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium. Idem scribens aduersus Cresconium Grammaticum libro primo, capite decimoquarto, & aliquot sequentibus: In Christi & Apostolorum sermonibus argumentationes quid studiosè ex Dialecticorum legibus concinnatas, crebro inueniri perspicuè ostendit. Quid? quod experientia nos docet neminem ritè posse, aut uera religionis nostræ dogmata stabilire, aut hæreticorum falsas opiniones diruere, aut quouis modo

Dialecticā ad studia theologiæ utilem esse & necessariam.

quæ ex ſcripturis collegerit, quidúe ſentiat explicare, niſi qui mediocriter ſaltem ſit Dialectices patrocinio ſuffultus. Hieronymus enarrans Ezechielis cap. 25. ait, Quicquid in ſeculo peruerſorum dogmatum eſt, quicquid ad terrenam ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum, hoc Dialectica arte ſubuertitur, & inſtar incendij in cineres fauillasq; diſſoluitur, ut probetur nihili quod putabatur eſſe fortiſſimum. Quantum in Synodo Nicæna & alibi aduerſus Arianos infenſiſſimos ueritatis hoſtes Athanaſius Alexandrinus diſputando toti profuerit Eccleſiæ hiſtoriarũ Eccleſiaſticarum ſcriptores, ut Sozomenus tripartitæ hiſtoriæ lib. 2. Cap. 2. Nicephorus Calliſtus lib. 8. cap. 44. cæteriq; minime tacuerunt. In Baſilio etiamnum iuuene degente Athenis dexteritatem in proponendo refellendoq́; miratur, & prædicat Gregorius Nazanzi Epiſcopus. Sed quorſum attinet plura huius generis recenſere? Si quæ porrò apud nonnullos ueteres Theologos leguntur ceu contra Dialecticen pronunciata, ea omnia de reprehenſione Sophiſtices atq; fœdo honeſtiſſimæ per ſeſe artis abuſu operæ precium eſt accipiamus. Ex his autem liquet perutilem, nec minus neceſſariam eſſe ſtudijs Theologicis Dialecticen, atque omnium qui ſacris nauare operam uolunt literis magnopere intereſſe, ut ſicut alias diſciplinas liberales, ita & hanc ad Theologiæ præpotentis ac nobiliſſimæ dominæ deducant obſequium & famulatum, hoc eſt, tàm priuatæ ſuæ lectioni, quàm enar-

rationi rerum diuinarum, quam ab alijs fieri audiunt percipiendæ, omne artis instrumentum accommodare adsuescant. Est uerò institutum nostrum Dialectices partem appellatam Topicen in manus sumere, & quomodo ea Theologiæ seruiat exemplis sumptis de concionibus sanctorum Prophetarum & Apostolorum, quoad eius licebit explicare. In omni enim disceptatione Theologica, prima laus & labor est præcipuus idonea ad quoduis propositum argumenta ex locis eruere.

Quid Dialectica, quænam Topice, tum quid sit Locus & Argumentum.

Quid Dialectica & quænam eius partes

Dialectica quæ est diligens ratio disserendi duas habet partes, unam inueniendi, alteram Iudicandi. Prior autem cura esse debet, ut quæ dici de quaq; re proposita queant. Posterior ut uerum quæ inuenisti conueniant instituto, prudenter discernas. Cæterum inuenire non possumus nisi certos noscamus locos, qui cogitandi disserendique materiam quærentibus aliquo modo exhibent. Itaq; prior pars Dialectices locos, Græci τόπȣς nominant, tradit, eam ob rem τοπικὴ appellata.

Locus quid

Locus igitur est sedes è qua argumentum aliquod negocio, de quo agitur, aptum sumitur. Argumentum est ipsa ratio excogitata inuentaq;, qua quid de negocio proposito sentiamus, exprimimus. Exemplo addito res clarior euadet.

Exemplũ pœnitentiæ descriptæ per locos.

Loci sunt notatio, quæ uim nominis explicat, Definitio naturam rei aperiens, Diuisio, quæ partes, adeoq; membra ordine recenset. Causa. Quod si iam proponat aliquis sententiam de scripturis, ut uerba illa Christi Lucæ 5. ueni ad uocandum peccatores ad pœnitentiam, cupiat autem ex te audire, quid apposite ac probabiliter de pœnitentia dici queat, primus sane locus Notatio inquam, sedes est, siue signũ atq; nota admonens te, ut experiaris utrũ nomen seu uocabulum ipsum pœnitentiæ poßis rectè explicare. Dices ergo pœnitẽtiam quorundam opinione inde dictam, quod pœna hominem teneat: Eandem uerò Græci μετάνοιαν, quasi dicant posteriorem mentem. Propriißimè uerò resipiscentiam, Quanquam non est de Etymologijs magnoperè laborandum.

Secundus locus definitio uidelicet suggerit, ut explanes cuiusmodi res sit pœnitentia. Dicere autem potes pœnitentiam esse uerum animi dolorem ob peccata anteacta cum Fide remißionis ac misericordiæ accipiẽdæ. Quæ definitio sumi ex illis potest, uel certe cõprobari quæ Marci 1 statim occurrunt. Ioan. inquit, prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorum. Item Christus concionabatur. dicens, Resipiscite & credite Euangelio, & Act. 2. Petrus, Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine IESu Christi in remißionem peccatorũ. Et Paul. Act. 20. Testificatus sum Iudæis simul et Græcis eam quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem quæ est erga Dominum nostrum

strum Iesum. Quibus omnibus sententijs prius mēbrum dolorem ob peccata, posterius FIDEM de remißione declarat, unde coniungi debere dolorem & Fidem aduertimus. Tertius locus erat Diuisio. Quid igitur? Admonet ut disquiras num pœnitentia in partes aliquas distribuatur. Atqui ex ijs quæ iam dicta sunt etiam partes discerni possunt, Dolor, inquam de peccatis, quem aliàs uocant contritionem (Fortè quia Psalm. 51. 147. Iesa. 61. & alibi in scripturis contriti atq; humiliati cordis fit mentio) & FIDES. Contritio hominem conculcat, et mortis reum proclamat. Fides rursus erigit, iubet ueniam poscere, & eam consequitur. Diuisio.

Quartus locus causa. Quam uerò dicemus pœnitentiæ causam: Nimirum uerbum Dei, quod ob peccata æternam comminatur mortem, iterumq; inuitat et hortatur ad fugam uiciorum, ad uitæ emendationem. Ita namq; qui audiuerunt grauißimam concionem D. Petri exprobantis, quod Christum filium Dei autorem uitæ abiecissent, uehementer sunt animis permoti: siue quemadmodum Lucas ait Act. 2. compuncti corde, atq; interrogarunt Petrum & Apostolos quid facere ipsos oporteret. Quibus Petrus. Delictorum pænitentiam agite, inquit: sed & Deus, siue spiritus Sanctus corda latenter incitans peraptè pœnitentiæ causa dicitur Psalm. 85. Conuerte nos Deus salutaris noster 2. Tim. 2. Si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendum ueritatē. Quid igitur sit locus, et quomodo ex locis eruantur argumēta intelligi facilè potest. Causa. Conclusio.

In Theologia maximè laborandum ut argumenta ex scripturis ipsis depromantur.

PRius autem, quàm locorum Dialecticorum pleniorem aggrediamur explicationem, operæ precium est, de nonnullis eos admoneri, qui locorum ductu apta argumenta in Theologia digerere cupiunt. Est Dialectica ars per sese simplex, sui ubiq; similis, ijsdemque perpetuo contenta præceptionibus. Verum quando applicari eas ad reliquas disciplinas contingit, nonnulla diuersitas incidit, ac difficultas, ob quam expedire se non possunt, nisi qui earundem disciplinarum fuerint periti. Certum namq; est unicuiq; artium generi quædam inesse propria, ex quo fit ut sæpenumero ex ijsdem locis aliter Theologus, aliter Iurisconsultus, aliter Medicus, aliter Philosophus argumenta educere assuescat. Quinetiam uidetur unaquæq; disciplina certos quosdam suæ regionis & domesticos locos quasi digito ostendere utendosq; commendare, qua de re postea dicetur oportunius.

Quare argumenta Theologica ex sacra scriptura sint congerenda. 1. Ratio.

Ante omnia igitur quisquis in Theologia uult argumenta grauia atq; firma congerere, operam dabit ut eadem ex sacra scriptura quoad fieri potest desumat. Rationes sunt in promptu. Sacræ scripturæ maxima est authoritas, utpote quæ ipsius Dei uerbum continet, atq; à Spiritu sancto est profecta. 2. Pet. 1.

Pet. 1. Illud noueritis, quod omnis Prophetica scriptura non sit priuatæ interpretationis. Non enim uoluntate hominis allata est olim prophetia, sed à Spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti Dei homines. Sunt igitur summa omnia scripturæ tribuenda, nec credibile est, flecti cuiusq; oratione illum posse, qui Dei oraculis non mouetur. 2. Ratio

Sic se habent libri sacri præsertim Canonici appellati in Theologia, quemadmodum in unaquaq; disciplina prima earundem principia, quæ poni atque concedi omninò necesse est. Illud autem usqueadeò uerum est, ut si quis ipsos reijciat cum hoc minimè sit disputandum, quod non fugit plerosq; hæreticos, qui cauere uolentes, ne scripturarum autoritate pressi succumberent, ausi sunt libros quosdam de canone submouere explodereq;. Carpocrates, Seuerus, Cerdo, Manes, à quo Manichæi, reiecerunt, teste August. in libro de Hæresibus, uolumina legis, quanquam de Cerdone refert Tertull. lib. de Hæresibus, sicut & de Martione lib. 1. Irenæus quod Euangelistas quoq; excepto Luca reiecerit. Philaster autor est Cerintho solum placuisse Matthæũ. Apud Eusebium hist. Ecclesiasticæ libro 4. capite 29. legimus Seuerianos repudiasse Paulinas epistolas & Apostolorum acta. Videlicet compendium rati sunt ad uictoriam, si quorum iacula uidebant sibi pertimescenda, eos de Ecclesiæ castris antequam ad pugnam ueniretur emitti postularent. 3. Ratio.

Quid? quod sacra scriptura diuitem atque ube-

rem adfert ſuppellectilem ad dicendum de quibuſ-cunque negocijs Theologicis, quæ uериſimile eſt incidere poſſe, 2. Tim. 3. omnis ſcriptura diuinitus inſpirata & utilis ad doctrinam, ad inſtitutionem, ad correctionem: ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia, ut integer ſit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Rom. 15. Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram ſalutem ſcripta ſunt, ut per patientiam conſolationem habeamus, &c. ut non dicam quod arcanæ literæ abundant communibus ſententijs, quas oportebat unumquenq; tenere memoria, quò in omnem euentum inſtructus eſſet. In nullis Philoſophorũ lucubrationibus, tam multæ & tam inſignes, tamq; idoneæ ad fulciendas argumentationes inueniũtur, præ omnibus uerò ſcatent communibus ſententijs, Prouer. Eccleſ. Pſal. Hiobus.

4. Ratio. Iam uerò indignum eſſe ſcimus de rebus diuinis uelle ex hominum iudicio pronunciare, nec fas, nec tutum eſt in Theologia ludere humanis cogitationibus, procul ſciungenda eſt Philoſophia à Theologia, homo ψυχικὸς non accipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei 1. Cor. 2. cogitata, dicta, factaq; noſtra uniuerſa ſemper mendacio quam ueritati propiora, ſolus autem Deus uerax Pſal. 62. 116. Rom. 3. Res diuinas igitur diuinis probari oraculis expedit.

5. Ratio. Exempla deniq; eorum qui in Theologia excelluerunt, ita ut faciamus ſuadent. Nam Prophetæ, Chriſtus ipſe, Apoſtoli quæcunq; dogmata inculcant, ea plurimum muniunt ſacræ ſcripturæ ſuffragijs,

gijs, quemadmodũ in illorum concionibus atq; scriptis uidere licet. Quæ cum ita sint, par est aßiduè sacrarum scripturarum incumbamus lectioni, atq; illas faciamus nobis familiares, quo semper ad manũ sit parata argumentorum materia. Aliquid laude dignum præstare in doctrina pietatis absq; scripturarum aliquanta cognitione iuxta difficilè est, atq; Aegæum transmittere uirgultea scaphula, &c.

Ex scripturis, siue aliunde argumenta, si libet, colligere, consultissimum est imitari Prophetas & Apostolos.

NON abs re qui discunt, de imitatione eorum quos optimos præstantißimosq; audiunt esse artifices sunt soliciti. Quid enim exequantur, qui eius quod efficere desiderant, nullũ uiderunt apud alium exemplar? Rectè dixit Fabius, magnam artis partem imitatione contineri. Sed si usquam alibi, in Theologica tractatione perquam necessarium est ad imitandum alios se omni studio comparare. Siquidẽ nisi ducẽ sequaris, facilimè opinione citius aberras. Est autem in hoc studiorum genere error omnis magno coniunctus cum periculo, quod animaduertit Hieronymus, qui in commentarijs ad Oseam dixit, aliquem etiam ex solis uerbis inordinatè prolatis incurrere in hæresin. Nec dedecus, sed eximia uirtus est benè imitari, non omnibus pro uoto cadit hæc alea.

Imitatio.

Quos

Quos uerò, inquis, imitabimur: Respondeo omnes in omnibus disciplinis proponunt laudatißimos, idem esto iudicium in Theologia. Laudatißimi uerò Theologi absq; controuersia sunt Prophetæ & Apostoli. Quam igitur hi uiam nobis aperuerunt, ea ingredi nos oportet, neq; obscurum est horum studium ac diligentia in digerendis firmamentis ex illis libris qui ante ipsorum ætatem sacri fuerāt habiti. Prima & antiquißima scriptura sacra est Lex Dei, quinque libris Mosaicis compræhensa, in qua summam doctrinæ religionis abundè esse perscriptam indubitatum est, ac uult Deus pios omnes ex illa ipsa communes omnes & certas formas iudicandi de omnibus rebus petere. Prophetæ igitur ex lege argumenta mutuari solent, tanta uerò cura in eam semper fuere, quodcunq; propositum explicandum esset, intenti, ut frequenter ipsa legis uerba conspiciantur usurpare, & conciones illorum commentarij siue enarrationes diuinæ legis iure appellari queant. Porrò seruator noster Christus siue disputaret cum aliquibus, siue doceret, deinde Apostoli in omnibus suis scriptis, argumenta depromunt non tantum ex lege uerumetiam ex Prophetis, & ad quæcunq; negocia præcepta legis ac Prophætarum oracula accommodant.

Ordo scripturarum triplex.

Atq; hoc pacto triplex scripturarum ordo obseruari potest. Primus quidem continens legem. Secundus uerò in quo scripta Prophetarum tàm qui
1. priores quàm qui posteriores Hebræis dicuntur. Ter
2. tius ex libris conflatur Apostolorum.
3.

Nobis proinde hi tres ordines simul sunt concessi, magnaq; est fœlicitas, quod ex tam multis scriptis multiplicem disserendi materiam licet congerere, & tantis opibus rectè uti quibuscunq; negocijs eas accommodando. Sunt igitur præfixæ hæ regulæ quā docunq; argumentum ex ullis libris sacris trahimus, eam sequamur rationem ac methodum, quam Prophetæ & Apostoli dum ex libris qui ipsos antecesserunt educunt argumenta, commonstrant: Subijciemus autem capite sequenti quæ in hac parte, ut fœliciter illos imitemur sint nobis obseruanda. Rursus, si quæ adferimus argumenta aliundè, hoc est, ex libris alijs uel disciplinis quam sacris, nitamur pari prudentia ac iudicio ea aptare ad institutum, quo Prophetæ & Apostoli id fecerunt. Constat autem ab his sæpenumero adferri uaria argumenta, quorum nec uerba nec res in libris, qui ipsos antecesserant, apertè sunt descriptæ. Verum ita diriguntur singula, & quadrant ad illa quæ alicubi in libris sacris continentur, ut ex his emanasse censeas, aut certè deprehendas cum his per omnia consentire, quamobrem reijcere eiusmodi argumenta nullo modo potes. Apostolus 1. Cor. 15. asserere uolens dogma de resurrectione mortuorum, lectißima argumenta ordine digerit, quorum tamen pleraq; neq; in lege neq; in Prophetis inuenias: ubi enim extat illud quo declarat, quomodo mortua corpora resurgent, & qualia tunc sint futura. Stulte inquit, tu quod seminas non uiuificatur nisi mortuum fuerit,

Quomodo argumenta sumenda ex libris sacris.

Quomodo argumenta sumenda ex

& hoc quod seminas, non corpus quod nascetur seminas, sed nudum granum, exempli causa tritici aut alicuius ex cæteris: sed Deus illi dat corpus ut uoluit, & unicuique seminum suum corpus. Est argumentum longè aptißimum, sumptum ex similitudine de rebus naturalibus, et clarè conuincit æquè facilè esse ut corpus semel in nihilum redactum, uitam rursus accipiat, atq; granum quod in terra computruit, iterũ in herbam aut plantam excrescit. Pergit ulterius, atq; explicat qualia futura sint corpora à Resurrectione, nouo argumento deducto ex eadem de grano similitudine, in hanc sententiam. Quemadmodum cum seminas nihil aliud quam exiguum & utile granum proijcis, postea uerò erumpit excellens herba uel frutrex: ita corpus nostrum sordidum abiectumq; est cum sepelitur et corrumpitur, at suo tempore resurget longè excellentioribus donis exornatum. Adijcit deniq;, quòd Deus det unicuique semini suum corpus, hoc est eiusdem planè speciei atq; substantiæ cuius antea fuerat. Hæc autem argumenta curiosus aliquis fortè reijciet, atq; causabit. Primum non esse desumpta ex uoluminibus legis & Prophetarum: nusquam enim in ueteri Testamento scripta referuntur: Dehinc imbecillia esse, quia in tam arduo negotio ducunt à similitudine, quæ Dialecticis plerumq; suspecta est. Sed non est difficile argumento Apostoli tueri, atq; magnum illis inesse pondus, ostendere. Primò doctrina de Resurrectione corporum est alibi in scripturis per-

ſpicuè expoſita. Iſa. cap. 26. ait, Viuent mortui tui, cum cadauere meo reſurgent. Ezech. 37. oſſa ualde arida ac diſperſa, iuſſu Dei neruos, carnem & uitam protinus recipiunt. Hiob 19. Poſtquam corroſerint uermes corpus iſtud, uidebo Deum de carne mea, quem ego uidebo pro me, & oculi mei uiſuri ſunt. Quod ſi iam libet cuipiam expendere quæ his locis de reſurrectione clarè dicuntur, comperiet Apoſtolum planè eadem aſſeuerare, atq; doctrinæ ſuæ ſententiam ex hiſce locis mutuatum. Ergo cum Paulus eadem doceat, quæ Prophetarum ſcriptis ſunt prodita, nefas fuerit argumenta eius explodere.

Argumenta hæc probant rem alibi in ſcripturis expoſitam.

Secundò uerba Apoſtoli pauca ſunt & argumenta, mirificè tamen conueniunt inſtituto. Quomodo enim magis uiuidè depigat aliquis ad captum humani intellectus modum, quo corpora noſtra mori et corrumpi debent, rurſumq; uiuiſcere, quàm exemplo illo propoſito de rebus naturalibus nulli non manifeſtis? Præcipua Doctoris uirtus eſt ad captum ſe ſubmittere auditorum, et dilucidè rem unam quamq; enunciare.

Conueniunt rei ipſi & captui auditorum.

Tertio quod ſi quis litigat de ſimilitudine, & arbitratur, non debuiſſe adhiberi adfirmando dogmati adeò ſublimi, is conſideret exemplum de Ezechiele allatum de oßibus aridis. Vel ut propius ad rem accedamus, ſumatur in manus ſimilitudo quæ de grano proiecto in terram extat apud eundem Prophetã cap. 17. Tollens inquit, de ſemine terræ, poſuit illud in agrum ſeminis, quem delegit iuxta aquas

Similitudo Apoſtoli ex Ezech. eſt deſumpta.

multas



multas, ueluti salicem condidit illud, & floruit factumq; est in uitem luxuriantem. Vbi uerba facit Propheta, quemadmodum interpretatur Hieronymus, de Populo Israelitico ad extremam indignitatem deijciendo, quem tamen constitue-rit Deus mirabiliter seruare, prorsusq; florentem reddere. Nequaquam uerò absurdum erit si dix-erimus, Apostolum modica deflexione facta accom-mo dasse similitudinem hanc ad negocium mortis hominum, & resurrectionis eorundem. Siqui-dem illis quoque uerbis quæ sunt Ezechielis 37, de oßibus aridis, uaticinatur Propheta, sicut rectè animaduertit Hieronymus, futurum ut populus Isra eliticus post tristem captiuitatem, atque exilium, restituatur, & cum gloria redeat in patriam, Vi-demus tamen plerosquè omnes accipere similitudi-nem illam de oßibus mortuis, de generali resurrecti one mortuorum. Quæ interpretatio si admittatur, tum dicendum est, ratiocinationem illam paratam à maiore ad minus, in hanc sententiam, ossa arida, seu putrefacta corpora mortuorum uitam recupe-rabunt & resurgent (quod dogma habendum est ut per se notum.) Quid ni igitur credatis populum Israeliticum quantumuis oppressum pristinæ digni tati posse restitui.

Similitudo Apostoli sumpta est ex uerbis Christi Ioannis 12.

Quarto si cui præcedens ratio non satis facit, & negat Apostolum intendisse animum ad similitu-dinem illam Ezechielis cap. 17. superest, ut dica-mus, Apostolum deprompsisse argumenta ex uerbis

Christi

Christi quæ extant Ioan. 12. Nisi granum frumenti deiectum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si uerò mortuum fuerit, multum fructum adfert. Vbi Christum de sua morte & resurrectione seu glorificatione, deq; fructu ex ijs secuturo loqui indubitatum est. Ac Ioannes Chrysostomus in Euangel. Ioannis Homil. 11. subindicat Apostolum ex ijsdem uerbis Christi arripuisse resurrectionis asserendæ materiam, atq; eandem similitudinem aptè usurpasse.

Quinto Isaias cap. 66 de Resurrectione atque iudicio exercendo concionatur hisce uerbis. Et uidebitis, & lætabitur cor uestrum &, ossa uestra quasi herba florebunt, & cognoscetur manus Domini apud seruos eius, & indignabitur inimicis suis. Dicemus igitur Apostolum permotum ad instituendum argumentum de Grano, occasione sumpta ex similitudine, qua Propheta Isaias præcinit futurum, ut ossa piorum in morem herbæ floreant. Etenim semen, siue sponte sua in terram cadat, siue hominis industria spargatur, nonnunquam tota hyeme sepultum mortuumq; manet, at æstate pullulat nouaq; exurgit herba. Tantum de locis scripturæ, unde Apostolum habuisse suum argumentum probabile est.

Eadem similitudo alludit ad uerba Esaiæ 66. cap.

Porrò eodem pacto iudicandum est de reliquis argumentis, quæ ibidem apud Apostolum sequuntur. Non omnis caro, inquit, eadem caro, sed alia quidem caro hominum, alia uerò caro pecorum,



alia uerò piscium, alia uerò uolucrum. Quo argumento docet Apostolus corpora resurgentium, non tantum fore eiusdem speciei seu substantiæ, cuius nunc sunt corpora uiuentium, sed aliquod præterea discrimen in ijs forè ratione qualitatum, perinde ac si dicat: omnis caro, quod ad substantiam attinet, est carò: sin spectemus qualitates, una caro ab alia distinguitur: Ita corporum tàm nunc uiuẽtium, quàm olim resurgentium eadem erit substantia, uerum qualitates multò erunt diuersissimæ. Credi autem par est Apostolum, cúm argumentum istud de carne digereret, mentem direxisse ad hæc uerba Psal. 16. Ob id lætatum est cor meum et exultauit gloria mea, quin & caro mea habitabit confidenter. Quoniam non derelinques in inferno animam meam, nec dabis pium tuum uidere corruptionem. Quem locum Pet. Actor. 2. de resurrectione Christi explanat. Quod autem de resurrectione Christi asseritur, non incommodè transferetur ad omnium hominum resurrectionem generalem, maximè cum de qualitate corporum quæstio suscipitur.

Argumentum de corporum cœlestium & terestrium gloria.

Rursus aliud argumentum adnectit Apostolus, in eandem ferè sententiam, dicens. Et sunt corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria. Verum alia quidem cœlestium gloria, alia uerò terrestriũ: Alia gloria Solis, et alia gloria Lunæ, et alia gloria Stellarum. Stella siquidem à stella differt in gloria. Vnde, inquit aliquis, sumptam arbitraris huius argu-

argumenti materiam? Haud dubiè ex Daniele 12 ubi propheta de resurrectione uerba faciens, sic inquit. Et multi ex his qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, Hi ad uitam perpetuam, & hi ad opprobria, & abiectionem perpetuam. Et qui alios erudiunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui multos ad iustitiam conuertunt, erunt sicut stellæ in sæculum & in perpetuum.

Loca scripturæ de ijsdem dogmatibus colligenda.

Ad hunc igitur modum si libeat locos scripturarum alibi positos, in quibus præsertim de ijsdem disseritur dogmatibus, accuratè disquirere, fit tandem, ut aut integræ sententiæ, aut certè uocabula occurrãt, ad quæ prophetæ uel Apostoli alluserũt, cum argumenta, quæ alias non putantur semper ex scripturis desũpta concinnarint. Nos certe tantisper diuersos locos scripturarum de mortuorum resurrectione congeßimus, dum planum ut cunq; factum est, ad quos ueresimile est Apostolum respexisse. Sequi autẽ nos debere hanc inuestigandi rationem, idem Apostolus alibi demonstrauit. Etenim Actorum 21. in oratione habita ad Presbyteros Ephesios postquam commemorasset se nulli fuisse grauem, sed suis manibus comparasse uitæ necessaria, addit. Omnia ostendi uobis, quod sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse uerborum Domini Iesu, quoniam ipse dixit. Beatius est dare quàm accipere. Vbi uerò legitur Christus hæc dixisse? Certè si uerba tantum spectamus, nusqnam ea ita locutum nouimus. Sin quærimus quæ in sensum

Beatius eẽ dare quam accipere, ubi Christ. dixerit.

ſum eundem aliquando protulerit, inueniemus non pauca, ex quibus apparet Apoſtolum accepiſſe occaſionem, ut eiuſmodi uerba Chriſto attribueret. Lucæ 6. Chriſtus ait. Date & dabitur uobis. Matth. 10. Quicunq; ad bibendum dederit uni ex puſillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine diſcipuli, Amen dico uobis, non perditurus eſt mercedem ſuam. Item Lucæ 14. cùm facis prandium aut cœnam noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; uicinos diuites, ne quando & ipſi te uiciſsim inuitent, & rependant tibi beneficium. Imò cùm facis conuiuium uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos & beatus eris, quia non poteſt rependere tibi, rependetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum. Reuera ad hos locos, maximè poſtremum, uerba illa, quæ Apoſtolus tanquam à Chriſto dicta, recitat, planè quadrant. Itaq; Apoſtolus ex alijs Chriſti uerbis nouam in ſpeciem colligit ſententiam, ſiue Argumentum. Quin etiam Chriſtus Matt. 22. diſputans cum Saducæis, qui quæſtionem propoſuerant de reſurrectione mortuorum, quam ipſi negabant, ait illos errare, neſcientes ſcripturas, atq; uirtutem Dei. In reſurrectione, inquit, neq; matrimonium contrahunt, neq; elocantur, ſed ſunt ſicuti angeli Dei in cœlo: Reprehendit illos Chriſtus ut ignorantes ſcripturas, quandoquidem hæ reſurrectionem mortuorum ſatis perſpicuè adſtruunt. Dehinc & non credentes uirtutem Dei, cum hinc facilè ſit uel

Argumentum Chriſti de reſurrectione contra Sadducæos.

uel ex nihilo aliquid creare, multò igitur facilius suscitare mortuos. Adfert insuper rationes quasi in scripturis positas, uerũ minimè aduersas à Sadducæis, quæ tamen in scripturis non ita inueniuntur. Vbi namq; legitur, quòd in resurrectione mortuorum non contrahunt nuptias? Vbi item, quod angelis Dei futuri sint similes? Sed ita est, Christus ista profert tanquam in scripturis posita, quandoquidem ex aliquibus scripturæ locis percommodè eliciuntur. Apertè dicit scriptura, carnem sanctorum non uisuram corruptionem, Psal. 16. Item, Carnem & oculos nostros uisuros Deum. Hio. 19. Ex his autem uerbis aptè infertur: Si nulla amplius secutura tunc est corruptio, certè neq; fames, aut sitis homines prement, neq; erunt conuiuia, neq; nuptiæ, neq; liberorum procreatio, neq; morbi, aut mors, neq; aliud quicquam eiusmodi, quod ab hominis lapsu, & corruptione trahit originem, aut quouis modo ad corruptionem deducit. Ad hæc si nulla tunc restabit corruptio, si in carne nostra & oculis nostris Deum uidebimus, erimus profectò angelis quam simillimi, siquidem & angeli sunt suapte natura incorruptibiles, utpote spiritus Psal. 104. Heb. 2. Et eorundem in primis est, faciem Dei uidere, Matt. 18. 1. Pet. 1. Nimirum positis ijs, quæ resurrectioni sunt annexa, siue Adiacentia, par est concedi reliqua, quæ ex illis ipsis proueniunt, aut non sunt illis dißimilia. Atq; hunc ferè in modum consentire uerba Christi cum scripturis



docet Origenes tractatu 22. in Matthæum. Cuius uerba, ni admodum multa essent, adscripsissem.

Argumenta aliunde petita scripturis congruant.

Relinquitur ergo, si quando argumenta ulla aliundè quàm è scripturis proferimus, laborandum nobis exemplo Prophetarum & Apost. ut illa cum scripturis deprehendantur congruere, perinde atq; si ex ijsdem ad uerbum sumpta essent. Itaq; diligens imitatio Prophetarum & Apost. semper commendata nobis esto. Scripserunt sanè illi sua omnia afflati Spiritu sancto ueritatis magistro sapientißimo: quamobrem quæ ab ipsis dicta sunt magnam habere apud omnes autoritatem meritò dicunt, satisq; est de argumentis illorum posse dici, quod Propheta uel Apost. illa scripta reliquerit. Videmus nihilominus illos, quandoquidem cum aduersarijs atq; impijs plurimum habebant negocia, sua omnia scriptis uetustioribus Prophetas quidem legis, Apost. uerè tum legis tum Prophetarum uoluisse stabiliri. Hinc illi uoces: aduertite Legem Dei nostri. Isa. 1. Ad legem & testimoniũ. Isa. 8. Item Moses & omnes prophetæ annunciauerunt dies istos Act. 3. & huic omnes prophetæ testimonium ferunt. Acto. 10. Et absq; lege iustitia Dei comprobata est testimonio legis ac prophetarum. Rom. 3. Illis igitur si adeò curæ fuit argumẽta omnia ex scripturis quoad eius fieri poterat, elicere, quantò magis decet nos prouidere ne quid dicamus nomini, quod ex scripturarum fontibus profluxerit.

In argumentis quæ prophetæ vel Apostoli ex scripturis digesserunt quatuor in primis esse obseruanda, ut rectè eos imitemur.

QVando igitur constitutum planè est in argumentando prophetas sequi & Apostol. Proximum est exponamus quænam sint nobis in eorundem argumentis obseruanda, quo fœliciter imitari assuescamus. Sunt autem hæc quatuor.

Primum, pronunciata è scripturis utrum ad uerbum, an potius ad sensum recitentur. I.

Secundum, an genuina sacræ scripturæ sententia in argumentis omnibus retineatur. II.

Tertium, ad quale genus concionis argumenta quæque aptentur. III.

Quartum, ex quo loco inuentionis Dialecticæ singula eruantur. De his ordine est nonnihil dicendum. IIII.

Quod ad primum attinet palàm est probationes è ueteri Testamento subinde magna libertate in nouo proferri. *Quomodo scripturas citent Apostoli.*

1. Primò Nonnunquam quæ diuersis locis scripta sunt colligantur, et frustulatim coniunguntur, quasi uno ex loco essent deprompta. Exemplum ad Rom. 3. ubi Apostolus uolens confirmare quod pluribus uerbis dixerat, Iudæos & Græcos omnes peccato esse obnoxios, statim rationes plures con- *Sæpe multi loci coniuncti quasi pro uno citantur.*

gerit, abinuicem in libris sacris disiunctas. Si tamen rem ipsam spectemus eiusdem prorsus argumenti, atque optimè secum coherentes, Ait igitur, Non est iustus, ne unus quidem, non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, &c, Hæc sumpta sunt partim ex Psalmo 14. partim ex 33. Mox attexit: Sepulchrum apertum guttur eorum, &c. ex Psal. 5. & 13. Deinde, uenenum aspidum sub labijs eorum: ex Psalmo 140. Item, Quorum os execratione & amarulentia plenum: ex Psal. 10. Item, Veloces pedes illorum ad effundendum sanguinem: ex Iesaiæ 59. &c. Atq; hanc rationem à studiosis accurratè notandum esse monet Origenes eundem locum 3. capitis ad Rom. lib. 3. commentariorum suorum enarrans.

Scripturæ nõ semper citantur ad uerbũ, ut Hebræa habent.

2. Secundò frequenter recitantur argumenta ex scripturis, & ex uno loco, sed nequaquam ad uerbum, et ut in exemplaribus Hebræis sunt posita. Exempla paßim sunt obuia in nouo testamento, maximè, cum Apostoli uersionem sequuntur septuaginta interpretum: nonnunquam etiam suo arbitrio quædam, reddunt. Hieronymus explanans cap. 3. epistolæ ad Gal. notat Apostolum in uerbis illis ex Deuteronomij 21. Execrabilis omnis qui pendet in ligno, aliquid paritm addidisse, partim subtraxisse. Et si semel autoritatem septuaginta interpre sequebatur, debuisse, sicut ab illis editum est, & Dei nomen adungere. Sin uerò ut Hebræus ex

Hebræis

Hebræis, id quòd in sua lingua legerat, putabat esse uerißimum, nec omnis, nec in ligno, quæ in Hebræo non habentur, assumere. Additq;: Ex quo mihi uidentur, aut ueteres Hebræorum libri aliter habuisse quàm nunc habent: aut Apostolum sensum scripturarum posuisse, non uerba. Liquet igitur Apostolum pro suo arbitrio sententiam illam reddidisse liberius.

3. Tertiò argumenta nonnulla ex scripturis assumuntur studiosè ex Hebraica ueritate ad uerbum reddita. Leuit. 18. Custodiens statuta mea, & iudicia mea, quæ si fecerit homo, uiuet in eis. Cuius sententiæ diuinæ posterius membrum tàm Ezech. Propheta cap. 20. quàm Paulus ad Gal. 3. simpliciter atq; ad uerbum exprimunt. Ac Hieronymus testis est, Matthæum præ cæteris esse diligentem in testimonijs ex fontibus Hebræorum proferendis. Aliquando tamen ad uerbū redduntur.

4. Quartò satis esse ducunt Prophetæ & Apostoli interdum uno uerbo locum, alibi in scripturis expositum, attingere, prætermißis eiusdem loci uel sententiæ reliquis particulis. Nu. 11. dicitur, Num manus Domini abbreuiabitur? Hanc particulam diuinæ sententiæ usurpat, & ad suum aptat institutum Isa. cap. 50. & 59. De hac re Origenes in Commentario in 6. cap. ad Rom. ad uerba illa: Quicunq; baptizati sunt in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus: Obseruanda est, inquit, hoc in loco & in cæteris consuetudo Apostol. quod non semper, cū aliquid ex scripturis assumit, Aliquando uno uerbo locus scripturæ attingitur.

integrum texum uerborum ut in suo loco positus est, assumit, sed ea tantū quæ presentis causæ requirit assertio: sicut in præsenti sermone diximus, quia de morte Christi docere cupiebat, sufficit ei dicere, Quicunq; baptizati sumus in Christū, in mortē ipsius baptizati sumus. At ita rationem reddit, Orig. cur Apost: ibi dixerit nos baptizatos tantū in Christum Iesum, cum potius uideretur dicendum fuisse, nos baptizatos in patrem, in filiū Iesum Christū, & in Spiritū San. Nostri proinde officij est notare non oscitanter, quando & quo consilio Apost. atq; prophetæ diuersis hisce modis argumenta ex scriptis produxerint, quò poßimus eos imitari. Adijciemus uerò nonnulla breuiter, quibus studiosi utcunq; adiuuentur. Prima ratione cōuenit, quando aliquid docere uel urgere cupimus, quod auditores durum, difficile, absurdum uel impoßibile existimant. Sic autem sapientes homines, inprimis Iudæi præ omnibus religiosi habiti, nunquam sanè uidebantur admissuri, quòd omnes homines essent peccato obnoxij, ac rei æternæ damnationis semper inueniebant quo se aliquo usq; purgarent. Ergo Apostoli causa rectè considerata primū manifestis rationibus, Dehinc argumentis sumptis de scriptura conuincit, ac prout res postulabat quasi nymbo quodam scripturarū adobruit, ac reos esse demōstrat. Cæterum in re clara uel confessa superuacaneum fuerit plures argumentorum admouere machinas.

Quomodo hæ script. citationes imitandæ sint

1. Ratione utentum in re dura.

Secunda formula oportunè adhibetur duabus rationibus. Prior est quando de rebus ipsis atq; sensu, non autem de uerbis oritur quæstio. Etenim ubi qui disputant summa negocij sunt contenti, non est de accurata ad uerbum redditione magnoperè laborandum. Posterior ratio cum sententia dictionis Hebreæ. ut fidus interpres libertate quadam gaudens eam uertit, satis plena est, neq; à mente primi authoris discedit. Hinc factum quod ueteres scriptores subinde diuersis interpretibus qui liberè, perspicuè tamē omnia transtulere, usos citra cuiusquam offensionem cernimus. Qua in re etiam secuti sunt Apost. quæ subinde neque ad Hebraicam ueritatem, neque uerbis septuaginta interpretum sententias sacras expresserunt.

2. Ratione citandi quando utendum.

3. Tertiam formulam qua scripturarū simplex ueritas ex sermone Hebræo quæritur, sequi tunc necesse est, cum duæ causæ impellunt: Altera est quando septuaginta uel alij qui ad manum sunt interpretes diuersum aliquid reddunt à contextu Hebræo, ob quam mutationem facilè incommodum in doctrina nasceretur. Admonet huius rei D. Hieronymus in proœmio lib. 15. ad Isaiam prophetam, Apostoli & Euangelistæ, inquit, ubicunque de ueteri Testamento ponunt testimonia, si inter Hebraicū & 70. nulla controuersia sit, uel suis uel 70. interpretum uerbis uti solent. Sin autem aliter in Hebraico, aliter in ueteri æditione sensus est, Hebraicū magis quàm septuaginta interpretes sequuntur. Altera, cum argumētum eruitur à nota

Formula citandi utendū ubi aliter in Heb. Item.

Item cum argumentum sumitur à notatione.

tione, seu propria significatione alicuius uocabuli; Apostolus ad Galatas 3. ex dictione seminis singulari numero colligit argumentum grauißimum, quò euincit Christum esse unum illud semen, per quod benedictio omnibus ad exemplum Abrahami credentibus impenditur.

Ratio citandi.

4 De formula quarta sufficere potest, quod ab ipso Origene semel dictum est, nempe eatenus partes sententiæ cuiuspiam de libris sacris tempestiuè referri, quatenus instituta disputatio postularit.

Natiuam sententiam in omnibus quæ ex sacris literis assumuntur retineri debere.

Cur natiuus sensus scripturæ retinendus

Eos qui in libris sacris firmamenta congerunt, omni decet solertia prouidere, ut appositè natiuo, atque germano sensu singula instituto accommodent. Quòd profectò nisi fiat, non modo, quod uolumus, non perficimus, uerum etiam à doctis quidem redarguimur erroris, ac nostra irridetur inscitia: indoctos uerò in periculum nobiscum pertrahimus. Potest autem aliquis scripturæ locum quempiam sic explanare, ut ad stabiliendum dogma, ad uitam rectè formandam, ad detestationem uiciorum, uel ad consolationem satis esse factum existimetur. Verum si eiusmodi explanatio menti autoris, è quo sumpta est non respondet, neque ad

eundem

eundem, in quem ille intendit, scopum, dirigitur, minimè mirandum, si ceu debilis, atq; elumbis ab his qui animaduerterint repudietur. Non modò quid piè, uerum etiam quid aptè, & in rem præsentem dicatur, considerari oportet.

Tres autem res sunt quibus subinde efficitur, ut à natiuo scripturarum sensu discedamus. *Causæ propter quas à natiuo sensu disceditur.*

1. Prima est rerum diuinarum ignorantia. Certè ab eo qui sacras literas ne degustauit quidem prorsus est earum rudis, non est quod expeditas argumentationes in hoc genere expectemus. *Ignorantia.*

2. Secundus est adfectus animi uiciosus. Crebro namq; odio uel fauore adducti homines, contrà atq; decet scripturas audent interpretari. Huius rei exempla etiam in magni nominis uiris licet uidere, Dissimulari non potest, D. Hieron. in disputationibus aduersus Iouinianum & Heluidium, quædam adducere è scripturis parum ad rem facientia, nonnulla etiam detorta: ac dum uirginitatem immodicis uehit laudibus, nuptias aliquo modo, quod & multi agnoscunt, affecisse iniuria. Ambrosius in oratione habita in funere Valentiniani imperatoris, alia ex Threnis Ieremiæ intempestiuè ad luctum funebrem, alia ex Cantico Salomonis, propriè de Christo dicta, impropriè ad personam Valentiniani inflectit. Quam uerò frigide & à scripturarum sensu remotæ sunt pleræq; Allegoriæ, quas idem Ambrosius contexit? Vt nihil dicamus de Origene, nimis hac in parte audaci. Quid? *Viciosus animi affectus.*

quod hæreticis omnibus familiare est scripturas inuertere pro arbitrio, & quasi ludus essent, quam in partem ipsi propensi sunt, illas obtorto collo pertrahere.

Negligentia. 3. Tertia est oscitantia seu negligentia: quod uitium etiam doctis & bonis interdum obrepit, iuxta prouerbium, Quandoq; bonus dormitat Homerus. Ac possemus si liberet, huiusmodi lapsus etiam clarissimorum uirorum perstringere. Superest igitur prudenter & cum iudicio argumenta è scripturis eruere, enitamur, eumq; ad sensum semper deflectant oculi, quo sunt à sacrorum librorum autoribus ædita. Cæterum quo modo natiuam sententiam in locis scripturarū assequamur, non est præsentis instituti tradere. Satis esto in præsenti commonefacere omnes, expendi inprimis accuratè debere scriptoris cuiusq; propositum & consilium. Tum sententiarum in libris sacris contextum. Dehinc quæ præcedant, quæ sequantur, Item quales notentur causæ uel circumstantiæ. Denique quem ad scopum tentant singula. Si quis post huiusmodi diligentiam restat scrupulus, consulas piorum ac fide dignorum interpretum explanationes.

De sex generibus concionum, quæ in Prophetarum & Apostolorum scriptis inueniuntur.

Dicimus

DIcimus tertio loco obseruari debere in libris Prophetarum & Apostolorum, ad quod genus concionum argumenta quæcunq; pertineant. Quod idcirco facto opus est, quò uidelicet sciamus licere nobis oportunè uti similibus argumentorum formulis, quandocunq; eiusdem generis concionem instituere nos contigerit. Semper enim in studijs nostris de imitatione est cogitandum. Est autem oratoribus dicendum in foro, aguntq; ibi causas. Quamobrem & genera aliquot causarum ibi constituunt. Demonstratiuum, in quã, Deliberatiuum, Iudiciale, ad quæ tanquam generalia capita ipsi quæcunque dicenda obueniunt, prudenter referunt. At uerò Prophetæ, Apostoli, & quicunque Theologi, docent in Ecclesia, & habent ad populum sacras Conciones siue sermones. Quamobrem omninò necesse est distinguamus, non causarum, sed sacrarum concionum siue sermonum genera. Etenim causas relinquere debemus foro. Conciones sacras uendicabimus sanctæ Dei Ecclesiæ, id est, credentium congregationi. Quantum distant forum & Ecclesia, tantum quoque distingui oportet officia Rhetorum & Theologorum.

Cur genera concionum obseruanda sint

Alia genera causarum oratoribus alia concionum Theologis.

Operæprecium proinde est concionum genera diuersa ex scripturis, quoad eius fieri licet, depromamus. Neque sanè id adeò difficile erit, si consideremus uerum sacræ scripturæ usum, siue ad quæ capita omnis Theologorũ doctrina dirigatur.

Diſcemus autem iſtud ex Apoſtoli Pauli excellentiſsimi Theologi & concionatoris uerbis 2. ad Timot. 3. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt utilis, ad doctrinam, πρὸς διδασκαλίαν, ad redargutionem, πρὸς ἔλεγχον, ad correctionem, πρὸς ἐπανόρθωσιν: ad institutionem, πρὸς παιδείαν quæ eſt iniuſtitia, ut integer ſit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Et ad Roman. 15. Quæcunque præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem, διὰ τῆς παρακλήσεως, ſcripturarum ſpem habeamus. His duobus locis Apoſtolus planè complectitur ſacrarum ſcripturarum omnem uſum, eumq́; diſtinguit 5. cap. Quamobrem & 5. Genera concionum ex ijs peraptè colligemus. Primum Διδασκαλικόν. i. Doctrinale: Secundum Ελεγχικόν, Redergutiuum. Tertium παιδευτικόν, Inſtitutiuum: Quartum Επανορθωτικόν, Correctorium: Quintum παρακλητικόν, Conſolatorium: His addamus & Mixtum, uidelicet in quo diuerſa membra ex antecedentibus continentur. Iam clarius unumquodque deſcribamus genus.

Capita doctrinæ Theologicæ.

Concionũ genera ſex

1\. Genus διδασκαλικόν.

Διδασκαλικόν eſt, quo uera dogmata religionis noſtræ, quæq́; ad hæc pertinent & explicantur & confirmantur: ueluti cum Deo, uel admirandis eius in procuranda humani generis ſalute operibus, de Prædeſtinatione hominum, de uocatione, Iuſtificatione & Glorificatione eorundem,

dem, de Lege, de Peccato, de Euangelio, de Fide, de Christi incarnatione, de duabus in Christo naturis, de Morte & resurrectione eiusdem, de Resurrectione omnium mortuorum, de extremo iudicio, deq́ue similibus disseritur. Exempla illustria istiusmodi Concionum in scripturis Prophetarum & Apostolorum extant, Isaias capite 25. 26. 27. Grauißimam habet concionem de præmijs piorum, & pœnis impiorum. Item cap. 66. de uero Dei cultu. Epistola ad Roman. duas habet excellentes disputationes. Alteram de iustificatione per fidem absq́ue operibus legis, quæ constat 8. capitibus: Alteram de Resurrectione Iudæorum, & uocatione gentium cap. 9. 10. 11. Prima ad Corinthios cap. 15. asseritur dogma de Resurrectione mortuorum.

Ἐλεγχικόν est quo errores Hæreticorum, Philosophorum, uel quorumcunque, qui contra ueritatem & sanam doctrinam religionis sentiendo lapsi sunt, reuincuntur & confutantur. Cuiusmodi est, si confutetur sententia Philosophorum contendentium, mundum non esse in tempore conditum, sed æternum, & per se semper extitisse: res humanas diuina prouidentia nequaquam regi: Vel opinio Pharisæorum promittentium iustitiam ex humanarum traditionum obseruatione, Vel peruersum dogma hæreticorum constituentium in Deo formam corpoream & humanam, aut ponentium duo principia. Isaiæ 8. concio habetur confutans

II. Genus ἐλεγχικόν.

Iudæos, qui plus nitebantur auxilio humano, quam diuino: nitentes fœdere inito cum Aegyptijs, capite 28. redarguuntur qui humanas tradttiones anteponebant Legi ipsius Dei: sicut & Christus similem ob causam Matth. 12. redarguit Pharisæos. Prima ad Corinthios cap. 8. 9. 10. Apostolus confutat eos qui abutebantur libertate Euangelica cum offensione fratrum infirmiorum.

III. Genus παιδευτικόν.

παιδευτικόν, quo explicantur & stabiliuntur, quæ ad uitæ institutionem ueramq; sanctimoniam tàm coram Deo, quàm coram hominibus conducunt: Vt cùm admonentur cuiuslibet ordinis homines sui officij, atque exponitur quid deceat Ecclesiæ ministros, quid maritos, uxores, liberos, quid dominos, quid seruos, quid diuites, quid pauperes, item cum adhortationes fiunt ad orationem, ad eleemosynas dādas, ad ieiuniū, ad obedientiam erga magistratus, ad pœnitentiam, uel ad uirtutes quascunque capessendas. Cū eo, quod Apostolus ad Timoth. dixit πρὸς παιδείαν, conuenit quod legimus 1. Corinth. 10. πρὸς νουθεσίαν ad admonitionē Hæc omnia inquit, in figura contigerunt illis, scripta uerò sunt propter ad monitionem nostri. Itaque appellabitur hoc genus concionis etiam Νουθετικόν. Exempla sunt in conspectu, ubi prophetæ, ut Isaias cap. 40. 55. 56. & Ieremias cap. 3. 4. 18. 23. 44. hortantur populū ad pœnitentiam. Christus Matt. 9. Monet omnes ut caueant ne cuipiam offendiculum præbeant.

Επανορθω-

Ἐπανορθωτικὸν genus Concionis est, quo corriguntur atque instaurantur, si quæ in uita actionibusque hominum collapsa apparent. Itaque reprehenduntur eo homines propter contemptam doctrinam religionis, propter hypocrisin, fastum, ambitionem, auaritiam, dißidia, ebrietatem, libidinem, &c. Atq; ostentitur quomodo qui peccarunt, in uiam redire & poßint & debeant. Sic Isaias 28. cap. inuehitur in Iudæorum luxum, & ebrietatem. Cap. 58. Obiurgat hypocritas externis operibus tumidos. Ezechiel cap. 11. Reprehendit contemptores uerbi Dei, illos item, qui graues sunt subditis. Et paßim apud Euangelistas tales conciones à Christo habitas inuenies.

IIII. Genus ἐπανορθωτικόν.

Παρακλητικὸν est cum uaria congeruntur ad erigendos confirmandosq; eorum animos, qui uel propter errorem in doctrina, uel per crimen in actionibus, uel per aliud incommodum, siue spiritua le, siue corporale conseruati sunt. Sic namq; Apostolus consolari pusillanimes, ac subleuari infirmos iubet 1. Thessalon. 5. Isaias cap. 40. & octo sequentibus mirificè consolatur populum in captiuitate Babylonica. Quod etiam facit Ieremias cap. 29. 30. 31. Similiter & Ezech. cap. 38. Extat & Christi concio consolatoria Iohan. 14. & insignes habenter consolationes Rom. 8.

V. Genus παρακλητικόν.

Sextum & postremus genus Mixtum est, ac uarium, ex antecedentibus multa interdum recipiens: ita ut unius eiusdemque sermonis pars institu-

VI. Genus mixtum seu uarium.



tionem, pars consolationem, uel aliquid his affine contineat: Apud Isaiam capite 7. 8. 9. 10. Correctiones sunt uehementes, quibus mox attexuntur dulcißimæ consolationes, Christus Matth. 12. docet se filium Dei esse, ac diuino Spiritu eijcere dæmonia: damnat deinde Iudæorum malitiam & incredulitatem: atque ita prior pars generis est didascalici, posterior ἐπανορθωτικοῦ. Singulæ autem epistolæ Paulinæ ex diuersis conflatæ sunt partibus. Nostri proinde officij est summa diligentia aduertere, ad quod ex his generibus qualibet concio in Prophetarum uel Apòstolorum scriptis obuia, referri ratione nostræ in illa comprehensæ debeat. Et cum conciones quæ in scripturis extant plærumquè breues sint, non est admodum difficilè, quis eorum sit status siue scopus inuenire.

DE LOCIS ET QVÆSTIONIBVS IAM sequitur.



VI AGNOSCIT GEnus concionum, huic id solum restat faciendum, ut argumenta singula prudenter distinguat, & quibus è locis ducta sunt exploret. Loci autem sunt plures numero & Theologia præcla-

clarißimarum rerum, de quibus utiliter disseri queat, diues eſt.

Enumerantur igitur hi maximè frequentati. Definitio, Genus, Species siue Forma, Differentia, Proprium, Accidens, Diuisio, Causæ, Effecta, Adiacentia, Actus, Coniugata, Simile, Comparata, Pronunciata, Repugnantia, Honeſtum, Vtile, Facile & cæteri non dißimiles. Nam quoſdam uſurpari locos à Theologis, quos in Dialecticorum officinis non inuenias, nonnullos inſuper peculiari quadam ratione accommodari Theologicis argumentationibus in progreſſu oportunius, quàm nũc demonſtrabimus. Atqui hi quidem uocantur ἔντεχνοι, id eſt, artificiales, itemquè interni, quandoquidem rebus, de quibus quæritur, ſunt inſiti. Loci argumẽtorum, artificiales.

Sunt præterea & alij loci dicti ἄτεχνοι, id eſt, Inartificiales & externi, uidelicet. Rumor, Teſtes, Iuſiurandum, Tabulæ, Quæſtiones ſeu Tormenta, Præiudicia. Verum ut uix adhibentur in ſchola à Philoſophis, ita Theologi, quorum intereſt docere in Eccleſia, haut grauatè negligunt, atque oratoribus libenter relinquunt cauſas agentibus in foro. Loci inartificiales.

Ex illis commemoratis quidam uni concionum generi magis quàm alteri ſeruiunt, quoſdam nihil prohibet uarijs generibus admiſceri. Quemadmodum namquè unum inſtrumentum communiter aptari artificijs omnibus nequaquam poteſt, ſed unicuique artificio parari oportet inſtrumenta propria, etiamſi nonnulla interdum diuerſis accommo- Loci aptandi generibus concionũ.

dentur, ut Regula, Malleus, Circulus: Ita unus locus non perinde conuenit omnibus concionum generibus, sed certi loci certis applicantur tantum generibus, quidam uerò etiam ad genera diuersa deprehenduntur idonei.

Quæstiones.

Iam uerò Quæstionum ordo, eadem propè commune usui est Theologis, qua Dialecticis, aliarumque disciplinarum professoribus. Prima quæstio, An sit, prima ad Corinthios 15. excutitur quæstio, An mortui resurgant, 2. ad Thessalon. 2. An adsit tẽpus aduentus Christi ad extremũ iudicium.

1. An sit.

Secunda quæstio, Quid sit. Ad Hebreos 11. definitur, quid sit Fides. Fides, inquit, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.

2. Quid sit.

Tertia quæstio Quot partes, siue Quotuplex res sit. Fides in literis sacris duplex describitur. Altera constans, non simulata siue uera, uiua, efficax: de qua accipi debet præcedens definitio, & qua homines iustificantur coram Deo, Rom. 1. & 3. Ga. 3. Heb. 11. 1 ad Timot. 1. Altera mobilis, tantumque ad tempus durans, simulata, siue falsa, mortua, inefficax, Luc. 8. Isa. 2. Tertiam fidei formam nonnulli addunt, nempe qua eduntur prodigia, ac montes etiam, si expediret, dimoueri loco possent, Matt. 17. 1. Corinth. 15.

2. Quoduplex res sit.

Quarta quæstio, Quæ causæ Fidei causa efficiens præcipua & interna est Deus, siue Spiritus Sanctus, ad Phili. 1. uobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, uerum etiam ut pro eo patiamini. Adiuuans causa & externa est, præ-

4. Quæ causæ.

dicatio uerbi diuini: Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Quin etiam factorum & consiliorum causæ frequenter inquiruntur, ut Quare Iudas factus est Christi proditor? Causæ in promptu sunt. Prima, ipse auarus erat, siue ut Ioa. habet cap. 12. Fur erat habens loculos. Secunda impellabatur à Satana Luc. 22. Ioan. 13. Intrauit in Iudam Satanas. Tertia oportuit perfici quæ Deus de illo decreuerat, dicens Psal. 62. Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & Episcopatum eius accipiat alter. Act. 1.

Quinta quæstio est Qui effectus seu officia ut in argumento cœpto hæreamus, Fidei effectus celebrantur uarij. Fide placent homines Deo, Heb. 11. Fide iustificantur homines apud Deum, Ro. 3. et 4. ad Gal. 4. Fides tranquillam reddit conscientiam, ad Ro. 5. Iustificati fide, pacē habemus, &c. Fides purificat corda Act. 15. Fide cooptamur in numerum filiorum Dei, Ad Gal. 2. Præclara & multiplicia effecta fidei uidere licet congesta Heb. 11. 5. Qui effectus.

Sexta quæstio. Quæ affinia? Affinia fidei sunt spes, promißiones Dei, præter spem sub spe credere: non infirmari Fide: intentum esse in promißionem Dei: statuere quòd, qui promisit Deus potens sit & præstare, & cætera. Nam hisce particulis quæ fidei adiuncta esse dicunt, cap. 4. epistolæ ad Rom. dilucidè exponit Apostolus. 6. Quæ affinia.

Septima quæstio. Quæ contraria. Aduersatur sanè fidei dubitatio, incredulitas, Rom. 4. Ab- 7. Quæ contraria.

negatio Christi, & agnitæ ueritatis &c. Item dogmata quæcunq; his quæ de fidei natura in sacris literis clarè adstruuntur, pugnantia. Quorum longus texi posset catalogus.

Ad hunc igitur modum in tractatione capitum doctrinæ religionis hæ quæstiones locum habent, neq; adeò difficilè est, cui per quæstiones ingredi, & thema aliquod explicare libuerit, argumenta apta ex diuersis locis concinnare. Commonstrare porrò solent Dialectici, qui nam loci singularum quæstionum explicationi potißimum seruiant.

Qui loci singulis quæstionibus seruiāt

Quæstionem, Quid est, si quis expediendam suscipiat, huic censent hosce locos profuturos, uidelicet Definitionem Nominis, Definitionem rei, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens. Ad quæstionem, quot partes, Siue Quotuplex res sit, Accommodantur Diuisio, uel totum, Partes, Ad quæstionem de causis, applicant Materiam, Formam, Efficientem & Finem. Quæstioni quæ Affinia dantur, Coniugata, Similia, Comparata, Pronunciata. Item honestum, utile &c. In tractatione quæstionis, quæ contraria, adhibentur, Repugnantia & Opposita. Hæc præmisisse satis esto, nunc de locis ipsis ordine est dicendum.

Loci exemplis è sacris illustrati.

QVo proinde in his qui animum ad sacras literas adijciunt, & augeatur diligentia, & iu-

& iudicium acuatur, subijciemus exempla de diuersis locis diuersa, eademq; ex scripturis sanctis deprompta. Quo pacto ad rectam imitandi rationem facilè peruenietur.

DEFINITIO SEV NOtatio Nominis.

DEfinitio siue Notatio nominis est qua uis atque origo uocabuli, seu nominis. explicatur. Occurrunt autē interdū argūenta de ui uocabuli cuiuspiā tracta. Gen. 27. Esau de Iacob fratre suo genere sermonis correctorio conquerens ait, Num uerè uocatum est nomen eius Iacob? Nam supplantauit me iam duabus uicibus. Primogenitarum meam tulit, & ecce nunc quoque accepit benedictionem meam. Nomen Iacob deriuatur ab Hebræa uoce עָקַב quod est seducere, decipere, supplantare, conculcare. Et capite uigesimo quinto, refertur inditum fuisse hoc nomen ipsi Iacob, quod nascens plantam Esau, qui ipsum præcessit, manu apprehenderit. Authore epistolæ ad Heb. cap. 7. in disputatione siue sermone Didascalico de abrogatione sacerdotij Leuitici atque Legis, & æterna successione Sacerdotij, Christi & Euangelij, adstruit de Christo cecinisse uatem Psal. 101. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinē Melchisedech. Quo autem fidem faciat, argumento sumpto à notatione nominis, uel ab Etymologia euincit, uerba illa in Christum competere,

Iacob.

Melcisedech.

Melchisedec, inquit, erit rex Salem & Pontifex Dei altißimi: & ex interpretatione nominis Melchizedec dicitur rex Iustitiæ. Deinde Rex Salem, idem est, quod rex pacis. Atqui hæ appellationes, si rectè expendamus, uni Christo iustitiæ atq; pacis authori præ omnibus conueniunt. Christus igitur Sacerdotio æterno fungitur, cui uetus illud Aaronicum cedere debet.

COMMVNIS SIGNIFICAtio Vocis.

CAEterum Theologia subinde magna cura excutit uoces singulares, earundem non tantum Etymologiam siue originationem, quemadmodum Fabius loquitur, uerumetiam communem & uulgatam significationem, item inflexionem, & alia id genus uerborum nominunqúe accidentia considerans. Et quando oportunum est efficacia ex illis ipsis efformat argumenta. Exempla quædam subijciemus. Ad Hebr. 8. in eodem sermone asseritur Ceremonias Legis quondam fuiße tantum τύπους, id est, exempla rerum cœlestium, quod stabilitur autor uerbis ipsius Dei, ad Mosen, dicentis Exodi 25. Vide ut facias omnia secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Hinc proinde argumentatur ex significatione uocabuli exemplaris. In ueteri lege tantum habebantur exemplaria atque umbræ, succedere igitur & præstari debēt res nunc exhibitæ, quarum tunc sola ex

emplaria siue umbræ extabãt. Quanquam dici etiam potest latere hoc loco argumentum à natura Relationum, quandoquidem cuiusq; exemplaris semper quædam Relatio est ad id, cuius est exẽplar Ad Rom. 4. doctrina seu dogma asseritur, quod uidelicet gentes sunt filij Abrahæ, & qui non sunt Iudaico more circumcisi, fieri posse per Christum salutis participes : probationem trahit Apostolus ex uocabulo gentium, quod habetur in promißione Genes. 17. ad Abrahamum facta. Dictum est, inquit, patrem multarum gentium constitui te. Sic ergo concinnatur, Abrahamus est pater multarum gentium. Igitur gẽtes quoque sunt filij Abrahami, & benedictionem cum ipso accipiunt. Rursus ad Roman. 15. inculcare uolens gentibus perinde ac Iudæis parta esse Euangelij beneficia, ac gentes eo nomine ingentes debere Deo gratias, plures adfert probationes, in quibus uim uocabuli GENTIVM magnoperè urget: Ex Psal. Dauidis, Liberaui te de manu omnium hostium, qui legitur 2. Samuel 22. Propterea confitebor tibi Domine in gentibus, & nomini tuo psallam. Item ex Psa. 117. Gaudete gentes cum populo eius. Ex Psal. 118. Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi: Itẽ ex Isa. 11. Erit radix Iessæ, & qui exurget ad imperandum gẽtibus, in eo gẽtes sperabunt. Gentes:

Atque hic notare licet, ideo tot testimonia unà coniungi, quod nihil tunc fuerit Iudæis magis inuisum et auditu molestum, quam quòd gẽtiles ipsis co-

ram



ram Deo æquarentur: de quo consilio congerendi plura simul testimonia supra nonnihil attigimus. Cæterum in his locis & similibus non explicatur propriè nominis etymon, siue originatio, sed tantum communis significatio prudenter obseruatur & mirabili artificio argumentum instituto conueniens Apostolus inde colligit.

ACCIDENTIA NOMINIS uel uerbi.

Accidentia nominis & uerbi appellant Grāmatici genus, numerum, casus, modum, tēmpus, & cætera omnibus satis nota. Ab huiusmodi autem accidentibus nonunnquam ducuntur in Theologia magni ponderis argumenta. Exemplum argumenti in confirmatione dogmatis, de nomine usurpato in numero singulari. Apostolus ad Galat. 3. demonstrans omnibus credentibus impendi benedictionem, adfert promißionem Dei, ad Abrahamum factam, Genes. 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, atq; semen hoc esse ipsum Christum, ita raciocinando concludit, Non dicit ex seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno, & in semine tuo, qui est Christus. Ac Paulus haud dubiè respexit ad celebratißimam illam promißionem de semine mulieris ad primos parentes Gen. 3. factam.

Semen.

Ex his manifestum fit, quàm uberem materiam argumentorum suppeditent sacræ literæ, etiam

cum

cum de unius tantum uocis significatione agitur. Quanquam quo modo adhuc ex uocibus singularibus, in una aliqua sententia positis, eruantur argumenta, nos alibi rursus indicabimus. Qui autem in hoc genere argumentationum uolet aliquid cũ fructu & laude præstare, uidebit, ut tum etymologias, maximè Hebraicarum uocum in ueteri Testamento, ac Græcarum in nouo, tum uarias atq; usitatas significationes uocum, quæ Theologiæ maximè sunt propriæ, & in scripturis frequentibus occurrunt, mediocriter teneat. Alterum è Lexicis, Alterum è libris de Locutionibus, seu de Tropis scripturarum dici potest. Et necessitas aliquando cogit nos, ubi cum aduersarijs habentur disputationes, ad ipsarum uocum significationem ritè explicandam confugere. Pelagiani uocem gratiæ aliter quàm par est accipiebant, multumque facessebant negotij D. Augustino. Admonendi sunt proinde studiosi, ut adsuescant prudenter obseruare in lectione scripturarum etiam singula uerba, in locis præsertim, qui de dogmatibus, uel alijs grauioribus negocijs disserunt.

DEFINITIO REI.

DEFInitio rei est oratio breuiter quid res sit explicans. Ad Hebr. 5. Dogma probatur, Christum esse uerum pontificem, adhibita perspicua quadam definitione Pontificis hunc in modum Pontificis definitio. Pontifex est qui ex hominibus uocatur, & pro homini-

minibus uocatur, & pro hominibus constituitur, in his quæ agenda sunt apud Deum, ut nimirum offerat donaria & uictimas pro peccatis, oretque tam pro se, quàm pro populo. Collecta est hæc definitio ex diuersis locis libri Exo. & Leuitici, in quibus præcipua officia pontificis describuntur. Demonstrat porrò ea omnia in Christum competere, deque singulis membris manifestè disserit, atque ita relinquit probatum, quod Christus sit uerus Pontifex. Et sumpta est definitio hæc ex causis & officijs. Ad Heb. 11. Apostolus præclarum dogma inculcat, Fide nimirum accipi Iustitiam, & bona spiritualia in hac uita, & gloriam in futura. Nos inquit non sumus qui subducamus nos in perditionem, sed ad fidem pertinemus in acquisitionem animæ. Ad comprobandum autem quod se res ita habeat, Definitionem addit Fidei absolutissimam.

Fides Fides est earum rerum quæ sperantur substantia, argumentum eorum quæ non uidentur. Et hanc esse Fidei naturam, exempla quæ ibi subijciuntur, declarant: ut omittamus celebratissimum exēplum Fidei Abrahami, quod exquisitis uerbis ad Rom. 4. describitur: Præter spem, inquit, sub spe credidit etc. Locus notus est. Ostendunt autem ea uerba quomodo Fides mirabili certitudine apprehendat res speratas, quamuis minimè apparentes. Iubet igitur autor Epistolæ ad Hæbreos eos qui fidem se habere profitentur, constantes esse, nec ullis frangi aduersis, uerum intueri potius eximios fructus fidei qui tàm in hac quàm in altera uita contingunt. Cō

ſtat autem definitio illa cauſa formali & obiectis. Subſtãtia namque & argumentum ſignificant certitudinẽ & firmtiatem perſuaſionis, quæ in animo credẽtis fixa & immobilis hæret, Sicq; amplectitur res à Deo promiſſas, tanquam ſi præſentem earum ſubſtantiam obtinerent. Res ſperandæ & non apparentes ſunt obiecta, in quæ fides perpetuò defigitur. Non diſsimilis & ad idem negocium percommoda ſubijcitur ibidẽ altera definitio. Fides eſt qua ſtatuimus Deum eſſe, & eundẽ remunerare præmijs eos, qui ipſum diligunt. In genere cõcionis inſtitutiuo, Paul. ad Rom. 13. docet omnes debere obtẽperare Magiſtratui. Argumẽtum addit à Definitione Magiſtratus. Magiſtratus eſt miniſter Dei, diuina ordinatione in hoc conſtitutus, ut bene faciẽtes ornet laude & præmijs, malefacientes plectat. Recurrit eadem definitio idemque argumentum 1. Pet. 2. Eiuſdem generis eſt, quod ad Epheſios 5. mariti iubentur diligere uxores: ſubijcit rationem ab Exemplo Chriſti diligentis Eccleſiam, ubi mox attexitur elegans definitio Eccleſiæ. Ad Heb. 13. Auditores admonentur ut pareant doctoribus Eccleſiæ: probatio conſtat argumento à definitione Doctoris Eccleſiaſtici. Loquuti inquit, ſunt uobis ſermonem Dei, uigilant pro animabus ueſtris, tanquam rationem reddituri. In genere concionis cõſolatorio ad Ro. 8 Credentes, licet ſint afflicti & luctantes cum carne, iubentur ſperare omnia meliora. Confirmatur id à definitione Filiorum Dei. Quicunq;, inquit

Magiſtratus. Eccleſia. Doctor.

ducun-

Filij Dei. ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filij Dei, &c. Ali-
quantò pòst, eundem in finem interponitur defini-
Spes. tio spei, spes est qua constanter patienterq; expecta-
mus, futura bona à Deo promissa, spe, inquit, serua-
ti sumus.

Porrò spes, si uideatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur idem speret? Si uerò quod non uidemus speramus, iam per patientiam expectamus.
Pastor. Ioann. capite decimo. Definitur uerus pastor in concione correctoria, qua uehitur Christus in cæcos & falsos doctores, & notas demonstrat, quibus uerus doctor à falso discernitur. Non est magni laboris, Definitiones hinc inde è libris sacris excerpere.

Debent autem in argumentationibus ductis à definitione, hæ regulæ obseruari.

Regulæ. Cui conuenit Definitio eidem conuenit & Definitum, atq; è diuerso.

Semper autem prouidendum, ne Definitio sit imperfecta, uel nimis obscura, uel quouis alio modo obscura.

GENVS.

Genus est quod de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est prædicatur. Vt uirtus prædicatur de Beneficentia in pauperes, de Mansuetudine, Humilitate, &c. Philosophia genus est, habẽs sub se species distinctas, λογικὴν, φυσικὴν, ἠθικὴν. 1. Pet. secundo, in genere concionis Instituti-

tutiuo, admonet Petrus credentes, ut uitam componant respondentem uocationi & Christiano dignam nomine. Interserit autẽ debere ipsas prædicare uirtutes τὰς ἀρετὰς eius, qui è tenebris nos uocauit in admirabilem suam lucem: uirtutes dixit generatim, ut intelligamus subiectas quodam modo species, potentiam, misericordiam, iustitiam, Ad Coloss. 2. in confutatione, quæ est generis Redargutiui inter cætera ait Apostolus. Videte, ne quis sit qui uos deprædetur per Philosophiam & inanos disceptationes iuxta constitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christũ. 1. Corin. 8. In disputatione de uitando offendiculo, scimus inquit, quod nullum est εἴδωλον siue simulacrum in mundo. Idolum genus est respectu diuersarum formarum, quæ subijciuntur, sicut in exẽplo præcedenti philosophia genus est, per quod suspectæ redduntur singulæ species, quia facilè inueniri in eis queunt rationes ad decipiendos pios, qui non satis instructi fuerint. 1. ad Thimoth. 1. in disputatione de usu legis, prius exprimit genus, dicens, Lex non est iustis posita, sed iniustis, moxque enumerat iniustorum uarias species, uidelicet inobsequentes, irreuerentes, prophanos, parricidas. Formulas siue leges argumentandi eas sequi expedit, quas præscribi à Dialecticis cernimus. Valet consecutio à genere ad species affirmatiuè. Deceptiones ex Philosophia manantes uitãdæ sunt ergo cauere debemus, ne fallacijs ac præstigijs arti

Virtutes.

Philosophia.

Idolum.

Iniustus.

Forma argumentandi à genere.

tum quas λογικὰς uocant, tum naturæ rerum, tum disciplinæ morum seducantur & pertrahantur in errores. Itē par est à nobis prædicari Dei uirtutes. Igitur prædicabimus Dei potentiam, misericordiam, iusticiam, &c. Rursus Negatiuè à Genere ad Speciem. Idolum nihil est, non est Deus (quod antecedens ex præceptis legis & uarijs concionibus Prophetarum sumptum est) Igitur Idolum Moloch, Idolum Baal, Idolum Beelcebub nihil sunt, neq; sunt Dij.

Regulæ.

A quo aufertur genus, ab eodem aufertur & species.

Quod tribuitur generi siue Rei uniuersali idem tribuitur & speciei.

SPECIES.

Species est, quæ sub genere locatur, & sub qua rursus indiuidua. Probè intellecto loco antecedēti, euadit & hic perspicuus. Itaque satis fuerit adhortare, Argumentum à specie ad Genus ualere tantum adfirmatiuè, ut, prædicamus Dei misericordiam, igitur prædicamus Dei uirtutem. At si negatiuè dixeris, Non prædicamus Dei misericordiam, ergo non prædicamus Dei uirtutem, inepta est collectio. Siquidem fieri potest, ut prædicetur Dei uirtus, etiam si non agatur de eius misericordia, sed agatur de eius iustitia, potentia.

Ratio argumentandi à specie.

Cui tribuitur species eidem tribuitur & Genus.

Regula.

DIFFE-

DIFFERENTIA SEV proprium.

Coniuncta admodum sunt differentia & proprium. Vnde sæpißimé, quoniam plurimarum rerum ueras & ingenitas differentias ignoramus, in differentiarum locum propria substituuntur. Definiunt autem Differentiam quæ de pluribus specie differentibus in eo quod quale est prædicatur. Proprium quod inest omni soli & semper & conuerso dicitur. Differẽtia Proprium

Apostolus 1. ad Timo. capite primo, claudens sermonem didascalicum, & gratias agens Deo regi sæculorum immortali, inuisibili, soli sapienti Deo. Immortalem, inuisibilem, esse differentias contendunt, quibus Deus discernitur ab hominibus, qui sunt mortales & uisibiles. Esse regem sæculorum proprium Dei est, eoque superat Deus tám angelos quàm homines, cui & soli & semper conuenit sæculorum esse tum conditorem tum gubernatorem. Est insuper maximè proprium Dei scrutari hominum corda: Samuel adstruit aliter Deum aliter homines iudicare. Homo, inquit, uidet exteriorem faciem, Deus intuetur cor. 1. Samuel, capite decimosexto. Item Psal. septimo homo pius bona conscientia sese sistens Deo ait, Scrutãs corda & renes Deus iustus. Ieremias in concione correctoria, qua reprehẽdit diuersa uitia Iudæorum capite decimoseptimo introducit Deum ita Deus.

communicantem. Ego Deus ſcrutor cor, & probo renes, ut dem unicuique iuxta uias ſuas, & ſecundum fructum operum eius. D. Paulus ubi docet omnes gentiles, qui uel ſanctiſsimè uixiſſe crediti ſunt, quamuis legem Moſaicam nunquam agnouerint, iuſto tamen Dei iudicio damnari, eandem ſententiam ſuo inſtituto aptat ad Romanos capite ſecundo, dicens. Gentes legem non habentes, qui ſibi ipſis ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſimul atteſtante illorum conſcientia & cogitationibus inter ſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus in eo die, cum dominus iudicabit occulta cordium.

Ratio argumenta à differentia et proprio

Valet conſequentia à Differentia ad id, cuius eſt Differentia: ac uice uerſa tàm affirmatiuè quàm negatiuè.

Valet conſequentia à proprio ad id, cuius eſt proprium tàm affirmatiuè quàm negatiuè, Videatur tamen ut proprium appoſitè proferatur.

Regulæ.

Cui differentia alicuius conuenit eidem conuenit & id cuius eſt differentia.

Si cui proprium rei conuenit & id cuius eſt Proprium.

ATTRIBVTA Dei.

Multa de Deo prædicantur, quæ ſpeciem quandam Proprij uel Differentiæ habent, non tamen omnia ea reuera propria uel differentiæ ſunt. Attributa tamen rectè dixerimus. Sunt autem

hæc multiplicia & non uno modo efferuntur. Quæ-dam negatiuè, ut, increatus, incorporeus, immor-talis, inuisibilis, atq; hæc potius quid non sit, quàm quid sit Deus, describunt. Quædam affirmatiuè ut creator, omnipotens, iustus, bonus, æternus, Mi-sericors: Neque hæc satis exprimunt quid Deus, & qualis sit. Quædam significant aliquid consequens Dei naturam, seu potius actionem, ut iustus, bonus, sapiens, potens, sanctus, misericors, quæ de Deo prædicantur, propter admiranda eius opera à no-bis quotidiè animaduersa. Quædam tribuuntur Deo propter actiones, analogian aliquam haben-tes cum rebus humanis, ut protector, pastor, defen-sor, clypeus, petra, rfeugium, arx. Tanta igitur cum sit attributorum Dei uarietas, existimaui hunc locum ab antecedenti, qui est de proprio & differentia, meritò separandum. Crebrò autem & in omni genere concionum ducuntur ab istiusmodi attributis Dei efficacia argumenta. In genere insti-tutiuo ad Roman. 12. Hebr. 10. docet Apostolus neminem priuatum debere uindictam petere: Pro-bationem addit ab Attributo ipsius Dei. Dei namque proprium munus est uindictam exercere. Adfert Apostolus hæc uerba ex Deuterono. 32. Meum est ulcisci, ego rependam, dicit Dominus. Rursus autor epistolæ ad Hebr. cap. 13. confirmat non esse recedendum ab Euangelio, quod semel fu-erimus amplexi. Argumentatur autem ab Attribu-to Dei, quod extat Deuteromij 4. Deus noster, in-

Attributa Dei negantia.

Affirmantia.

Consequentia.

Analogica.

Vindicta.

Ignis consumens.

quit,

quit, ignis est consumēs, hoc est, seueriter ulciscens,
Verax. ideoque metuendus. Ad Rom. 3. ubi redarguun-
tur omnes homines, atque sistuntur rei ad tribu-
nal Dei, asserit Apostolus Deum præstare promis
sa, etiam ubi minimè creditur. Quod probat à Dei
constantia perpetua ac iustitia, quæ describitur,
Psal. 51. ut iustificeris, inquit, in sermonibus tuis,
& uincas cum iudicaris, ubi illustrandæ diuinæ cō
stanstiæ & bonitatis causa, subijcitur per contra-
rium ratio de leuitate, ac bonitate hominum, sit
Deus, inquit, uerax, omnis autem homo mendax. 1.
Iustus. Corinth. 3. In genere concionis Redargutiuo, nisi
quis malit correctiuum dicere, ubi Apostolus
disserit de sarcienda Ecclesiæ concordia, atque
tollendis schismatibus, adstruitur unumquenque
pro nauata in Ecclesia opera accepturum à Deo
mercedem. Cuius rei fidem ut faciat, argumenta-
tur à Dei iustitia ac seueritate, assumens postrema
uerba Psal. 62. Quoniam tu reddis unicuique iux-
Potens. ta opus suum. Eiusdem generis disputatione occur-
rit 1. Cor. 8. 9. 10. utpote in qua eos reprehēdit,
qui intēpestiuè & cū offendiculo infirmorū, ute-
bantur libertate Euangelica. Cap. autem 10 docet
pios rectè posse uti creaturis quibusuis, cum gra-
tiarum actione. Idqúe simul quia bonæ, simul quia
ad usum hominum conditæ sint. Probationem
attexit de domini potentia, ac iure in omnes creatu
ras ex Psalmo decimoquarto, Domini, inquit, est
terra & plenitudo eius. 1. Pet, 5. Locus est insti-
tuti-

tutiui generis, in quo pij ad humilitatem animi, & ad fiduciam in solum Deum collocandam incitantur: Additur autem ratio à prouidentia Dei ac scriptis de hac uerbis Psalmographi Ps. 55. Proijce super dominum onus, siue curam tuam, & ipse sustentabit. Ad Heb. 12. attribuitur Deo paternus adfectus & charitas, qua complectitur filios. Ab hoc adfectu in genere consolatorio hortatur credētes, ut fortiter perseuerant quæcunque aduersa, cumque in finem adfert sententiam Solomonis ex Prouerb. 3. Quem diligit dominus hunc corripit, & sicut pater filium gratū habebit. Sed hoc genus probationis ab attributis Dei quilibet facilè obseruabit.

Prouidet rebus omnibus.

Pater.

Non autem eodem modo ab attributis, quo à proprio uel Differentia duci argumenta possunt, ualet quidem consequentia, Deus est, igitur est arx, petra, Asylum, refugium nostrum. Ac uice uersa si dicas, Arx est, petra est, Asylum est, Igitur Deus est non concluseris perinde efficaciter. Item concedenda est argumentatio, Deus est, igitur bonus est. Rursus, bonus est, igitur Deus est, non statim conceditur. Dicuntur nāq; in scripturis & Angeli boni, & homines boni. Ergo hæc, & similia Attributa, si aptare ad argumentandum uolumus, atque eodē pacto ijs uti, quo proprio uel differentia, necesse est aliquam uerborum circumscriptionem adhiberi, quæ de solo Deo illa accipi declaret. Itaq;, si primum adferamus Christi sententiam Matth. 10.

Aliter ab attribtis argumentamur quam à proprio.

Nemo bonus, nisi solus Deus, tunc aptè ratiocinabimur progrediendo, quemadmodum de proprio dictum est: Deus est igitur bonus. Et uicissim bonus est, igitur Deus est. Et negatiuè, non est Deus, igitur nec bonus. Et, non est bonus, igitur nec Deus. Non potest alia præscribi regula. Consultum uerò est notare in his omnibus consuetudinem scripturarum.

DIVISIO SEV PARTIVM Enumeratio.

Diuisio quid sit, et quot eius species.

Diuisio est communis rei in angustiores distributio. Ac modò quidem Genus diuiditur in subiectas species, ueluti si dicam, doctrinam in Ecclesia necessariam, aliam esse legem, aliam Euangelium 1. Timoth, 1. Modò uerò totum in suas partes: ut creatura alia est cœlestis, seu inuisibilis: alia terrena, seu uisibilis, Col. 1. Ad hæc recensentur nonnunquam diuisionis causa subiecti alicuius accidentia, quo pacto familiare est Apost. diuidere homines in Iudæos & Græcos: in credentes ac incredentes, ad Romanos 3. 10. Aliquando accidens distribuitur in subiecta, ut adfectus alius est uiri, alius mulieris. Denique accidens interdum secatur in alia distincta accidentia, sicut Paulus quosuis gentiles partitur in Græcos & Barbaros. Rom. 1. Ex omnibus uerò huiusmodi formulis ducuntur argumenta subinde in scripturis, & subinde nullius est negocij ea excerpere. Vide autem

Argumenta Pauli ex diuisione.

tem quot modis Apoſtolus ſimplicia illa diuiſione, qua omnes homines conſtituit aut Iudæos, aut Græcos, utatur in diuerſis ſermonum generibus. In Redargutiuo ad Roman. 2. ubi declarat omnes in genere homines pro ratione actionum ſuarum à Deo iudicandos. Adflictio & anxietas, inquit, aduerſus animam hominis perpetrantis malum, Iudæi ſimul primum & Græci: Gloria uerò, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum ſimul ac Græco. Et ad Roman. 3. in eodem genere, antè cauſis redditis oſtendimus & Iudæos & Græcos omnes peccato obnoxios. In genere Didaſcalico, ad Roman. 10. de effectu fidei, & de uocatione Gentium ex Ieſaiæ. 28. omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim eſt diſtinctio uel Iudæi, uel Græci. Item Corinth. 1. eadem partitione adhibita colligit ab omnibus hominibus impugnari Euangelium. Iudæi, inquit, ſignum poſtulant, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uerò ſtultitiam: Sed iiſdem uocatis Iudæis pariter & Græcis, Chriſtum Dei potentiam ac Dei ſapientiam. Rurſus ad Galat. 3. aſſerit Apoſtolus omnes homines, credant modò & Baptizentur, eſſe uerum ſemen Abrahæ, liberos atque hæredes promiſſionum. Quicunq; baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, non eſt Iudæus, neq; Græcus, non ſeruus, neq; liber.

Ratio argumentandi ex hoc loco.

Sic autem argumentari licet à Toto ad partes Affirmatiuè, Timotheus profert ac tuetur sanam doctrinam. Igitur profert & tuetur Legem & Euangelium. Item. Filius hominis condidit omnes creaturas, Igitur condidit & inuisiblies, siue cœlestes, & uisibiles, siue terrenas. Rursus negatiuè, præfixa tamen nota uniuersali. Nulla scriptura docet Filium Dei debere pati pro angelis lapsis. Igitur neq; Lex, neque Prophetæ, neque Psalmi, neque Apostoli, neque Euangelistæ hoc docent. Præterea aptè ratiocinabimur à partibus ad totum negatiuè, ut, Neque Iudæi, neque Græci, culpa uacant coram Deo, Igitur nulli homines culpa uacant coram Deo. Ad Roman. 3. Item à partibus ad totum affirmatiuè, dum tamen partes omnes necessariæ enumerentur. Neque Lex, neque Prophetæ, neque Psalmi, neque Apostoli, neque Euangelistæ asserunt quenquam seruari posse absq; fiducia de promisso semine benedicto Iesu Christo, Igitur nulla scriptura adstruit aditum ad salutem absq; Christo.

Regulæ.

Posito toto ponuntur & partes.
Sublato toto, tolluntur & partes.
Quod toti conuenit id & parti conueniet.
Positis omnibus partib. & totum ponitur.
Sublatis partibus nec totum esse potest.

Quod singulis inest partibus idem & toti insit oportet:

Quod singulis partibus adimitur id & toti adimitur.

CONIVGATA.

Coniugata sunt, quæ ab una eademque uoce per inflexionem deducũtur. Isa. 53. In prophetia de Christo & iustitia quam credentes per eundem adipiscuntur, locus est generis Didascalici, Cognitione sui, qui iustus seruus meus est, iustificabit multos quorũ iniquitates ipse portauit. Ioan. 5. In genere Redargutiuo. Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate. Confutat Christus malitiam Iudæorum & præposterum iudiciũ, qui damnabant Christum quod curaret ægrum in Sabbato, cum tamen non improbarent eos, qui in Sabbato exercerent circumcisionem. Vtrumque autem ad salutem miserorũ hominum fiat. Eodem cap. & in eadem disputatione. Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, si quis uoluerit uoluntati eius obtemperare cognoscet de doctrina, &c. Ioan. 8. in sermone Didascalico. Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Ibidem, uos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam. Porrò etiamsi iudicem ego, iudicium meum uerum est. Item, si manseritis in sermone meo uerè discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem & ueritas liberos reddet uos. Rursus, si filius liberos uos reddiderit uerè liberi estis.

Coniugata quæ sint.

Exempla argumentandi à coniugatis

Ad Rom. 2. In genere Redargutiuo, cum gentes quæ legem non habent natura quæ legis sunt fecerunt, ex legem non habentes sibi ipsis sunt Lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Ad Rom. 8. in Consolatione. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Paßim & in quouis genere concionum obuia sunt exempla.

Ratio argumenta à coniugatis.

Rectè ducuntur argumenta à coniugatis ad se inuicem affirmatiuè & negatiuè. Nathanael est uerè Israëlita & uerè discupulus Christi, ac manet in sermone Christi, habet igitur cognitionem ueritatis. Ioan. 8. Negatiuè, Diabolus non stetit in ueritate, ergo non est ueritas in eo, non loquitur ueritatem, Ioannis capite octauo.

Regulæ.

Cui unum coniugatorum conuenit eidem conueniunt & reliqua.

Negato uno coniugatorum, negantur & reliqua.

RELATIO.

Relatiua quid sint.

Relatiua sunt quorum est mutuus ad se inuicem respectus, ut Pater & filius, Maritus & Vxor. Ac necesse est uim & proprietatem Relatiuorum in doctrina Religionis diligenter notari.

Relatio in diuinis.

Siquidem in unius essentiæ diuinæ distinctis personis consideranda quodammodo relatio est. Si substantiam in natura diuina spectas, tum rectè idem planè est pater, quod & Filius, Rursumq; idē filius

filius quid & pater: secundum illud Christi uerbum, Ego & pater unum sumus. Si autem proprietatem & Relationem spectas, tum rectè dices, non idem est pater qui filius, nec filius idem qui pater. Atq; ideo Deus pater dicitur, quia habet filium, & iterum ideò Deus dicitur filius, quia habet patrem, uerum de his aliàs.

A natura Relatiuorum Christus redarguens aduersarios Pharisæos Matt. 22. probat se multò excellentiorem esse Dauide, imò & esse Deum. Interrogabat Pharisæos. Quid uobis uidetur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei Dauid. Ait illis, quomodo ergo in spiritu uocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos subsellium pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum Dominum quomodo filius est? Constat autem Christum in hanc sententiam concludere, ipsemet Dauid Christum appellat Dominum, igitur Christus non est Dauide inferior & tantum filius ipsius, sed potius superior. Certè filium neminem appellauerit Dominum. Erat autem Christus secundũ humanam naturam etiam Dauidis filius, sicut Matt. statim in operis sui initio demonstrat. Verum Christus Pharisæos, & cum Pharisæis omnes homines ad contemplationem rei sublimioris, nempe diuinitatis suæ, cupiens excitare, perspicuè ostendit ex Psal. 110. Dauidem prouidisse & confessum esse, quod Christus non tantum homo, uerumetiam Deus, ac Dominus

Exempla.

Dominus.

sit



sit, Deo ac Domino patri per omnia æqualis, cuius rei argumentum est, quod ad dexteram Dei patris sedeat. Sic etiam rectè colligitur, Christus est Rex à Deo constitutus, habet igitur terras & gentes subditas. Exprimitur hæc argumentatio Psal. 2. est partim generis Didascalici, partim Redargutiui, Ac pater ait ad filium. Ego constitui regem meum super Zion montem sanctitatis meæ: & paulò post. Postula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem, atque fines terræ in possessionem tuam. Sunt huius ordinis & hæc Malac. 1. In genere correctorio ait Dominus: Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum. Et si ego sum pater, ubi est honor meus? Et si ego sum Dominus, ubi est timor meus? Sunt tacitæ argumentationes ex Relatione: Sententia namque est. Si me agnoscitis patrē, debebatis uos gerere ut decet filios: Si agnoscitis Dominum, quin morem geritis ut fideles serui. Eodem pacto iudicandum & de sequentibus Matth. 10. Christus in genere consolatorio: Non est discipulus supra præceptorem, neque seruus supra dominum suū: sufficit discipulo ut sit sicut præceptor ipsius, & ut seruus sit sicut dominus eius. Si ipsum patrē familias uocarunt Beelzebul, quantò magis domesticos eius? Non igitur metuatis eos. Quanquam habentur hic etiam argumenta à maiori ad minus ducta, est nihilominus obseruanda proportio in ipsis Relatiuis & collatio.

Rex.

Pater dominus.

Discipulus.

Argu-

Argumentationes fiunt Affirmatiuè & Negatiuè, & conuersim. Rex est, igitur habet Regnum, siue terram & populos. Et Rex non est, Igitur non habet Regnum. Rursus, Est Regnum, igitur aliquis quoque Rex. Non est Regnum igitur nec Rex. In Relatiuorum explicatione dexteritate, in argumentationibus iudicio opus est. Ratio argumenta à relatiuis.

Relatiuorum uno posito ponitur & aliud, Regulæ.
Relatiuo uno sublato tollitur & aliud.
Relatiua dicuntur de sese mutuò conuersim, & sese mutuò exponunt.

ADIACENTIA.

Adiacentia uocant quæ sic existunt in rebus ut propter illa nomen aliquod eæ res accipiant, quod tamen secundum substantiam suam non habent. Placet quibusdam dicere epitheta. Adiacentia quæ sint. Agilitas, promptitudo & magna uis ad efficiendum inest angelis, propter ea uocantur Ignes, flammæ. Psal. 45. 128. Heb. 1. Agilitas igitur & facultas perficiendi res magnas, adiacens est angeli. Propter sapientiam quæ inest Solomoni uocatur Solomon sapiens. Atque alia quidē Adiacentia pertinēt ad intellectum quæ in solo conspiciuntur homine, qui intellectu est præditus. Huiusmodi sunt, Sapientia. Magnanimitas, multarum rerum intelligentia: Alia uerò ad sensum quæ spectantur in quibuscunque rebus corporeis, ut Rotunditas, longitudo, frigus, calor. Sunque hæc partim à na- Adiacentium diuisio.

tura

tura, siue ingenita, partim accessoria siue aduentitia. Est proinde adiacens Dei esse Deum uiuentium, quandoquidem in illo propriè uita est, unde & Num. 14. & Psal. 18. Deus adpellatur uiuens, Vsitata quoque est Iurisiurandi formula, uiuit Dominus. Ergo ab Adiacentibus argumentatur Christus Matth. 22. Deus est uita, uel in Deo est uita, Igitur est Deus uiuentium. Non est Deus, inquit, Mortuorum sed uiuentium. Nimirum adiacens Dei est, esse Deum uiuentium: Iam hoc concesso pergit Christus longius, Deus inquit, uocatur (Exodi 3.) Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Ergo Abraham, Isaac, Iacob sunt adhuc uiuentes. Si autem hi ad huc uiuant, consequitur Resurrectionem & Reuiuiscentiam esse mortuorum. Argumentatio est in genere cōcionis Didascobico· Itē Iohan. 4. Deus est spiritus, siue in Deo spectatur spiritualis Essentia, quamobrem consentaneum est Deum spiritu à nobis coli, quod Christus ita exprimit, ueri adoratores adorabuut patrem spiritu ac ueritate, Nam et pater tales quærit, qui adorent ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorent eam, Spiritu & ueritate oportet adorare. Eadem sententia est uerborum Stephani Act. 7. In concione generis Didascalici, in qua ostendit Deum, qui in cœlis habitat, atque Spiritus est, non delectari cultu terreno & corporeo. Excelsißimus ille non in manu factis tempis habitat, sicut propheta (Isaias cap. 66.) dicit. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellam pedum meorum.

Exempla adiacentũ Dei

Filio

Filiorum adiacens est fieri hæredes, ut succedant in bonis, quæ parentes siue propinqui occuparunt. Quod ius etiam Deo probatur. Genesis 15. Apostolus autem ad Rom. 8. in genere consolatorio colligit, credentes, quoniam filij Dei sunt, etiam hæredes fore bonorum spiritualium & cœlestium, quæ sunt in Dei patris potestate. Idem Spiritus testatur una cum Spiritu nostro, quòd simus filij Dei, quod si filij, igitur & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Cæterum ducuntur argumenta ab Adiacentibus & subiecto tàm affirmatiuè quàm Negatiuè Vt Solomon dat salubria consilia. Igitur Solomon est sapiens, Nabal non potest dare consilia salubria. Igitur Nabal non est sapiens 1. Samuel 25. Item argumentari licet ab Adiacentibus ad subiectum Affirmatiuè & Negatiuè: rursumque eodem modo à subiecto ad Adiacens. Ratio argumen. ab adiacentibus.

Cui inest aliquod adiacens, eidem inest quod ex eo sequitur. Regulæ.

Cui non inest tale adiacens, neque id quod ex eo sequitur.

Posito adiacente ponitur & subiectum.

Posito subiecto ponuntur & natiua Adiacentia.

ACTVS.

Actuum magna est cum Adiacentibus affinitas. Siquidem Actus nihil aliud est quam Actus quid sit.

 operatio

operatio rei cuiusq;, proueniens ab ipso adiacente. Spectatur in aliquo uirtus Dei siue donum, propter quod ille dicitur ex Deo esse. Itaque esse ex Deo, adiacens est talis hominis. Porrò audire alacriter & amplecti uerbum Dei, Actus est eius qui ex Deo est. Christus Iohan 8. in dissertatione Redargutiua. Si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex Deo est, uerba Dei audit, propterea non uos auditis, quia ex Deo non estis. Item angeli sunt flammæ ignis, hoc est, subtilis & ad agendum idoneæ substantiæ, & spiritus ministratorij. Itaque Actus angelorum sunt, præstò semper esse, ut Dei exequantur iussa. Quod & exprimitur Psal. 109. Qui creat, inquit, angelos suos Spiritus, & ministros suos ignis flammam. Proinde ab Actibus angelorum argumentum ducens autor Epistolæ ad Heb cap. 1. In genere Didascalico, euincit Christum esse, angelis superiorẽ, ac planè Deum: Illum nanque dici Dominum, atque actum eius esse, sedere ad dexteram patris. E cõtra uero Angelos esse Spiritus ministrantes, & ipsorum actum esse sistere sese Deo, ad perficiendũ imperata. Ad quem angelorum dixit unquam, sede à dextra mea, donec posuero inimicos tuos scabellium pedũ tuorũ? Nonne omnes sunt administatorij Spiritus qui in ministeriũ immittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis? Apta fit argumẽtatio ab Actibus & subiecto cum Affirmatiuè tũ Negatiuè ut Maria Magdalena magno studio audit uer-

Actuum et adiacentium differentia.

Exempla.

bum Dei, Igitur ex Deo est. Luc. 10. Pharisæi non libenter audiunt uerbum Dei, Igitur non sunt ex Deo. Ioan. 8. Ducitur insuper argumentatio ab Actibus ad subiectum pariter affirmatiuè & negatiuè. Vt Christus habet commercium cum carne & sanguine, tentationibus est obnoxius, per omnia similis factus est nostri, degustat mortē, Igitur Christus est uerus homo. Pluribus uerbis enarratur hæc ratiocinatio ad Hebr. 2. Gabriel non habet commercium cum carne & sanguine, non est tentationibus obnoxius, igitur non est homo. Rursus ualet argumentum à subiecto ad Actus. Christus homo est, uel uerbum factum est caro, igitur habet commercium cum carne & sanguine.

Ratio argumētam: ex actibus.

Si unus Actuum in subiecto fuerit, erit & alter qui ex priore sequitur.

Regulæ.

Positis actibus simul ponitur & subiectum in quo illi existunt.

CAVSAE.

CAusa est quod, siue propter quod aliud est uel esse potest. Latißimè autem hic locus diffunditur. Sicut reuera magnus est in omnib. disciplinis causarū usus. Prius autem quam lōgius progrediamur, operæ preciū est, nōnulla à nobis adnotari. Primo cū de rerū factorūq; causis quæstio est aliter eas inuestigat Theologus, aliter Physicus, Rhetor uel alterius disciplinæ sectator. Theol. eiusmodi causas studet præferre, quæ ad illustrādā Dei gloriam

Causa quid.

Causas aliter in theologia quā in alijs artibus inuestigamus.

gloriam, & ad inſtituendos homines in cognitione diuinæ uoluntatis, ac ſuæ ſalutis conducunt. Alterius uerò artis profeſſor non de his, ſed de alijs quibuſdam eſt ſollicitus, ſicut ſingulæ quoq; artes propria quædam habent principia. Exemplo id fiet manifeſtum. Cauſam mortis Phyſicus ſi iubeatur inquirere, ſtatuit eam in ipſa corporum humanorum materia & compoſitione, dicens illa ipſa haud diu poſſe ſubſiſtere, quod compoſita ſint ex elementis, quorum ſunt pugnantes qualitates, quas ubi contigit inæqualiter temperari, ut actio modū ſuperet, alia propè deficiat, neceſſe eſt morbos, tandem uerò, calore omni extincto, & mortem ſuccedere. Quò & Ariſt. lib. 1. de ſpiratione, ſpectans, & hunc ſecutus Galenus de Temperamentis lib. 2. cap. 3. Mortem definiunt caloris naturalis reſtinctionem. At uerò Theologus explorans mortis cauſam, conuertit ſe ad ſuæ artis principia, hoc eſt, ad ſacram ſcripturam. Ac dum in hac inuenit Geneſ. 2. denunciatam à Deo primis parentibus, ſi præceptum de non guſtando fructu arboris ſcientiæ boni & mali transgrederentur, mortis pœnam atque illos fructu uerito ueſci auſos, definit mortis cauſam eſſe, hominis peccatum. In quam ſententiam Apoſt. Rom. 5. per unum hominem peccatum, inquit, in mundum introijt, ac per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors peruaſit.

Secundo, Frequenter in ſcripturis unius eiuſdemque

demq; rei facti, uel dicti plures causæ simul notantur, ac modò quidem in una sententia, modò uerò in diuersis locis. Quapropter decet rerum diuinarum studiosos acri diligentia causas inuestigare, quò & uoluntatem Dei in omnibus rebus rectius considerent, & quid suum sit officium, tàm erga Deum, quàm erga homines, plenius intelligant. Scriptura præ reliquis disciplinis causas ueras & certas in lucem profert.

Vnius rei aliquando plures causæ proponuntur.

Nunc quàm uariæ sint dicamus, & exemplis adiectis singulas illustremus. Primo notißima est illa causarum enumeratio, Materia, Efficiens, Forma, Finis.

Quot sint causæ.

MATERIA.

Materia significat aliquando id ex quo fit, ut terra est materia hominis. 1. Cor. 15. In genere Didascalico probatur corpora nostra corrumpi & resolui debere, quandoquidem ex terra sunt, & per peccatum primorum parentum facta corruptioni obnoxia. Primus homo, inquit, de terra terrenus. Respexit haud dubiè Apostolus ad uerba illa Genes. 2. Formauit Dominus Deus hominem puluerem de humo: & ad illa Genes. 3. In sudore uultus tui uesceris pane tuo, donec reuerteris in humum, de qua sumptus, quandoquidē puluis sis & in puluerem reuersurus sis. Hiob 33. Elihu audiri cupiens & beneuolentiam captans, ratione materiæ probat personarum æqualitatem.

Materia ex qua.

ecce ego, inquit, sum sicut & tu apud Deum ex puluere excisus, & ego. Ratio est generis institutiui.

Materia circa quod.

Aliquando uerò materia significat id citra quod aliquid uersatur, uel de quo pòtissimum agitur. solent uocare subiectum. Inuenitur autem & hæc in scripturis interdum expressa. Materia Euangelij est filius Dei Iesus Christus. Roman. 1. in genere didascalico, Paulus segregatus in Eangelium Dei, quod antè promiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo, qui genitus fuit, de semine Dauid.

Ratio argumentandi à materia.

Valet autem argumentatio à causa materiali ad effectum, siue euentum respondentem Affirmatiuè & Negatiuè, ut Exod. 1. populus Israeliticus cogitur in regno Pharaonis cæmentū parare, lapides coquere, Igitur sordido et difficili labore premitur. Videlicet proposito opere in uili & sordida materia, luto inquam & cæmento, tyrãnis Pharaonis, & populi miseria non parū amplificantur, Et Negatiuè Matt. 14 Apost. non habent panes uel obsonium, ergo non possunt, (si naturalem spectemus ordinem) aliquot millia hominum fame confectorum saturare. Infirma autem fuerit argumentatio, si negata una materia negetur effectus, qui ex alia materita prouenire potest. Veluti si dicā populus Israeliticus non cogitur in luto uersari, & lateres coquere, igitur non premitur sordito & difficili labore. Nequaquam est apta consequentia

quando.

quandoquidem propulus alijs modis male tractari posśit. Vt quondam Gabaonitæ, quos destinabat Iehosua cædendis & comportandis lignis, hauriendæq; aquæ Iehos. 9.

Concessa materia conceditur & effectus seu euentus. Regulæ.

Negata materia negatur effectus.

FORMA.

FOrma similiter duobus modis accipitur. Alias uocant effigiem, quæ inducetur materiæ, & ob quam nomen alicui rei inditur. Lignum accipit nomen poculi uel coclearis propter formam ei inductam. Alias uerò formam intelligunt modũ, quo aliquid fit, siue decenter conficitur. Priore autem significatione rarius occurrunt in scripturis argumenta, sicut & de materia priori modo accepta, posteriori crebra, Exo. 28. Dominus ad Mosen: Facies uestes sanctas Aaroni fratri tuo, quæ sint in gloriam & decorem, mox describitur quales eæ uestes esse deberent. Sic autem licet argumentari. Aaron prodit sacris uestib. indutus: est igitur omnibus uenerandus. Gloria & decus sunt effectus formæ uestium. Scribunt Alexandrum Macedonem, cúm Hierosolymam contendenti obueniret summus pontifex splendido suo ornatu insignis, uehementer fuisse ea specie permotum, atq; hominem maximo honore prosecutum, quin etiam Iudæis, quæcunq; tum peterent, libenter concesśisse.

Formæ duplex significatio.

Exempla.

Formæ seu modi quo aliquid fit exempla. De forma secundo modo accepta, Ephe. 4. in genere Institutiuo, ex Psal. 4. Irascimini & non peccetis. Præscribit nimirum quæ nam ira sit licita, siue quis modus esse in ira debeat. Illam iram definit licitam, quæ non sit coniuncta cum peccato,

Exponit deinde clarius unde forma siue iræ modus cognosci queat, Sol non occidat super iram uestram, neque detis locum calumniatori, Hoc est, prouidendum, simul ne diuturna sit, simul ne tam acris, ut damni aliquid ex ea sequatur, Ibi post pauca, Omnis sermo spurcus ex ore uestro ne procedat, sed si quis bonus est, Porrò causam formalem siue modum, quo sermo bonus esse intelligitur, exponit dicens, debere ad ædificationem & utilitatem tendere, ac gratiam dare audientibus,

Ratio argumentandi. Efficax est argumentatio à forma ad effectum, siue euentum affirmando & negando. Vt uestes sacerdotales sunt affabrè paratæ ex auro, gemmis, serico, Igitur mirificè exornant, & non paruam addunt gratiam, uel magni sunt precij, Item irascitur aliquis uidens operam & oleũ sibi perire in docendo rudi & pertinaci populo, Igitur est studiosus gloriæ Dei. Sic Moses Exod: 12. uidens Pharaonem diuinorum mandatorum autoritate non flecti, iratus ab illo discedit. Et Christus Mar. 3. Circumspexit aduersarios cum iracundia, dolens super cœcitate cordis illorum.

Regula. Posita forma potentia est ad conuenientem effectum siue euentum.

CAVSA EFFICIENS.

CAusa efficiens est, per quam aliquid efficitur. Vt Legis causa est ipse Deus autor legis. Romar. 2. In Redargutiuo genere, per transgreßionem legis Deum de honestas. Etenim qui legem contemnit siue effectum, idem intelligitur contemnere Legis effectorem. Quid sit causa efficiens.

Distinguitur autem causa efficiens Trifariam. Quædam est agens principalis, imperans, siue causa propinqua, ἄιτιον. Quædam subordinata, connexa, obsequens, remota, cooperans, σωαίτιον, Quædam est instrumentum ὄργανον. Deus salutis nostræ causa est efficiens princeps, propinqua imperans, dominans. Apostoli & pij doctores sunt causæ subordinatæ, cooperantes, remotæ. Ipsa autem doctrina fideliter proposita siue prædicatio uerbi, perinde se habet, atque instrumentum 1. Cor 3. in genere institutiuo. Quis est Paulus? Quis Apollo? nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Dominus dedit incrementum. Et cap. 4. Sic nos æstimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Ibidem, in Christo Iesu per Euangelium ego uos genui. Efficientium diuisio. Exempla

A causa efficiente ad effectum tàm affirmatiuè quàm negatiuè aptè raciocinamur. Act. 11.28. Rom. 9.15. Gal. 1. Ephes. 3. Deus uult per Apostolos suos prædicari Euangelium gentibus. Ergo Ratio argumentādi.

& gentes adducuntur ad pœnitentiam, hæredes sunt æternæ salutis. Actorum 26. Apostoli prohibiti à Spiritu sancto non annunciabant Euangelium Asiaticis. Ergo Asiatici non sunt per illud ipsum adducti ad pœnitentiam, non acceperunt hæreditatem æternæ uitæ. Inefficax est argumentatio, tàm affirmatiuè quam negatiuè, Si causa efficiens proferatur impropria, incerta, uel non sufficiens ad effectum producendum.

Regulæ. Quò dignior est causa efficiens, eò dignius est effectum.

Causa efficiens propinqua præferenda est efficienti remotæ.

Posita causa efficiente & operante, ponitur & effectum, causa efficiente non operante, non sequitur effectum.

A causa efficiente naturali prouenit effectum naturale.

A causa efficiente super naturali deriuatur plerunq; effectum supernaturale.

FINALIS CAVSA.

Quid sit finis. Finis, siue causa finalis est propter quam aliquid fit, siue usus ad quem aliquid paratur. 1. Timot. 1. Finis præcepi, siue Legis est charitas ex puro corde & conscientia bona & fide minimè simulata. Ideo namq; Lex à Deo est promulgata, ut discant ex ea homi. officia charita. Cæteræ particulæ adiectæ describunt causam formalem, siue modum

dum charitatis. Est autem finis duplex, alter summus, alter principalis: Alter medius siue conferens. Veluti cum dico actiones nostras dirigi debere ad gloriam Dei, sicut iubemur. 1. Cor. 10. Hic summũ finem ante oculos constituo, siquidem semper primo loco ea nobis curæ esse debent, quibus gloria Dei illustratur. Cum rursus dico actiones nostras instituendas esse ad ædificationem proximi, de quo extat mandatum 1. Corinth. 14. hic finem specto medium siue conferentem. Finium diuisio.

Ad hæc finis medius siue conferens distinguitur, & alias quidem sit proprius, quod genus est, si dicam finem coniugij esse uitare uagam libidinem, siue fornicationem, quo pacto Apostolus 1. Cor. 1. Propter stupra uitanda, inquit, suam quisq; uxorem habeat, & suum quæq; uirum. Alius uerò improprius: Veluti si dicat quispiam, se uxorem ducere uelle ut suauiter uiuat, uel ut acquirat opes & lautam hæreditatem, tum interim Apost. subindicet, eos qui contrahunt nuptias afflictionẽ in carne & molestias habituros: alludens fortè ad illud Menãdri. ὁ μὴ γαμῶν οὐκ ἔχει κακά. Sũt ergo prudenter obseruandi fines, atque etiam distinguendi, idque non solum quia freqnenter inculcantur in scripturis, & sæpenumerò etiam unius eiusdemque rei fines describuntur plures ac diuersi, uerum etiam quia ab uno fine efficaciora ducuntur argumẽta, quam ab alio, et finis principalis cuicunque alij anteferri meretur. Diximus ex 1. ad Timo. Medij fines proprij & improprij.

1. fi

Exempla. 1. finem legis à Deo latæ esse Dilectionem, Atqui eodem loco statim subijcitur, legem non esse iusto positam, sed iniustis & in obsequentibus. Quî igitur hæc consistent? Nibil aliud quàm explicantur Legis diuersi fines. Siquidem prior pars ostendit, quomodo Lex utilis sit iustis, quorum profectò interest ex lege omni tẽpore discere quæcunq; officia charitatis, & quænam opera Deo accepta sint. Estq; hic finis legis principalis, siue summus, ideoquè priori loco ab Apostolo est positus, Propter electos namquè, siue pios Deus cuncta ordinat Quamobrem in rerũ consideratione semper debet id primo loco à nobis obseruari, quod ad piorum usum paratum esse constat. Posterior pars declarat legem usui etiam esse iniustis, atque impijs, utpote qui terreri, obiurgari, in ordinem redigi, & quasi freno iniecto coerceri legis maiestate debent. Hunc autem finem legis dicere possumus medium, siue conferentem: Sicut reuera non parum adiuuat, ut prioris & principalis destinata sequantur. Etenim nisi Legis seueritate & metu iudicij diuini reprimeretur aliquo usq; impiorum temeritas, non possent pij res suas saluas retinere, ac proinde nec exercerent officia ulla charitatis in sese mutuo uel in alios.

Ratio argumentandi. Valet consequentia à causa finali, ad destinatum siue effectum Affirmatiuè & Negatiuè. Vt, pios decet his incumbere, quæ ueram dilectionem promouent: Igitur studiose addiscant legem. Non

est

est ingrediendum ea uia, quæ ducit ad interitum. Igitur non ingrediemur per portam latam & spaciosam Matth. 7.

Non ualet consequentia, in qua finis improprius siue abusus pro fine proprio ac uerò usu ponitur. Lex dum prohibet concupiscentiam gignit omnem concupiscentiam in nobis, & occidit, siue condemnat nos: Igitur Lex mala est & mali autor. Atqui disertè dicitur Rom. 7. Non ipsam legem per se istud efficere, sed peccatum in nobis inhabitans: id est, prauitatem nobis ingenitam. Occasione accepta, inquit, peccatum per præceptum genuit in me omnem concupiscentiam. Item repertum est mandatum quod institutum erat ad uitam, mihi cedere ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per præceptum decepit me, & per illud occidit. Itaq; Lex ipsa per se quidem sancta & præceptum sanctum & iustum & bonum.

Cuius finis & usus bonum est, ipsum quoq; bonum est. Regula.

Cuius finis & usus malus est, ipsum quoq; malum est.

Exempla in quibus plures formæ causarum coniunguntur.

AGE uerò nunc subijciamus aliquot exempla in quibus plures formæ causarum simul recensentur, ut quanquam iunctæ sint inter se, per-

spectum

ſpectum fiat, ſimulque excitetur unuſquiſque ad diligentem earum in ſcripturis inueſtigationem. Locus inſignis eſt ad Romanos 3. Iuſtificamur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus reconciliationem per fidem, interueniente ipſius ſanguine, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſsionem præteritorum peccatorum, quæ Deus tolerauit ad oſtendendam iuſtitiam ſuam in præſenti tempore, in hòc, ut ipſe ſit iuſtus & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu. Apoſtolus, quo omnes certiores faciat de iuſtificatione hominum per fidem, abſque operibus legis, magna cura, licet paucis uerbis, cauſas diuerſas, omnemq; modum iuſtificationis explicat.

Cauſæ iuſtificationis.

Cauſa efficiens principalis propinqua iuſtificationis eſt Deus pater: item filius Ieſus Chriſtus cuius eſt par cum patre poteſtas atque uoluntas. Quanquam, quoniam filius dicitur à Deo patre propoſitus conciliator, ac reſpectu humanæ naturæ idem factus eſt patre inferior, ad mortem uſque ipſi obediens, ad Philip. 2. dici poteſt, filius cauſa efficiens ſubordinata, connexa, cooperans, obſequens.

Cauſam formalem ſiue modum exprimit cum dicit hominem iuſtificatum gratis. Porrò ſi quis admirans pergat ſciſcitari, quomodo homo gratis omnino iuſtificetur, huic cauſa reddetur, quæ Deum patrem præcipuè huc permouit, nempe

ipſius

ipſius gratia, quæ & ipſa eſt quædam cauſe effici ens, atque mouens. Adduntur mox aliæ cauſæ, Iuſtificationis modum plenius exponentes, per redemptionem, inquit, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Item interueniente ipſius ſanguine, cenſeri queat hæc poſterior cauſa inſtrumentalis. Etenim ſcire cupienti, quomodo perfecta ſit talis redemptio, rectè reſpondetur, morte ac ſanguine Chriſti. Nihil prorſus, inquit, præſtat homo, ut beneficiorum Chriſti fiat particeps? Imo multum ab eo requiritur, Fides nimirum in Dei promißiones, quæ non eſt res tam exigui momenti, ac plerique opinantur. Quod plenius demõſtratur Roma. capite quarto, ubi graphicè depingitur fides Abrahami.

Poſtremò numerantur & cauſæ finales propterquas Deus dignatur peccatores gratis recipere in gratiam. Eæ ſunt hæ. Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, ad oſtendendam iuſtitiam ſuam in præſenti tempore, ut ipſe ſit iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu. Ad has cauſas quàm multas, quàm graues, qui paulò attentius animum intenderit, procul dubio & facilius intelliget, & libẽtius concedet uerißimum eſſe, quod ab Apoſtolo dogma aſſeritur, hominem, uidelicet fide abſque operibus iuſtificari.

Ad Epheſ. 2. in genere didaſcalico locus eſt de Gentilium coniunctione cum Iudæis in Repub. Dei, quæ eſt Eccleſia. Nunc autem per Chriſtum Ieſum uos, qui quondam eratis longinqui, pro- *Cauſæ uocationis Gentium.*

pinqui

pinqui facti estis per sanguinem Christi: Ipse enim est pax nostra qui fecit ex utrisq; unum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam, legem mandatorum, in decretis sitam abrogans, ut duos conderet in semetipso in unum nouum hominem, faciens pacem, & ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem. Christus est causa efficiens principalis uocationis gentium, & coniunctionis eorum cum Iudæis. Finis autem propositus Deo erat, duos populos condere in unũ hominem. Finis medius, Causa formalis, qua coniunctio hæc perfecta est, exprimitur abrogatio Legis sitæ in decretis. Dehinc sanguis, caro, Crux Christi, sunt uelut instrumentales causæ quarum adminiculo Lex illa abrogata est.

Finis summus in coniunctione gentilium cum Iudæis Christo propositus est, omnes ex æquo reconciliare Deo patri, & unam Ecclesiam eidem acceptam colligere.

Causæ bonorũ quæ habet Ecclesia.

Ad Eph. 5. In genere institutiuo ubi de officio mariti erga uxorem disserit. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibijpsi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam huiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Expendamus & hic causas aliquot. Chrstus inprimis est autor & causa efficiens principalis omnium

tum bonorum, quæ Ecclesiæ contingunt. Causa formalis, siue modus dilectionis in eo exprimitur, & quidem non sine amplificatione, quod exposuit semetipsum pro ea. Cur, siue quem in finē exposuit se pro ea? ut illam sanctificaret in terris, est finis medius, siue conferēs. Subijcitur causa formalis siue modus sanctificationis, quando ait mundatam lauacro aquæ per uerbum. Vbi uerbum & aqua sunt instrumenta mundationis. Finis autem summus & principalis est, ut adhiberet eam sibijpsi gloriosam Ecclesiam, ubi primum uera gloria perfruitur Ecclesia, ac uerè sancta ac irreprehensibilis existit.

Sed haud scio an ullus locus in uniuersa scriptura locupletiorem contineat causarum, præsertim efficientium, formalium, finalium, adde & instrumentalium enumerationem, atq; explicationem, quàm qui in eadem Epistola primus occurrit, de electione, uidelicet piorum ab æterno facta, ante mundi conditionem, quem, nisi aliquanto prolixor esset, adscripsissemus & facta analysi demonstrassemus admirabilem inter se causarum coniunctionem atq; ordinem.

Quinetiam in historicis narrationibus operæ precium est causas scrutari & distinguere. Et crebrò rotantur unius eiusdēq; negocij causæ plures ac diuersæ. Vt 1. Reg. 22. ubi casus ad exitium describitur Regis Achabi. Dixit Micha, uidi Dominum sedentem super solium, & exercitum cœ-

Causarum obseruatio in rebus gestis.

lorum stantem iuxta eũ, Et ait dominus. Quis persuadebit Achab, ut ascendat, & cadat in Ramoth Giliath? Et dixit unus in hunc modum, & alius in hunc modum. Egressusq; Spiritus quidem, stetit coram domino, & ait, ego persuadebo ei, & ait dominus ad eum: In quo? At ille ait, egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius: qui dixit, persuadebis & præualebis. Egredere igitur, & fac sic. Nunc igitur ecce dedit dominus spiritum mendacij in ore omnium istorum prophetarum tuorum, locutusq; est dominus super te malum. Vide autem quam multæ hîc perstringantur causæ efficientes eodem in negocio simul operantes. Deus, ut iustè puniens peccata peccatis, & diuturnam incredulitatem Achab nolens ferre amplius, causa efficiens principalis & imperans dici potest, Spiritus malus causa efficiens subordinata & obsequens: quandoquidem quod Deus ordinat, tanquam minister exequitur. Prophetæ mendaces adhibentur ut causæ efficientes instrumentales. Denique ipse Achab obduratus, & uero Prophetæ Michæ detrectans credere, exitij causam sibiipsi accersit, eiq; uni imputari malum omne debet.

Causæ interitus Achabi.

Nonnunquam porro unius, eiusdemq; rei causæ plures inueniuntur in scripturis expositæ, sed diuersis in locis, quas tum magnoperè prodest simul considerare. Exempli gratia inquiramus causas efficientes mortis, primum, quemadmodũ su-

Causæ plures unius rei diuersis locis expositæ.

pra diximus, & ca. 5. ad Ro. Causa efficiens mortis est homo, suo peccato eam promeritus. Per unũ hominem, inquit, peccatum in mundum introijt, et per peccatum mors. Quod si spectamus Deum & comminantem pœnam mortis primis parentibus si transgrederentur ipsius præceptum Gen. 2. & quando libet proponentem hominibus uitam & mortem. Iere. 21. Item suo arbitrio & secundum suam iustitiam alios, punientem morte, alios donantem uita 1. Samuel. 2. possumus etiam Deum ipsum mortis efficientem causam dicere. Si porrò autorem libri sapientiæ audimus (nam Solomonis esse haud fit uerosimile) erat etiam diabolus, quoniam primus instigauit hominem ad peccandum, efficiens mortis causa. Nam. 2. cap. ita scriptum reliquit: Inuidia diaboli mors introiuit in mundum.

Mortis causæ.

Similiter & factorum, quæ in historijs sacris referuntur, causas efficientes diuersis locis explicari aliquando uideas. Sic, cur Iudas factus sit Christi proditor, aliæ alibi proferuntur causæ. Prima & principalis causa in ipso spectari potest, nempe quod auarus fuerit, & fur habens loculos: Refertur à Ioan. cap. 12. Secunda causa efficiens Diabolus illum ad tantum flagitium impellens Luc. 22. & Ioan. 13. Introiuit Satanas in Iudam. Tertia causa efficiens, ac iustè puniens illius malitiam antecedentem, Deus ipse. Oportuit namque perfici, ait Petrus Actor. 2. Quod de illo Deus

Eiusdem facti plures causæ diuersis locis expositæ.

decreuerat, & Spiritus Sanctus per os Dauidis diu antè pronunciarat, dicens Psalmo 62. Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter. Pluribus exemplis non est opus: tantum admonitos omnes studiosos uolumus, ut in lectione sacrorum liberorum asuescant, tum ubi explicantur dogmata, tum in historicis narrationibus, imò in unoquoque concionis genere, multiplicis causarum species accuratè concinnare.

EFFECTA.

Effecta sunt quæ ex causis proueniunt. Etenim ubi causæ antecedunt, semper aliquo suo tempore, siue loco sequuntur effecta, eademque pro uarietate causarum diuersa. Ita nimirum, ut quædam discernantur ratione materiæ: quædam ratione formæ: alia item ex causa efficiente: alia ex finali. Ac nonnullis placet ita distinguere, ut, quæ ratione materiæ uel formæ accidunt, proprie appellent euenta: quæ à causa efficiente, effecta: quæ à causa finali, destinata. Nos uno effectorum nomine simul omnia complectimur.

Quid sint effecta.

Effectorum distinctio.

In genere Didascalico effectum Legis est cognitio peccatorum, ad Rom. 3. & 7. Concupiscentiam, inquit, non nouissem esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces.

Exempla.

Rursus in eodem genere Exodi 15. & Apostolo repedente ad Romanos 9. Dicit Deus ad Pharaonem

nem. In hoc ipsum te excitaui, ut ostendam in te potentia meam, & ut annuncietur nomen meum in tota terra. Ergo effectum consilij diuini in oppressione Pharaonis atque uniuersi eius exercitus, est prædicatio gloriæ, atq; potentiæ illius: Item est metus homines omnes inuadens, idque demonstratur Exodi 15. Iehos. 9. 1. Samuel 4. Psal. 18. 105. 235. 136. Micheæ. 6. Act. 7. In genere institutiuo, Iacob. 5. Iubenter pij orare pro inuicem, Annectitur ratio ab effectis rationis, quæ sumpta sunt de Exemplo Eliæ, quod extat 1. Reg. 17. orate, inquit pro inuicem, ut sani sitis. Multum enim ualet deprecatio iusti efficax. Elias erat homo similiter obnoxius affectionibus ut nos, & deprecatione precatus est, ne pleret, & non pluit super terram annos tres, & menses sex. Et rursus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra produxit fructum suum.

Item ad Roman. 12. in genere institutiuo effectum beneficentiæ in inimicum est urgere & premere illius conscientiam, ut animum suum mutare, culpam agnoscere, ac deprecari cogatur. Id effectum ita exprmitur ex Prouerbiorum 25. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, sit sitit da illi potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius. Et in eodem genere 1. Pet. 4. Prosequendos mutua beneficentia fratres, probatur ab effecto charitatis, quod hunc in modum de-

ſcribitur Prouerb. 10. Odium excitat contentiones, charitas uerò operit cunctas iniquitates.

Ratio argumentandi.

Efficax eſt argumentatio ab effectis ad cauſas affirmatiuè & negatiue. Agnoſcit peccata & pœnitet eum delictorum, audiuit igitur doctrinam Legis, Non agnoſcit peccata, nec mouetur pœnitentia, ergò non audit, nec curat Legem. Lex in ipſo nihil efficit. Ex antè dictis iudicare de his conſequentijs poſſumus.

Regula.

Poſito effecto neceſſario ponitur & cauſa.

Loci aliquot theologiæ proprij, qui quodammodo cauſarum & effectorum rationem habent.

DE cauſis & effectis eodem modo diximus, quo in reliquis diſciplinis conſiderari ſolent. Occurrunt autem in Theologia loci nonnulli ſingulares, qui cauſam & effectorum rationem quodammodo habent, non tamen per omnia cum his congruunt. Eſtq; frequens eorundem in ſcripturis uſus, nec leue habent pondus ductæ ab ijs probationes. Quamobrem uiſum eſt ſeorſim de ipſis proximè poſt tractationem cauſarum agere. Sunt autem hi.

Promiſsio diuina. Comminatio diuina. Prædictio ſeu Vaticinium propheticum. Typus. Allegoria. Signum. Quæ quidem omnia ſunt ueluti cauſæ præeuntes, ac neceſſe eſt res nonnullas ſubſequi ſiuè in Chriſto, ſiue in Eccleſia, ſiue ſpecia-

tim

tim in aliquibus hominibus perficiendas. Quamobrem euentorum siue effectorum induunt speciem.

PROMISSIO DIVINA.

QVid promißio Dei sit, cuiuis per se notum est. Sic autem à promißione diuina traduntur argumenta. Beatißima uirgo Maria Lucæ 1. in cantico, quod est generis institutiui (celebrat quippe Dei laudem agitq; gratias) colligit adesse tempus, quo liberari genus humanum debeat per filiū Dei nostram naturam suscipientem, reuocando in memoriam Dei promißiones ea de re olim ad patres, inprimis ad Abraham factas. Suscepit, inquit, Israel puerum suum, ut memor esset misericordiæ, sicut locutus est ad patres nostros nimirū Abraham & semini eius in æuum.

Exempla.

Promißiones de Christo.

Actor. 2. Petrus in genere correctorio comprobat Apost. Collegas suos non esse ebrios, ut maleuoli interpretabantur, sed potius adflatos spiritu diuino, ac nouo linguarum dono ornatos. Ita namque Deum ipsum olim promisisse per Ioelem prophetam cap. 2. & salutem per Iesum Christum, & amplißima Spiritus Sancti dona. Et erit in nouißimis diebus, inquit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ, & iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri som-

Promißio Spiritus Sancti.

nia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis, effundam de Spiritu meo, & prophetabunt. Et dabo prodigia in cœlo supernè, & signa in terra infernè. Et futurum est quicunq; inuocauerit nomen domini seruetur.

Promißio Isaaci facta Abrahamo.

Ad Romanos 9. In genere Didascalico demonstratur, non protinus omnes qui secundum carnem originem ab Abrahamo trahunt, dicendos esse Abrahami filios, sed illos potius, qui Exemplo Abrahami fidem in promißiones Dei dirigunt. Probatio adhibetur à forma promißionis diuinæ ad Abrahamũ factæ, Gen. 21. Per Isaac nominabitur tibi semen. Quodque de Isaac nascituro præcesserit promißio diuina fidem facit, referens quod Genes. 18. Deus, siue Angelus iussu Dei, dixerit, Reuertendo reuertar ad te, iuxta tempus uitæ. Et ecce filius erit Saræ uxori tuæ.

Ratio argumentandi.

Valet consequentia à promißione diuina ad euentum affirmatiuè & negatiuè Iere. 29. Psal. 17. 145. promisit Deus laturum se opem pijs ipsum necessitate inuocantibus. Igitur Deus haud dubiè præstabit, atq; pios eripiet è periculis, Rursus Ierem. 11. Io. 9. & alibi. Deus non promisit se auditurum impios. Igitur nequaquam liberabuntur.

Promißionum certitudo.

Efficacia atque certitudo promißionum diuinarum declaratur Roman. 4. Abraham ad promißionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo,

certa persuasione concepta, quod is, qui promiserat, idem potens esset & præstare. Item 2. Cori. 1. Quotquot sunt promißiones Dei per ipsum sunt etiam, & per ipsum amen, Deo ad gloriam per nos. Intelligo autem hæc, ubi promißiones sunt generales, aut nullam habent annexam conditionem.

Etenim, si quando promißioni annexa fuerit conditio, tum demum ea perficietur, cum ij, quibus aliquid fuit promissum conditionem ipsam præstiterint. Sic promittitur uita & salus his, qui legis præcepta omnia custodierint, Leuit. 18. Exodi 20. Galat. 3. ex quo conficitur, authore Apostolo ad Galat. 3. Quemadmodum nemo legem uniuersam exactè & secundum mentem legislatoris obseruat: ita neminem ex operibus legis apud Deum iustificari & uitam æternam consequi.

Promißiones cum conditione ipsa præstita perficiuntur.

Posita promißione Dei ponuntur & euenta, siue effecta promißioni respondentia.

Regula.

COMMINATIO DIVINA.

Si quando Deus comminatur aliquibus mala, eadem accipiatur ratio comminationum quam promißionum esse diximus, tandem enim euenient sine dubio, quæ Deus semel fuerit peccantibus interminatus. Apost. ad Rom. 10. in genere Didascalico adstruit tempus adesse, quo Iudæi reijci atque excludi ab Ecclesia Dei, gentiles autem uocari & Iudæorum loco substitui debeant. Confirmat istud

Exempla.

proposita comminatione Dei aduersus Iudæos olim pronunciata Deut. 32. Ego ad æmulationem prouocabo uos per gentem, quæ non est gens, per gentem stultam ad iram commouebo uos.

Ratio argumentandi.

Valet hoc genus probationum adstruendo & destruendo. Idq́; quod quæ Deus de puniendis peccatoribus semel decreuit, rata manere debent. Ac necessarium omninò est, ut Deus subinde aliquos propter scelera sua seueriter plectat, uel prorsus etiam perdat: quò uidelicet innotescat ac celebretur ab omnibus ipsius iustitia, potentiaq́;, sicut Exodi 9. de Pharaonis excidio loquens Deus ipse ait: In hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te potentiam meam. Et ad Rom. 9. post eadem uerba recitata, Apostolus dicit, Deum uolentem ostendere iram, & notam facere potentiam suam, ferre multa animi leuitate uasa iræ apparata in interitum.

Argumentum ad euenta firmius est à promiß: quam à comminatione.

Quanquam non perinde necessaria est consecutio, cum argumentamur à comminatione ad euẽta, sicut cum argumentamur à promißione ad euenta. Ratio hæc est. Semper mauult præstare quæ promiserit bona, quàm infligere quæ comminatus fuerit mala. Nahum 1. & Habacuc ca. 3. docent Deum etiam in ira esse misericordiæ memorẽ. Et Eziechele teste 18. Deus nõ expetit mortem peccatorum, uerum multò magis ut in uiam redeant & uiuant.

Ergo uidendum semper est utrum commina-

tionibus

tionibus diuinis conditio, siue exceptio aliqua sit apertis uerbis annexa, aut utrum tacitè subintelligatur. De conditione apertè annexa Luc. 13. Nisi resipueritis, omnes peribitis ut illi Galilæi, quorum sanguinem Pilatus miscuerat sacrificijs, siue, ut octodecim homines, qui oppressi sunt ruina turris in Siloach.

Comminatio cum expressa conditione.

De conditione subintellecta sunt illa Isaiæ capite trigesimo octauo. Venit Esaias ad Ezechiam regem dicens: Sic dicit Dominus: Commenda alicui domum tuam, quoniam tu morieris, & non uiues, ubi simplex est denunciatio, nulla conditione expressa: Et tamen subintelligi debere ex eo liquet, quod postea idem Esaias iussus sit rursus dicere: Sic dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationẽ tuam, & uidi lachrymam tuam, Ecce ego adijcio super dies tuos annos quindecim.

Comminationes cũ conditione subintellecta.

Item Ionæ 3. Ionas in mandatis habuit à Deo annunciare simpliciter Niniuitis, quod post 40. dies ciuitas Niniue subuerteretur. Atqui paulo post sequitur. Crediderunt Niniuitæ Deo, & egerunt pœnitentiam. Quamobrem uidens Deus opera eorum, & quòd reuersi essent à uia sua mala, pœnitudine motus est Deus super malo, quod locutus fuerat facere illis, & non fecit.

Cæterum utrum conditio in comminatione subintelligi debeat nec ne, iudicare haud possumus, nisi postquam rerum successum animaduer-

Vnde intelligatur conditionem subesse.

terimus

terimus Si nàmque pœnas in comminatione denunciatas infligi tandem contigerit, certum est comminationem nullo modo fuisse conditionalem: Si autem pœnæ non irrogantur, perspicuum fit, conditionem de pœnitentia fuisse subintellectam.

Regula. Posita Comminatione Dei, ponuntur & effecta comminationi respondentia.

VATICINIVM, SIVE PRAEDICATIO PROPHETICA.

Quid sit uaticinium.



VATICInium est quod mandato Dei, & affectu Spiritus Sancti Propheta aliquis euenturum significat. Innumera uaticinia de Christo, de Ecclesia, de statu piorum & impiorum, deque omnibus ad religionem nostram pertinentibus extant in utriusque testamenti libris. Diligentißimè autem Apostoli & Euangelistæ cum describunt aliqua perfecta, uel adhuc perficienda, aut cum ueritatem rei cuiuspiam nituntur adstruere, probationes adhibent à certitudine uaticinij, siue necessaria impletione propheticæ prædictionis sumptas. Matthæus in genere Didascalico, ut euincat Iesum esse ue-

Exēpla de Christi natiuitate.

rum

rum Meßiam siue Christum, quē Patriarchæ prædicarunt, & prophetæ uenturum ad liberandum genus humanum prædixerunt, crebrò finitis narrationibus de Christo subnectit prophetæ alicuius uaticinum. Itaque capite 1. postquam exposuisset quomodo Maria grauida fuisset deprehensa à Spiritu Sancto, sine uiri opera, & angelum significasse Iosepho, quòd paritura esset Iesum populi seruatorem, addit, Totum hoc factum est, ut perficeretur quod dictum fuerat à Domino per prophetam (Esaiam cap. 7.) ita loquentem: Ecce uirgo erit prægnans, & pariet filium, & uocabunt nomen eius Emanuel, quod, si quis interpretetur, sonat: Nobiscum Deus.

Cap. 2. recitat Iesum natum in Bethlehem ciuitate Iudæ. Quò autem doceat, hanc quoque circumstantiam non obscurè testari quod Iesus sit uerus Meßias, refert ex ipsorum pontificum & Scribarum confeßione prædictum id fuisse à Michæa propheta, capite quinto hisce uerbis, Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es inter principes Iuda, ex te enim proditurus est dux, qui gubernaturus est populum meum Israel. De loco natiuitatis.

Apostolus ad Romanos capite decimo, In genere Didascalico asserit, tametsi Iudæi reiecti sint, Gentiles uerò uocati, futurum tamen, ut semper aliqui ex Iudæis seruentur, ac fidem ut faciat, uaticinium profert ea de re ex Isaiæ capite 59. Adueniet ex Zion ille, qui liberat, & auertet impietates à Iacob. De Iudæorum restitutione.

Huiusmodi

Nituntur his probationibus dogmata fidei.

Huiusmodi autem probationibus ductis à certitudine, & necessaria impletione uaticiniorum, nituntur præcipua religionis nostræ capita: quandoquidem eo nomine cogimur doctrinæ Euangelicæ assentiri, & summo eam habere in precio, quod luce meridiana clarius uideamus, illam à prophetis diu ante monstratam, & legis ac Prophetarum oraculis omni ex parte muniri. Pondus uerò inest probationibus hisce maximum. Primô quòd à Deo ipso cuncta sacræ scripturæ uaticinia sunt profecta, quamobrem non magis licet ea repudiare, uel quasi dubia contemnere, quàm Deum licet arguere mendacij. Ad Ephese. 2. 3. Hebr. 1. 2. Petr. 1. Actorum capite 3. & 10. & cætera. Secundo, quòd quæcunq; Deus per prophetas dignatus est significare, perfici tandem cúm illi placet, debeant. Hinc illæ formulæ crebrò in nouo Testamento repetitæ: Hoc factum est ut impleretur quod dictum est per prophetã. Et Christus Matt 26. Luc. 24. Impleri oportet scriptu: et sic oportet fieri quæ prædicta sũt.

Vnde hæ probationes pondus habeant.

Quanquam usu uenit nonnunquam, ut non eueniant omnia exactè, præsertim mala, quæ a pio, seu propheta aliquo prædicta sunt, quid, ut proximè diximus de comminationibus, aliquando conditio aliqua in prædictionibus intelligatur. Quemadmodum Ionas ipse cap. 4. ea de re conqueritur. Verum de explorandis uaticinijs dijudicandisq; num à Deo & Spiritu bono sint, an secus, breuiter Deutero. cap. 33. Matth. 7. & alibi

Ratio dijudicandi uaticinia.

præceptum

præceptum est, neq; est præsentis instituti pluribus agere.

Ducuntur argumenta à uaticinio ad effectum, siue euentū pariter Affirmatiuè & Negatiuè, & quidem in omnibus concionum generibus Lex & prophetæ omnes testimonium ferunt, per Christum siue Meßiam hæc & illa debere perfici: Igitur hic Iesus, in quo, siue à quo perfici hæc & illa uidemus, est uerus Christus, siue Meßias. Lex & prophete non prænunciarunt aliquid singulare de Montano & Mahumete. Igitur Montanus & Mahumetes non sunt eximij prophetæ siue doctores, quales haberi ambiunt, sed impostores. Ratio argumentandi.

Posito uaticinio siue oraculo ueri prophetæ, ponuntur & euenta. Regula.

TYPUS SIVE FIGURA.

Sicut sancti prophetæ Permulta de rebus tempore Euangelij per Christum manifestandi, euenturis pronunciarunt apertis uerbis siue sermonibus, ita non pauca sunt à diuersis hominibus olim facta, uariæ insuper à Deo institutæ sunt ceremoniæ, quæ adumbrarunt aliquid per Christum, uel etiam per alios, & in alijs perficiendum in Testamento nouo. Quando igitur probationes sic instituuntur, ut dicatur meritò aliquid hoc tempore accidere, uel debere fieri, quandoquidem olim facta ea præcesserunt, quæ præsens negocium quodammodo portenderunt. magna Descriptio Typi.

istud

Istud fit cum gratia, ac dici non potest, quantop re illustrentur conciones seu disputationes istiusmo di argumentis.

Ioannis 3. Christus in genere Didascalico asserit se esse uerum Deum, Dei filium, mortem nihilominus debere pro generis humani salute per ferre. Comprobat id allato typo ex Numerorum 21. dicens: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Exempla typorum Christi.

Ioannes cap. 19. refert Christi crura, cum iam mortuum eum cernerent milites, non fuisse confracta. Interpretatur autem Euangelista id diuinitus iam olim fuisse præuisum, siquidem typus mortis Christi in mactatione agni paschalis fuerat propositus, & cautum in Lege Exodi 12. ne eius agni os ullum comminueretur. Ait igitur Euangelista, Facta sunt hæc ut scriptura impleretur, quæ dicit, os non comminuetis ex eo. Rursus Matt. 12. per typum aperit mortis ac resurrectionis suæ futuræ negotium, Quemadmodum, inquit, Ionas fuit in uentre Ceti tribus diebus ac noctibus. Occur runt in ueteri Testamento innumera, in quibus typi actionum Christi præluxerunt, eaque hunc in modum de Christo rectè explicantur.

Typi rerum nostrarum.

Sed excerpamus etiam typos de rebus alijs ad nos, & ad nostram salutem pertinentibus. 1. Pet. 3. in genere institutiuo, quod salutem conse

quamur

quamur per Baptiſmum inſiti Eccleſiæ, probatur uetuſto typo de illis qui ſeruati ſunt per diluuium, concluſi in arca Noe. Cum ſemel expectabatur, inquit, Dei lenitas, in diebus Noe, cum apparabatur arca, in qua paucæ, hoc eſt, 8. animæ ſeruatæ fuerunt per Aquam, cuius figuræ nunc reſpondens Baptiſmus nos quoque ſaluos reddit. 1. Cor. 10. In genere Inſtitutiuo ſeu correctorio docet Apoſtolus nihil prodeſſe nobis, quòd inſiti ſimus Eccleſiæ, & externè utamur ſacramentis à Chriſto inſtitutis, dum non deſinimus nouis uitijs quotidiè nos ipſos contaminare. Id autem uerum eſſe, euincit huiuſmodi typò. Patres noſtri, inquit, omnes in Moyſen baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem comedebant, & omnes eundem potum bibebant: Bibebant enim de ſpirituali, quæ illos comitabatur, petra: petra uerò fuit Chriſtus, ſed plures illorum non approbauit Deus &c. Ad Gal. 4. In genere Didaſcalico oſtendit Apoſt. per duos filios Abrahami notari τυπικῶς duo teſtamenta, Legem, inquam, & Euangelium. Cæterum cùm Dei mandato alterum filium cum matre ancilla oportuerit eijci, ſignificatum ea re, quòd lex quoq; fuerit abroganda. Locus eſt manifeſtus, atq; in uerbis Apoſtoli nomine Allegoriæ intelligi debere typum, & non ab Allegoria, ſed ſimpliciter à typo trahi probationem D. Chryſoſtom. admonuit. Typi cum rebus aptè componantur.

Quid multa? In omni genere concionum ueruſtè huiuſmodi probationes adhibentur; ſi tamen

duæ res nobis curæ sint. Altera, ut facta cum factis, res cum rebus prudenter cōponantur, quò cuiuis promptum deprehendere, typum cum ueritate pulchre consentire. Etsi uerò eius artificij exempla elegantia paßim in scripturis habeantur, nusquam tamen absolutior forma proponitur, quam in epistola ad Hebræos. 7. 8. 9. ca. ubi prolixè de pontificatu & sacrificio Iesu Christi agitur. Altera est, ut in confirmatione dogmatum inter argumenta ijs demus locum posteriorem, quòd nimirum expediat dogmata semper prius muniri certis, ac perspicuis sententijs. Verosimile est hoc consilio Apostolum ad Gal. 4. typum de duobus filijs Abrahami post reliquas probationes collocasse. Non habent autem minus uirium argumenta à typis, qua illa à uaticinijs: Neq; enim discernuntur, nisi quòd uaticinia in uerbis & sermone: typi in factis, siue actionibus consistant. Et quanta prouidentia præordinatæ sunt à Deo Prophetarum prædictiones, tanta etiam instituti sunt typi. Quamobrem pari modo impleri utraq; necesse est. Vnde ut de uaticinijs, ita etiam de typis Euangelista disertè ait Ioan. 19. Facta sunt hæc, ut scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo.

Quam uim habeant argumenta à typis.

Ac possunt appellari argumenta non modo à typo, siue figura ad ueritatem, sicut 1. ad Corint. 10. dicitur, quod Priscorum patrum facta fuerint typi: Item quod eadem fuerint τύποι ἡμῶν, id est figuræ

Quo nomine hæc argumenta appellari poßint.

figuræ de rebus nostris: uerum etiam ab umbra ad corpus, siue ab Exemplari ad imaginem. Quandoquidem ad Hebr. 8. ac 10. legimus fuisse in lege Mosaica, quæ seruirent exemplari, & umbræ cœlestium. Item legem obtinuisse umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Fortè etiam non ineptè dixeris ab historia ad mysterium. Etenim ad Ephes. 5. Apostolus affirmat primam coniunctionem fœminæ & maris diuinitus institutam, Genesis capite secundo, mysterium adumbrasse arctißimæ copulationis Christi cum Ecclesia.

Ducuntur proinde hinc argumenta affirmatiuè perinde ac negatiuè, Moses exaltauit serpentem æneum, quem, qui intuebantur, manebant incolumes. Igitur & Christum oportet exaltari in crucem, ut quicunque fidem in ipsum defixerint, adipiscantur salutẽ. Et os non debuit confringi agno paschali. ergo neque Christo cõfringẽtur crura. Ratio arg.

Posito typo ponitur & ueritas ei respondens. Regula.

ALLEGORIA.

ALLegoria est sententia uel oratio, qua res aliæ notantur quam uerba ipsa simpliciter significant. Sicut in typo certa aliqua actio consideratur, quæ tamen aliam adhuc, sed tamen similem portendit, ita in Allegoria uerba rem certam significant, sed præterea intelligitur alia quoque Quid sit allegoria.

Exempla. res, non admodum dissimilis. Lucæ 10. Christus ad discipulos, quos emittit ad docendum Euangelium, Nolite, inquit, portare sacculum, neque peram, neq; calciamenta, & neminem per uiam salutaueritis. Alium sanè sensum accipere debemus, quàm uerba ipsa sonant. Nam soles siue calceis usos, non est dubium, cùm Act. 12. Angelus Petrum iubeat soleas subligare, & Paulus 1. Corin. 16. quibusdam cum ipso profecturis committi uult beneficentiam Corinthiorum perferendam Hierosolymam. Itaq; seruator noster nihil aliud uult, quàm discipulos expeditos & alacres, remotis omnibus impedimentis obire munus Euanlicum. Simili Allegoria Heliseus 2. reg. 4. Giezi ut celeriter excurrat: Accinge, inquit, lumbos tuos, & uade, & si inueneris uirum, non salutabis eum, neque, si quisquam te salutauerit, respondeas ei: Ad quæ uerba probabile est Christum respexisse.

Præcepta allegorica. Est igitur frequens huiusmodi Allegoriarum usus in scripturis, maximè cum & moueant & delectent. Quinetiam præcepta nonnulla inueniuntur in utroq; Testamento allegorijs consignata, ut Leuit, 29. Deuter. 22.25. Luc. 10. Ex quo fit, ut in omni concionum genere argumenta ab allegorijs ad rem significatam commodè ducantur. Ad Gal. 4.

Allegoriæ ad docendum. In genere Didascalico Apostolus docens Ecclesiam, cum exhausta, & abiecta cernitur, quasi actum de ea foret, tum mirabiliter cres-

cere, & auctiorem fieri, comprobat id uaticinio, at tamen per Allegoriam reddito ex Iſaiæ 45. cap. Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi liberi deſertæ magis, quam eius quæ habet uirum. Plura ſequuntur apud prophetam de incremento Eccleſiæ per Allegoriam itidem dicta.

Allegoriæ ad inſtituendum.

Leuit. 2. præcipit Deus omnem uictimam ſale condiri, ſubindicans integram, puram incorruptamque eſſe debere: Atqui Chriſtus Marc. 9. In genere Inſtitutiuo raciocinatur opus eſſe, ut homines quoq; ſale condiantur, id eſt, puri, integri, incorruptique reddantur. igne præſertim afflictionum, & moleſtiarum. Omnis homo, inquit, igne ſalietur, & omnis uictima ſale ſalietur. Hominem qui ſe Deo addicit, totumq; conſecrat eleganter confert cum uictima. Apoſtolus in eodem genere, & ad eandem reſpiciens Allegoriam, ad Coloſ. 4. hortatur, ut ſermones noſtros ſale condiamus. Idem in genere Inſtitutiuo 1. Cor. 9. 1. ad Tim. 5. definit æquiſsimum eſſe, ut miniſtris in eccleſia laborantibus ad uſus uitæ ſuppeditentur neceſſaria. Comprobat id lege quadam Allegorica Deuter. 25. Non obligabis os boui trituranti.

Allegoriæ ad exhortandum.

Rurſus 2. Corinth. 8. in exhortatione de Eleemoſyna liberaliter conferenda, ſuadens habendam aliquam rationem æquabilitatis, accommodat illud de manna dictum Exodi 16. Qui mul-

tum habebat, ei hinc nihil insuper: Et qui paululum habebat, is nihilominus habuit. Quanquam dixerit aliquis, Typum hic potius cerni quàm Allegoriam. Videndum inprimis est, ut Allegoriæ decenter rebus applicentur, parcius etiam in Didascalico, quàm reliquis concionum generibus adhibebuntur.

Ratio argumentandi. Argumentationes fiunt in utramq; partem, Affirmatiuè, omnis uictima sale salietur: Igitur & homo Domino addictus sale salietur: Negatiuè, Non obligabis os boui trituranti: Ergo non est ministris uerbi denegandus uictus.

Regula. Posita Allegoria ponitur & res significata.

SACRUM SIGNUM, SIVE Mysterium.

Signum quid sit. SSIgnum intelligimus actionem externam & corpoream, siue ceremoniam diuinitus institutam, quæ rem quandam internam & Spiritualem denotat. A Theologis aliás appellatur Sacramentũ, Græci dicunt μυστήριον. Atq; istiusmodi signa semper aliqua in Ecclesia extare uoluit Deus, quibus & Dei bona uoluntas erga homines testata fieret, ut uicißim homines fidem suam erga Deum, aliaque pietatis officia declararẽt. Proinde ab huiusmodi signis ad res denotatas probationes aliquando sumuntur.

Exempla. Ad Rom. 2. in genere Didascalico, nisi quis malit (quoniam redarguit Apostolus Iudæos frustra

ob circumcisionem, & legem receptam gloriantes, qui pro libidine, nulla signorum, uel præceptorum moti reuerentia, mandata Dei transgrediebantur) referre ad genus Redargutiuum, adstruit Iudæos ratione signi circumcisionis, quo insigniti fuerant, debuisse prauos domare adfectus, repugnare concupiscentijs, & modis omnibus inculpatè uiuere. Non is, inquit, qui in manifesto Iudæus sit, Iudæus est, nec ea quæ in manifesto sit carnis cir circumcisio, circumcisio est, sed qui in oculto Iudæus fuerit, is Iudæus est, & circumcisio cordis, circumcisio est, quæ Spiritu constat, non litera. Cæterum signo circumcisionis factæ in carne, notari circumcisionem cordis, prauorum adfectuum repreßionem, uitæ puritatem alijs scripturæ locis manifestum fit. Deuter. 10. 30. Similes argumentationes de circumcisione, eiusque usu uidere licet ad Ephese. 2. ad Philip. 3. De baptismi signo, & significatione, ad Roman. capite 6. Circumcisio.

In genere Didascalico: An ignoratis quod, quicunque Baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius Baptizati sumus? Sepulti igitur sumus una cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis, per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Vbi pluribus explicatur, eos, qui Baptizati sunt, esse ad exemplum Christi peccato mortuos, ideoq; deinceps piè ac iustè uiuendum. De sacra cœna & contineri ea, præter cætera, eti- Baptismus.

Cœna domini. am symbolum mutuæ charitatis, 1. Corinth. 10. unus panis, unum corpus multi sumus, nam omnes ex eodem pane participamus, cuius argumentationis hæc est sententia. Omnes participamus ex uno pane, & efficimur unum corpus, Ergo oportet nos charitatem colere.

Signorum significatio unde petenda. Illud obseruandum, signis à Deo institutis fas non esse alias significationes, attribuere, quàm quæ sacris literis proditæ sunt. Temeraria ingenia quibusuis signis facilè quosuis affingerent interpretationes, id autem ne fiat, Deus per Spiritum Sanctum sacrorum signorum propriam significationem, uerumque usum ipse præscripsit.

Ratio argumentandi. Valet igitur affirmatiua argumentatio à signo sacro ad rem propriè significatam. Titus sacro baptismate tinctus est, ergo debet nouam & sanctam uitam uiuere. Et negatiuè: Titus non est circumcisus, Igitur non est obstrictus ad legis obseruationem Gal. 2. Quanquam in negando non semper remoto signo, pariter remouetur significatio, siue usus, Si enim dicas. Non est particeps factus mensæ Domini, Igitur non consecutus est peccatorum remißionem, consequentia est Inefficax, potest enim fieri, ut in carcere, uel in solitudine, uel in nauigatione, moriens uera pœnitentia ac fide imploret Dei misericordiam, atq; à Deo reuera exaudiatur. Nota est Regula, qua dicitur, Deum non alligare, uel includere potestatem suam sacramentis.

Posito sacro signo pariter res in terna & significata ponitur. Regula.

CONTINGENTIA.

Contingentia alia uocant Coniuncta. Sunt quæ circa rem aliquam contingenter eueniunt, nosque ad pleniorem inducunt eius notitiam, Genes. 40. Ioseph ad præfectum pincernarum & præfectum pistorum, quare facies uestræ hodiè sunt malæ? Ex uultu nimirum colligebat tristes esse, siue aduersi aliquid ipsis accidisse. Distinguuntur contingentia bifariam. Quædam sunt necessaria, atque ita eueniunt alicui rei, ut necessario aliud quiddam inde colligatur, atq; probatio ducatur planè certa. Vocatur propriè τεκμήρια. Quintilianus uertit indicia. Vt milites uiderunt Christum in cruce capite inclinato, non amplius spirantem, nihil in toto corpore palpitans, iudicarunt igitur fuisse mortuum, & noluerunt frangere eius crura. Quædam sunt uerosimilia, ex quibus uidelicet non semper aliquid necessariò colligitur, sed tamen frequenter & plurimum, ita, ut creditur, sese habent. Græcis σημεῖα, id est, signa dicuntur. Gen. 39. Ioseph fugiens reliquit uestem apud uxorem Potipharis uociferantem, Igitur uoluit hanc per uim stuprare: Sed infirmæ ex his sumuntur probationes. Colliguntur autem huiusmodi contingentia à tempore, loco, ab occasione & oportunitate, à consilijs, dictis factisue, ab Instrumentis atq; id genus circumstantijs. Porro signa à

Contingentia quæ sint.

Contingentium diuisio.

Indicia.

Signa.

Vnde colligantur contingentia.

tempore aut sunt antecedentia rem de qua agitur: aut sunt adiuncta, tunc uidelicet cum res ipsa perficitur: aut sunt consequentia, & post rem peractam obseruata. In summa huic contingentium loco pariter signa, & circumstantiæ omnes includuntur, ut reuera prædiuitem, & omnibus propè rebus atq; negocijs accommodatum poßis agnoscere. Quocirca & ad omnia concionum genera probationes à contingentibus apposité adhibebimus. Apost. Ro. 4. in genere Didascalico à contingente temporis probat Abraham iustificatum fide & absq; operibus. Dicimus, inquit, quod imputata fuerit Abrahæ Fides ad iustitiam. Quomodo ergo imputata est? Cum esset in circumcisione, an cum esset in præputio? Non in circumcisione sed in præputio. Interpretatur autem Apo: si ullo opere debuisset Abraham iustificari, maximè ipsa circumcisione, aut præclaro aliquo opere hanc secuto. Atqui ipsa temporum historia diuersum planè ostendit: Si quidem fidem imptuatam fuisse Abrahamo ad Iustitiam legitur Genes. 15. circũcisionis autem institutio descripta est ca. 17. Quinetiã ex eodẽ contingẽti, siue signo ratiocinatur Apost: ipsos quoq; gentiles & incircumcisos exemplo incircũcisi Abrahami per fidem absq; operibus iustificari posse. Rursus in genere Didascalico à contingente loci, probatur Christum esse superiorem Dauide, præstantiorẽ cunctis Angelis, imò prorsus esse Deum ac Deo patri per omnia æqualem Mat. 22. Heb. 1. ex dicto

Exemplũ à contingente temporis.

Contingẽs loci.

Dauidis

Dauidis Psalm. 110. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Cum ipse Dominus pater Christum appellat Dominum. Præterea ab eodem uult occupari latus dextrum, siue locum digniorem (tracta est locutio ab hominum cõsuetudine) certũ indiciũ est Christum & esse Deũ, & esse patri per omnia parem. Eodem pacto procedit & illa probatio ad Heb. 1. ex Psal. 97. adorent eum omnes angeli eius: Nulli quenquam adorant nisi quem fatentur superiorem, adeoq; diuinæ naturæ participem. Vbi autem 70. ponunt angeli, ibi in Hebræo est uox אלהים, id est, Dij. Rursus eundem esse inuictum, fortißiumumq; regem & debellatas per eum potentias spirituales, Diabolum, inquam, peccatum, mortem, atque omnibus esse resurrectionis & uitæ æternæ authorem, ideoq; agnosci debere uerum Deum demonstratur 1. Cor. 15. ex uersu Psal. 110: secundo, Donec ponam inimicos tuos, &c. Quemadmodum per Adam omnes moriuntur, inquit, ita & per Christum omnes uiuificabuntur, unusquisque autem in proprio ordine: Primitiæ Christus, Deinde ij, qui sunt Christi, in aduentu ipsius: mox finis cum regnum tradiderit Deo & patri, cum aboleuerit omnem principatum, & omnem potestatem ac Virtutem. Nam oportet eum regnare donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos, nouißimus hostis aboletur mors, nam omnia subiecit sub pedes illius. Animaduertis Apostolum uti egregi-

Exemplũ in quo plura signa.



egregia hypotyposi, in qua admirabilis & planè diuinæ uictoriæ contingentia, hoc est, circumstantiæ atque signa artificiose sunt digesta.

Exemplũ temporis & status.

Quòd non temerè permittendum sit inter coniugatos diuortium ostendit Christus à contingente, de tempore atque statu quo matrimonium fuit primum institutum. Matth. 19. Interrogabant pharisæi Christum: Licètne homini diuortium facere cum uxore sua qualibet ex causa? Respondens Christus ait: an non legistis, quòd is, qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos? & dixit: propterea deseret homo patrem & matrem, & conglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam, Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus copulauit homo ne separet Ex Genes. 1. & 2. Eandem rationem usurpat Apostolus ad Ephese. 5. dum affirmat quanto amore mutuo sese prosequi coniuges debeant. Est autem prouidendum ut generi Didascalico semper, quoad fieri potest, aptentur contingentia necessaria, in cæteris generibus suffecerint uerosimilia.

Exemplũ generis institutiui.

Subijciamus nunc exempla aliqua in genere institutiuo. Mulierem debere in sacro cœtu comparere capite uelato, & fateri se uiro inferiorem, Euincit Apostolus 1. Corinth. 11. partim ex materia, partim ex contingente temporis, Genes. 2. Non est uir ex muliere, inquit, sed mulier ex uiro. Attexit insuper de causa finali: Neque conditus est uir propter mulierem, sed mulier propter uirum.

rum. Quæ ratio ex contingente temporis deriuatur. Item mulieri non permittendum ut doceat, uel ullam omninò autoritatem sibi uendicet in uiros, ita probat ex contingente temporis. 1. Timoth. 2. Adam prior formatus est, deinde Eua. Confirmat idem mox alijs contingentibus tum modi tum temporis notati in parentum primorum lapsu. Adam, inquit, non fuit deceptus, sed mulier seducta obnoxia facta est transgreßionis.

Item 1. Timot. 6. Suadere uolens ne inhiemus opibus, aut ad quæstum simus intenti, utitur contingente, petito à statu primæ nostræ conditionis. Nihil intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam possumus. Alludit Apostolus ad uerba Hiobi cap. 1. Nudus egressus sum de uterò matris meæ, & nudus reuertar illuc. Atqui non est necessarium hoc modo progrediamur, exempla adferentes pro singulis concionum generibus, cum paßim occurrant, & quiuis nullo negocio signorum ac circumstantiarum contingentia notare queat.

Quod ad contingentia Temporis, Antecedentia, Adiuncta, & consequentia, inquam, attinet, subinde horum aliqua in rebus atque negocijs, aliquoties uero etiam omnia simul, & quidem in uno eodemque negocio in literis sacris perstringuntur. Exempli gratia. Quæstio est de futura omnium mortuorum resurrectione. Argumenta ad hanc adstruendam à contingentibus antecedẽtibus

Exemplũ antecedentium.

hunc in modum proferri possunt. Hiobus cap. 19. Ezechi: ca. 37. Daniel 11. & alij plures Prophetæ sancti olim uaticinati sunt futurum, ut mortui resurgant, ergo mortuorum resurrectionem sine dubitatione expectabimus. Item 1. Cor. 15.

Aliud. Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicuut quidam inter uos, non esse resurrectionem mortuorum. Porrò si resurrectio mortuorũ non est, ne Christus quidem resurrexit.

Exemplũ antecedentium & consequentium atq; adiunctorum.

Eodem modo colliguntur de re quapiam adiuncta, & consequentia, sed unum adhuc exemplum adijciemus, in quo simul omnia spectari possunt. Iudam fuisse impium, atq; ut Christus uno uerbo ait, Ioan. 6. Diabolum, tum ex antecedentibus, tum ex adiunctis negocio proditionis, tum ex sequentibus Euangelistæ demonstrant. Antecedentia sunt, Inuidit Christo honorem delatum à Maria, quæ unguento precioso unxerat Christi pedes. Hypocrita erat, fingens sibi curæ esse pauperes, denique erat auarus, habens marsupium, & fur, hoc est, malæ administrationis reus, Ioan. 12. Talem igitur hominem Diabolus facilè potuit ad horrendum proditionis scelus impellere. Christus insuper aliquoties apertè significarat Apostolis, unum ex ipsis fore proditorem: neq; impius unquam est his permotus. Matt. 20. Luc. 22. Ioan. 6. 13. Porrò ultrò adit pontifices, ac de precio proditionis paciscitur Matth. 26. Luc. 22. Ad hæc capta consilia quomodo

Antecedentia.

modo opportunè & sine turbis destinatum facinus perpetret, Luc. 22. Post hæc omnia interest extremæ cœnæ, quo omnem de se suspitionem amoliatur. Christus iterum uerba facit de quodam, qui ipsum sit proditurus, & signo addito de porrecta bucella intincta, certiores omnes facit. Quin etiam iterum admonet Iudam, ut quod semel constituerat, ocius perficeret. Verum ad hæc omnia obturato perstat ille animo, ceu nullius mali sibi conscius. Ioan. 13. Hæc omnia pro antecedentibus numerari possunt. Iam in ipso negocio adiuncta qualia referuntur? Relinquit Iudas cœnam, et egreditur, cohortes armatas petiturus. Iohan. 13. His acceptis noctu hortum adit, ad quem sciebat Iesum precandi causa uenire solitum, Ioan. 18. capite. Militibus signum dat, ne errent in persona. Quē osculatus fuero ipse est: Matthæi 26. Christus autem sponte occurrit, interrogat quem armati petant, osculum non recusat, placidè & blandè alloquitur, Amice, inquit, ad quid ades? Atqui nihil horum ferit proditoris conscientiam, quo minus destinatum scelus exequatur. Matt. 26. Ioan. 18. Nunc ad consequentia, Tandē pœnitet Iudam, palàm in templo reddit pecuniam, peccatum suum confitetur, de Christi innocentia testimonium ipse dicit: uehementissimè perturbatus abit foras, laqueo se suspendit, crepuit medius: effusa sunt omnia eius uiscera Matt. 27. Act. 1. Exitus uidelicet proditore dignus. Quod si iam singula membra seorsim

Adiuncta.

Consequentia.

ſim excutiantur, perſpicuum fit, Iudam mala mente, maloque animo, hoc eſt, Diabolum & filium perditum fuiſſe.

Habebam in animo hac ratione digerere contingentia tam antecedentia, quam conſequentia, & adiuncta quibus diſcernuntur pſeudoprophetæ, ſiue falſi doctores, à ueris, ſed ne iuſto ſim longior omitto.

Ratio argumentandi. Cæterum opus eſt prudentia atq; iudicio, ei, qui in contingentibus argumentari aptè uelit. Ex neceſſarijs contingentibus argumenta ſumuntur in utramq; partem efficacia ac neceſſaria. Ex contingentibus autem ueroſimilibus infirma, & tamen ueroſimilia, quæque adverſarius callidus citò euertere, uel potius aliter & pro ſe interpretando inuertere queat.

Regula. Cui non ineſt contingens, neque id inerit quod ex illo conſequitur.

PRONVNCIATA.

Quid ſint pronunciata. PRonunciata ſunt quæ ab aliquo uel aliquibus iudicio & autoritate præditis grauiter ſunt dicta, & ad adſtruendum uel deſtruendum aliquid adhiberi poſſunt. Vnde alias uocant locum à Teſtimonijs ſiue ab autoritate.

Pronunciatorum diuiſio. Sunt autem duplicia pronunciata: Diuina quæ ab ipſo Deo, uel hominibus Spiritu Dei afflatis ſunt edita, cuiuſmodi ſunt, prophetarum & Apoſtolorum ſcripta uniuerſa. Item rectè conſti-

Diuina.

tuta

tuta in concilijs, scitè & piè dicta Episcoporum: Et humana, quæ à legum latoribus, Philosophis, Poetis, sapientibus ac doctis hominibus aliquando dicta sunt. Atque huc pertinent omnes sententiæ, chriæ, apophthegmata, prouerbia, tum quæ in unaquaq; disciplina communium principiorum, uel Regularum generalium locum obtinent. Proinde utrunque genus pronunciatorum à Theologis usurpari commodè & in loco potest, & quidem in omni concionum genere.

Humana.

In genere Didascalico Act. 10. Gal. 2. Rö. 2. 10. probatur, Deũ omnibus hominibus, tam gentilibus, quàm Iudæis, modò credant in Christum, salutẽ ex æquo impendere: ab hac sententia generali in Theologia, quæ extat Deut. 10. Apud Deum non est acceptio personarum. Est & hæc sententia generalis in Theologia Ioel. 2. Et omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Quæ repetitur ad Roman. cap. 10. Actor: ca. 2. ad confirmandum quòd sine discrimine omnibus salus offeratur.

Exemplum in genere Didascalico.

In genere Elenchico, Christus Ioan. 7. redarguit iniqua iudicia Pharisæorum, qui ipsum accusabant uelut legis transgressorem, quod hominem curasset die sabbati, Adducit autem communem sententiam ex Deut. 1. Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate.

In genere Elenchico.

In genere institutiuo non debere nos inuicem contemnere, uel quouis modo iniuriam facere, adfirmatur ad Ephes. 6. Coloss. 3. Iacob 2. generali

In genere Institutiuo.

illa ſententia ex Deut: 10. Apud Deum non eſt ac-
ceptio perſonarum.

In genere Correcto-rio. In genere correctorio Chriſtus Matt. 26. deterrens Petrum, ne quem gladio impetat, ſententiam generalem, ſiue legem uſurpat ex Geneſ. 9. Qui effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis eius effundetur. Et ex locutione prouerbiali, ſumpta ex Prouerbiorum 26. Petrus 2. epi. cap. 2. oſtendit non licere poſt agnitam ueritatem, abnegatumq; in Baptiſmo mundum, redire ad priſtina peccata. Illis, inquit, accidit, quod prouerbio dici ſolet, Canis reuerſus ad ſuum ipſius uomitum, & ſus lota reuerſa ad uolutabrum. Breuiter autem omnis probatio ex ſcripturis ducta pronunciati dignitatem ac uim obtinet, ut non liceat reijcere, quod ſcripturæ autoritate perſpicuè aſſeueratur.

De humanis pronunciatis. Cæterum pronunciata humana ea adhibentur ratione, qua aliás demonſtrauimus, quæ peregrina, & à Theologia aliena ſunt, rebus ſacris ſolere permiſceri. 1. Cor. 15. in diſputatione generis Didaſcalici uetat Apoſtolus audiri Epicureos, qui uoluptatibus hic perinde indulgent, atque ſi uita melior nulla ſupereſſet, probat id pronunciato comici græci Menandri.

φθείρουσιν ἤθι χρισὰ ὁμιλίαι κακά.

In genere inſtitutiuo ad Titum. 1. Credentes eo eſſe ingenio ut acrius obiurgari debeant, oſtendit Apoſt olus pronunciato Epimenidis Cretenſis.
κρῆτες ἀεὶ ψευσαὶ, κακὰ θηρία, γαςέρες ἀργαί.

Porro

Porro ducuntur argumentationes à pronunciatis sacris in Theologia pariter affirmatiuè & negatiuè. Argumẽtationis affirmatiuæ exẽpla sunt quæ huc usque recitauimus, negatiuæ autem illustre exẽplum est, Heb. 7. ubi euincere uolens autor eius Epist. Christum uerè esse sacerdotem æternum, secundum ordinem Melchizedec, ostendit Melchizedech gessisse Christi typum, utpote in quo permulta sint animaduersa ob quæ cum Christo conferri aptè queat. Inprimis uerò quod Melchizedec quemadmodum & Christus fuerit ἀπάτωρ ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, id est, sine patre, sine matre, sine genere. Itẽ neque initiũ dierũ, neq; uitæ finem habens. Quid autem hisce uerbis sibi uult, nisi quod sic ratiocinatur, Scriptura non exprimit quando natus sit Melchizedec, quem habuerit patrem, quamue matrem, ex quo prodierit genere, quando itẽ mortuus fuerit: igitur Melchizedec, nec initium habet uitæ, & neque patrem, neque matrem, neque ullum omnino genus. Sed dubium non est, quin Melchizedec more omnium aliorum hominum, fuerit de uiro & muliere natus ex certa familia, tandem morte uitam finierit. Sed quoniam in scripturis Canonicis nihil est huiusmodi perspicuè proditum, sed tantum pauca de Melchizedec referũtur, ideò nos illa omnia ignoramus, ut rectè Chrysostomus, in epistola ad Hebre. hom. 7. multique alij in suis ad eam epistolam Commentarijs: Interpretatur autẽ scriptor eius epistolæ Ratio arg:

diuina ordinatione & ſingulari conſilio, Melchizedeci genus, parentes, natiuitatem, mortem tecta eſſe ſilentio, quòd uidelicet omnibus partibus filio Dei Chriſto aßimimilaretur, nomine, inquam, officio, ſeu functione & cæteris: cum alias mos ſit ſcripturæ, illuſtrium hominum, eorum præſertim qui Chriſti typum gererent natiuitatem, familiam, maiores, uitam, mortem, accuratè recenſere.

Ergo ſit conſtitutum, ſi quando proponitur aliquid ut dogma, uel ut aliás ad ſalutem ſiue ad Eccleſiam ordinandam neceſſarium, id autem in ſcriptura ſacra neq; ad uerbum neq; ad ſententiam uſquam perſpicuè aſſeritur, reijci iure poſſe. Conſulto autem addo de ſententia, ſunt namque aliqua, quæ licet uerbis non ſunt expreſſa, recipientur tamen, quòd ſententia atque ſignificatio eorum inueniatur non obſcurè reddita. Sic uerbum ὁμοούσιος apud Euangeliſtas non extat, obtinere tamen locum apud pios debet, quòd ſenſus & ſignificatio eiuſdem uocis à Chriſto notatur, ubi Ioannis 10. ait Ego & pater unum ſumus. Ad eundem modum de multis alijs iudicium feretur.

Regulæ. Quod uerbo Dei apertè adſtruitur reijcere nefas eſt.

Quod omnibus, uel pluribus & ſapientibus probatur, ei minimè decet refragari.

Vnicuiq; in ſua arte perito credendum eſt.

SIMILIA.

Similia sunt quæ aliunde petita cum ea re conferuntur, de qua potißimum agitur & inter se magna ex parte ostenduntur conuenire. Vt Prouerb. 11. Sicut porcum non ornat monile appensum naribus, uel si aureum sit, ita forma non prodest mulieri, si destituta recto iudicio illa abutatur. Et conferuntur res diuersißimæ, animatæ uidelicet cum inanimatis, ratione præditæ, cum ratione carentibus, expertibus, Corporeæ cum incorporeis, atq; ita deinceps. Quid sit simile.

Sunt autem duæ similium species, Exemplum, & parabola. Exemplum est quando res quæpiam uera siue gesta exponitur, atque præsenti instituto accommodatur: Parabola, cum adducitur res ficta uero tamen similis. Scriptura abundat huiusmodi argumentationibus, & ad docendum populum dici non potest, quantum habeant gratiæ, & adhibentur omnibus concionum generibus. Ad Roman. 9. In genere didascalico probat Apostolus non posse accusari Deum iniustitiæ, quod hominem aliquem reprobet, sumpta similitudine de figulo, qua prius usus est Isaias 45. Sic autem Apostolus: Atqui ô homo, Tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo: Num dicet figmentum ei qui finxit, cur me fecisti ad hunc modum? An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in ignominiam.

Similium duæ species.

Similium usus.

In genere Didascalico.

Figuli similitudo.

Rursus cap. 11. docens Iudæos reijci, genti-

Oleæ & oleastri. les uerò acciri, ut ex ipsis constituatur Ecclesia, similitudinem adfert de ramis defractis ex olea, & surculis oleastri eidem oleæ in locum ramorum defractorum insitis.

1. Corinthios 3. in prima parte de sarcienda Ecclesiæ concordia, quæ est generis institutiui, Ecclesia peraptè cum agro benè culto, item cũ magno ædificio: Apostoli uerò siue doctores Ecclesiæ cum agricolis & Architectis conferuntur. Quid est Paulus? inquit. Quis Apollo? nisi ministri per quos credidistis, ut cuique dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus uerò dedit incrementum. Itaq; neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Etenim Dei sumus cooperarij, Dei agricolatio, Dei ædificatio estis. Vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem super illud ædificat.

Ministri similes agricolis & architectis.

Argumenta ab exemplo hoc modo ducuntur, in genere Didascalico ad Hebr. 5. Quod Christus sit legitimè uocatus ad munus pontificium, probat exẽplo proposito de modo, quo uocatus est Aaron, Nemo sibijpsi usurpat honorem, sed qui uocatur etiam à Deo, quemadmodum & Aaron, ita & Christus non semetipsum glorificauit, ut fieret pontifex, sed is qui dixerat illi, Filius meus tu es, ego hodie genui te, sicut & alibi dicit, Tu es sacerdos secundum ordinem Melchizedec in æternum.

De Exemplo.

Aaronis exemplũ.

Saræ exemplum. 1. Pet. 3. in genere Institutiuo: uxores subditæ sitis uestris uiris, quemadmodum Sara Abrahæ,

Dominum

Dominum illum appellans. Contingit porro nonnunquã plura exempla ordine digeri, atque ex omnibus ſimul in concluſione certi aliquid definiri, tale igitur genus argumentationis uocatur παραγωγή, id eſt, inductio. Ad Romanos 4. In genere Didaſcalico, ab uno exemplo Abrahami colligit D. Paulus omnem hominem fide iuſtificari abſq; operibus, Scriptura dicit. Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam. Addit poſtea ſcriptum id eſſe propter nos. Verum ad Hebr. 11. quantus exemplorum aceruus ex uarijs libris ſacris producitur ad idem dogma adſtruendum? Nimirum inductione rem omnem abſoluit. Eandem autem cauſam ibi ſuſcipi, quæ in Epiſtola ad Romanos excutitur, perſpicuum ex eo fit, quod eandem propoſitionem ex uerbis Abacuc cap. 2. uidemus ad Roman. 1. ad Gal. 3. ad Hebr. 10. uſurpari. Matth. 2. in genere Elenchico, Cum Iudæi accuſarent diſcipulos Chriſti tanquam uiolantes ſabbatum, qui fame adacti, ſpicas auulſerant, & manibus trita grana comederant, Chriſtus duobus exemplis, altero de Dauide, qui 1. Samuel 21. neceſſitate premente comedit panes propoſitionis, quibus tamen ueſci minimè ipſi licebat: altero de ſacerdotibus, qui ſabbato mactabant, & adolebant uictimas, utitur ad eos excuſandos: Quibus addi poſſet ex Ioan. 7. quod paſſim circũciſio exerceretur ſabbato, Item ex Matt. 12.

Inductio.

Fide nos iuſtificari.

De ſabbato.

Quòd educi permitterent bouem collapsum in foueam, quibus exemplis omnibus congestis rectè per inductionem concluditur hos, qui esuriunt & ad sedandam famem uellunt spicas sabbato, carere omni culpa.

Patientia in afflictionibus.

2. ad Timoth. 2. in genere institutiuo Apostolus hortatur ministros uerbi, imò credentes uniuersos, ut æquanimiter ferant afflictiones, quo gloria æterna & cœlesti potiantur, Exemplis propositis de milite & athleta, & de agricola, Tu igitur tu feras, inquit, afflictiones ut bonus miles Iesu Christi. Nemo qui militat implicatur uitæ negocijs ut ei qui se in militiam delegit, placeat. Quod si certat etiam aliquis non coronatur nisi legitimè certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.

Parabolæ.

Iam de parabolis. Hæ frequenter à Christo proferuntur ad res maximas & præcipua doctrinæ cœlestis capita explicanda Matth. 13. 21. 24. Mar. 4. Luc. 8. 14. 15. 19. &c. Non multum distat parabola, & Apologus, qualis elegans de arborum comitijs, pro eligendo rege habetur Iudicium 9. cap: huic adnumerari fortè queat locus 1. Cor. 12. de membris humani corporis.

Ratio argumentandi.

Argumentationes ducuntur à simili Affirmatiuè & Negatiuè. Duabus tantum cautionibus opus est: una, ut similia aptè secum inuicem conferantur: altera, ut in genere Didascalico non adhibeantur, nisi quando alijs quoque rationibus id, quod

præcipuum

præcipuum est in negocio, satis munitum, uel per se fuerit manifestum.

De simili idem est iudicium. Regula.

DISSIMILIA.

Dißimilia sunt quæ cum re de qua agitur conferuntur, non tamen cum ea conueniunt, nisi ratione quadam ἀντιθέσεως. Non parum illustrant quando apposité adhibentur. Matt. 10. partim in genere Institutiuo, partim in consolatorio, quandoquidem erudit hortaturq; ad constantiam in confeßione ueritatis & consolatur in periculis. Tyrannus non potest perdere nisi corpus. At Deus potest perdere & corpus & animam, & in gehennam mittere. Ex quo colligitur, Deum esse timendum præ omnibus hominibus. Matt. 6. plura huiusmodi argumenta inuenies referenda tùm ad genus Didascalicum, itemq; Institutiuum, tum ad Redargutiuum & correctorium. Hypocritæ dant Eleemosynas in Conciliabulis & uicis, ut glorificentur ab hominibus, pij uerò impēdunt Eleemosynas in occulto, ut sinistra manus, quid faciat dextra, ignoret, itaq; hi mercedem accipiunt à Deo, illi nequaquam. Non necesse est cætera, quæ ibidem eadem forma sequuntur, enumerare. Matth. 8. & Luc. 9. in genere Didascalico, uulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Notatur Christi incredibilis humiliatio, &, si externa hæc spectentur, abiectißima conditio.

Dißimilia quæ sint.

2. Cor. in genere Didascalico dißimilitudo aperitur inter legem & Euangelium, atq; huius demonstratur excellentia. Item in Epistola ad Hebr. cap. 7. 8. 9. in eodem genere digeruntur probationes, conferentes sacerdotium Christi cum sacerdotio legali: semper autem aliquid adijcitur de dissimilitudine, quæ in utroq; inuenitur, & ob quam sacerdotium Christi deprehenditur multis modis præstare. Vtrobiq; autem plures loci ueteris Testamenti accuratè excutiuntur. Qui probè tenet rationem explicandi similia, is in tractatione dißimilium non admodum laborabit.

Ratio argumentandi.

Atq; ducuntur argumentationes à dißimilibus pariter affirmatiuè & negatiuè, quod non difficile est in uarijs exemplis obseruare. Sæpenumero autem cum argumentum à simili refellere libet, dissimilitudinem opponimus.

Regula.

De dissimilibus diuersum est iudicium.

PROPORTIO.

Quid sit proportio.

PRoportionem uocant qua res ita comparantur ut earum inter se non qualitas aut quantitas, ut in similitudine fit, sed habitudo potißimum spectatur. Occurrunt in scripturis probationes ex proportione eleganter ductæ.

Exemplũ in genere institutiuo.

Ad Ephes. 5. in genere Institutiuo docere uolens Apostolus quanto amore complecti uiri uxores debeāt ita argumētatur. Sicut se habet Christus ad Ecclesiā ita se habet maritus ad uxorē? Sed Christus

plurimum dilexit Ecclesiam, Igitur & mariti officium est, uehementer diligere uxorem. In maiore respicit Apostolus ad id, quod Christus cum sponso, credentium uero societas, siue Ecclesia subinde in ueteri Testamento, nempe Psal. 19. Isa. 61. 62. & in cantico Solomonis, comparatur cum sponsa. Minorem confirmat comparatio maximarum rerum, quas Christus in gratiam Ecclesiæ perfecit. Viri, inquit, diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, &c.

Rursus 1. Cor. 12. in genere correctorio, reprehẽdit namque Corinthios ob simultates, quæ inter eos, quos Deus uarijs donis ad ædificationem Ecclesiæ ornauerat, exortæ erant: conatur autem ad concordiam reuocare: Quemadmodum, inquit, corpus unum est, & membra habet multa, omnia uerò membra corporis unius, multa cum sint, unum sunt corpus, sic & Christus: Etenim per unum spiritum omnes nos in unum corpus baptizati sumus, &c. pluribus, imò subinde nouis probationibus quæ ex primo illo argumento principali fluunt, eandem causam ad finem usq; capitis prosequitur. Summa autem omnium reddi apertius hunc ad modum potest. Quemadmodum sese habent diuersa membra in uno eodemq; corpore humano, ita se habent credentes uarijs ornati donis Spiritus Sancti in Dei Ecclesia, Sed in corpore humano sic singula mẽbra faciunt suũ

In genere Correctorio.

officium

officium, ut concordia constans maneat, atq; alterum alteri minimè officiat. Oportet ergo & credentes pro ratione donorum sibi concessorum singulos alacriter exequi quod decet, neque inuicē facessere negocium. Et Apostolus ueluti delectatus hac argumentationis forma repetit eandem ad Romanos capite duodecimo, Ephes. 4.

Ratio ar. Pondus habet consequentia à proportione tàm affirmatiuè quam negatiuè, Christus Ioan. 10. in genere didascalico, & institutiuo, Boni pastoris est, nosse oues pertinentes ad ouile suum, Igitur & Episcopus, siue Ecclesiæ doctor, noticiam habere debet suorum auditorum. Rursus ouium gregem nemo committit rei pecuariæ ignaro, Ergo ad Ecclesiæ gubernationem non prouehetur rerum spiritualium & diuinarum imperitus Crebrò sanè in scripturis proportio inter pastorem gregis & moderatorē Ecclesiæ explicatur prouerb. 26. Ezech. 24.

Quod in unaquaque re euenit, id in eius proportionabili euenire consentaneum est.

COMPARATA.

Comparata quæ sint. Comparata appellant, ubi duo aliqua ita conferuntur, ut in illis spectetur quoddam tertium, quo conueniunt. 2. Corinth. 3. in genere Didascalico pariter & Elenchico, conferuntur Lex

Exempla. & Euangelium, ac de utroque dicitur, quod sint in gloria, qua quidem parte planè conueniunt. Quod si administratio mortis in literis, deformata

in saxis, fuit in gloria, adeò ut non possent oculos intendere filij Israel in faciem Mosi, propter gloriam uultus eius, quæ aboletur, Cur non potius administratio Spiritus erit in gloria? Apostolus ibi confert inter se, & docet quænam sint & legis & Euangelij propria, & defendit Euangelij autoritatem contra aduersarios. Ad Romanos 11. in genere Didascalico ostendit, non esse de Iudæorum salute prorsus desperandum. Quod si primitiæ sanctæ, sancta est & conspersio, & si radix sancta, sancti sunt & rami. Hoc differunt comparata à similibus & proportione, quod in similibus potissimum expenditur ratio qualitatis, in proportione habitudinis, in comparatione quantitatis.

Discrimen Comparatorum proport. & similium.

Quocirca comparata in paria & imparia diuiduntur. Paria sunt, cum ea conferuntur, in quibus summa est æqualitas, ueluti si dicam. Petri Apostoli magna est autoritas, Igitur & Pauli Apostoli magna est autoritas. Nam de horum æqualitate prolixè ad Gal. 1. Et quando hac ratione instituuntur probationes, illæ dicuntur sumptæ ex pari. Imparia sunt, in quibus non est æqualitas, sed ita potius se habent, ut aut minus conferatur cum aliquo maiore, aut maius cum aliquo minore. Cum uero istud fit, argumentationes à maiore consueuerunt appellari. Decet nos ordine de singulis disserere, quoniam multus est earum usus in saccris literis, & quidem, in quouis genere concionum, nec dici potest quantoperè concionum seu disputationem quamcunq; illustrent.

Comparatorum diuisio.

PARIA.

Ab uno pio ad omnes.


EXtant argumentationes à persona unius pij ad personas omnium piorum. Ad Hebræos 13. in genere Institutiuo & consolatorio. Sint mores alieni ab auaritia, siquidem ipse dixit: Non te desero neque derelinquo, quæ uerba leguntur dicta ad Iehosuam Ieh. 1. A que Apostolus accommodat ad omnes pios, perinde ac si diceret. Deus non deseruit Iehosuam, Igitur neque quemuis alium pium deseret. Ac Deus ipse ibidem, Ieh. 1. inquam, comparat Iehosuam cum Mose, dicens, sicut fui cum Mose, sic ero tecum. Subnectit, porrò ibidem autor Epistolæ ad Hebr. uerba ipsius Dauidis ex Psal. 118. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Proinde quæ Dauid de se, eadem unusquisque pius similiter usurpare potest.

Ab uno ad omnes impios.

Rursus è diuerso à persona unius impij ad personas omnium impiorum. Ad Roma. 9. in genere Didascalico, ex eo quod scriptura Exodi 9. apertè dicit, quod Deus indurauerit Pharaonē, colligit Apostolus etiam reliquos impios à Deo, quādo ei uisū est, ita notam facere suam iustitiam & potentiam, indurari. Cuius uult, inquit, miseretur, quem autem uult indurat. Non difficile est plura exempla de comminationibus, item de periculis, quæ obuenisse impijs leguntur, digerere. Quid? quod inuenire licet argumentationes ductas à persona unius impij, ad personam alterius impij speciatim. Act. 1. hæc

Ab uno impio ad alterum.

uerba Psal. 109. Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum siue functionem eius accipiat alter: à Dauide quidem dicta sunt, ut doctissimis quibusque placet, in Doëg adulatorem Saulis, qui falsis delationibus & calūnijs hunc aduersus Dauidem concitarat: Petrus uerò in genere Institutiuo accommodat speciatim ad Iudam Christi proditorem. Instituit autem comparationem Iudæ, cum Doëg, hoc potissimum nomine, quod utriusq; functionem suscipere alius deberet, qua quidem parte recte contexitur argumentatio in concione, qua suadebat alium eligendum esse Apostolum Iudæ proditoris successorem, aliàs probatio infirma esset. Valet autem istiusmodi probatio & accommodatio ad personam aliquam speciatim, quia palam est Dauidem in plurimis gessisse typum Christi. Quamobrem quæ de hostibus Dauidis alicubi leguntur, eadem etiam de hostibus Christi speciatim possunt explicari. Ac Iudas sanè prorsus talem sese præbuit Christo qualis impius fuerat Doëg Dauidi ex quo fit ut aptissima sit comparatio.


Ab unius pij persona ad Christum.

Maiore cum admiratione, tum obseruatione dignum est., quòd subinde argumenta ducuntur à persona unius pij, ad personam Christi speciatim. Animaduerti autem possunt huiusmodi probationum duo genera. Prius est quando occurrunt in scripturis loci, in quibus cum multa dicuntur de una quapiam persona, sequuntur tamen siue adsperguntur nonnulla quæ de illa propriè ac-

cipi non possunt, sed ut sententiæ constet ueritas, de Christo exponi necessario debent, nec etiam potest fieri, ut de alio quopiam explicentur. Sic ad Heb. 3. Probatur Christum esse naturalem Dei filium, ac proinde uerum Deum, ex illis uerbis 2. Samuel 7. Ego ero illi pater, & ille erit mihi filius. Extra controuersiam autem est Nathan ibi uaticinatus de Solomone, qui Dauidi in regno esset successurus. Cæterum permiscentur statim non pauca, quæ de Solomone haud rectè interpreteris, tale est quod regnum eius dicitur confirmandum in sæculum usq;. Item fore illum Dei filium, & misericordiam Dei nunquam ab illo remouendam, thronum eius firmum fore in sæculum. Hæc namq; de Solomone (qui turpißimè lapsus est, quiq; etiam, dum uiueret, audiuit à Deo regnum suum scindendum, atq; transferendum ad seruum suum 1. Reg. 11) cum accipi non poßint, cogimur de Christo, qui etiam ex Dauidis semine traxit originem, enarrare, & in hunc solum ea omnia uerè quadrant. Itaq; Epistolæ ad Heb. autor Christum cum Solomone comparat, & quæ à Nathan propheta simpliciter dicta uidebantur de Solomone, ea proprijßimè de Christo exponit. Similiter Matth. 12. in genere Didascalico quædam ex Isa. 42. primum dicta de Cyro Rege Persarum, per quem populus Iudaicus erat dimittendus è captiuitate Babylonica, interpretatur propriè dicta de Christo, per quem omnia illa in liberatione totius generis humani exactè sunt perfecta.

Nec

Nec possunt de solo Cyro omnia simpliciter accipi. Etenim uerba illa. Ecce electus meus, in quo complacuit animæ meæ, ipse Deus pater de filio suo Christo clara uoce pronunciauit Matt. 3. & 17. Item quæ interponuntur, de iudicio dicendo gentibus, & quidem in ueritate: de insulis expectantibus & recepturis ipsius legem: & quod proponendus esset in fœdus populi, atq; in lucem gentium, propriè ad solum Christum pertinent. Sic igitur hoc primum probationis genus à persona unius pij, ad personam Christi speciatim.

Alterum genus ex ijs scripturarum locis sumitur in quibus contrario modo omnia appositè & proprie dicuntur de certa persona alicuius pij: neq; incidit aliquid, quod de Christo explicari necessum sit, & tamen oportunè illa de pio homine dicta, ad personam Christi applicari possunt. Non paucæ tales probationes reperiuntur repetitæ ex Psal. Ioan. 15. Quæ Dauid Psal. 25. de sua persona est locutus, dicens, Respice inimicos meos, quando multiplicati sunt, & odio habuerunt me gratis, Ea per Euangelistam accommodantur personæ Christi. Est quidem totus ille Psal. quantus est, de Dauide simpliciter accipiendus, maximè cum petat ibi, peccata adolescentiæ & scelera sibi condonari, cupiat plenius institui, atque in uiam reduci, & hæc ipsa à Christo sunt planè aliena, quædam tamen ad negocium Christi adhiberi rectè possunt, quod Euangelistam fecisse uidemus.

Altera ratio accommodandi Christo quæ propriè de pio aliquo dicta sunt.

Rursus Ioan. 13. simili ratione accommodatur Christo illud Dauidis, ex Psal. 41. Qui edit mecum panem, sustulit aduersum me calcaneum suum, Psalmum illum cecinit, propheta postquam à grauißimo morbo, quò aduersarij sperabant ipsum absumendum, conualuerat, estq; perspicua narratio in eo, ut de rebus Dauidis totum intelligi oporteat, & pleraq; admiscentur testantia non debere eum de Christo accipi, præsertim cum fateatur ibi propheta se propter peccata sua in morbum incidisse,

Videndum ut persona Christi typus fuerit.

Necessarium autem est ut in hisce probationibus, si pondus sunt habituræ, persona à qua transitus sit ad Christum, aliqua in re typum Christi gesserit, qua sane occasione comparatio & argumentatio à pari procedet. Cæterum num persona quæpiam Christum repræsentarit, siue typum Christi gesserit, ex alijs scripturarum locis, operæprecium est, addiscas. In Solomone autem eluxisse Christi Typum liquet ex ipsius Christi uerbis Matth. 12. Vbi se cum Solomone comparat & de regina Saba facit mentionem. Sed Cyrum quod attinet, præterquam quòd Iudæi ipsi, inprimis Chaldaicus interpres uerba Isa. 42, de Cyro dicta disertè de Meßia siue Christo exponũt, & totum illud negocium liberationis populi Israëlitici liberati in captiuitate Babylonica, portenderit sequuturam liberationem uniuersi generis humani è potestate peccati, mortis, & Diaboli: certè Matth. Euangelista caput 3. & 13. dum ad Christum trans-

transfert uerba de Cyro posita, planum idem facit. Dauidem porrò in plurimis gessisse typum Christi multi loci apertissimè testantur.

Prodest insuper disquirere, quo pacto uel quibus actionibm persona aliqua Christum repræsentarit siue adumbrarit. Solomon typus Christi fuit in eo, quòd sapiens, quod pacificus, quemadmodum nomen ipsum subindicat, fuerit, quod iudicium exercuerit summa æquitate, quòd eximium templum Deo condiderit. In idololatria autem cæterisq; uiciosis actionibus nequaquam. Dauid typus Christi fuit, non quando perpetrauit, adulterum uel homicidium, sed quum affligeretur, itē humilis, patiens, constans esset in periculis, cum ex iisdem mirabiliter eriperetur, cum debellatis hostibus uictor triumpharet. Sunt namq; actiones prudenter distinguendæ, atq; eas quæ in laude sunt positæ, par est cum actionibus Christi conferri. Idem iudicium esto de reliquis, in quibus, utrum typum Christi gesserint, quæstio est.

In quibus rebus Christum repræsentarit.

Paria in quibus argumentum ducitur ab vno tempore ad omne tempus.

NON raro comparantur, & in aliquo paria inter se ostenduntur, quæ diuersorum sunt temporum. Et quod uni tempori deprehen-

ſum eſt conuenire, ad aliud tempus, uel etiam ad omne tempus accommodatur. Ad Rom. 9. In genere Didaſcalico demonſtratur, quòd per omne tempus gratuita ſit electio, qua uidelicet Deus aliquos eligit & miſericordia dignatur. Ad id autem comprobandum profert Apoſt. ex cap. 33. Exodi hæc Dei uerba, Miſerebor cuiuſcunq; miſereor, & commiſerabor quęcũq; cõmiſeror. Si quis autẽ penitus expendat caput illud in Exodo, comperiet Deũ illa dixiſſe, cùm iratus cõminaretur ſe perdere uelle Iſraëlitas uniuerſos, qui grauiſsimè ipſum offenderant, dũ ob longiuſculam Moſis moram in monte murmurarunt, et præterea idolum erectum uituli aurei adorarunt. Quæ igitur tempore illo talemq; ob cauſam Deus offenſus ad Moſen orantem, et pro populo intercedentem, dixerat, ea Apoſt. uſurpat ad euincendũ, quòd Deus quocunq; tempore aliquos eligit, ſuaq; miſe icordia ſubleuat, prout ipſi uiſum fuit, nullo habito reſpectu humanorum meritorum, ſed ſola bona uoluntate ſua permotus. Et Apoſtolus rectè argumentatur, quandoquidem uerba illa ſententiæ generalis ſiue propoſitionis uniuerſalis uim obtinent

Exemplũ.

Ab vno tempore ad aliud ſpeciatim, ſiue à tempore Legis ad tempus Euangelij.

APostolus in genere institutiuo 1. Cor. 9. pluribus Argumentis confirmat ministrum Euangelij in nouo Testamento debere auditorum liberalitate sustentari, An nescitis, inquit, quod hi qui sacris operantur, ex sacrificijs uiuunt? qui sacrario adsistunt, una cum sacrario partem accipiunt. Sic et dominus ordinauit, ut qui Euangelium annunciāt, ex Euangelio uiuant. Respicit nimirum ad id, quod partes uictimarum, panes item propositi uel propositionis, cæteraq; cibaria offerri solita cedebāt sacerdotibus & Leuitis, quò illis uescerentur, quemadmodum Leu. 2. 6. & alibi præscriptum legimus. Itaq; comparat Apost. tempus legis cum tempore Euangelij, et ratiocinatur, quod illo fuit obseruatū etiam hoc non abs re obseruari debere. Et paulo ante idem lege Diuina sancitum fuisse, ac par esse, ut eadem etiam hoc tempore locum habeat, hisce explanat uerbis, Num secundum hominem hæc dico? An non & lex eadem dicit? Etenim in Mosis lege scriptum est, Deu. 21. non obligabis os boui trituranti. Num boues curæ sunt Deo? An hoc propter nos omninò dicit? propter nos enim hoc scriptum est, &c. Itaq; huiusmodi uerbis testatur Apostolus nos aptè hoc pacto argumentari, & ea, quæ in lege iusta, necessaria & honesta fuere, merito etiam à patefacto Euangelio talia censeri.

Rom. 11. in genere Didascalico probatur omni tempore aliquos esse gratia Dei electos, qui salutem consequuntur, eoq; de salute Iudæorum, quantū-

libet Euangelio enascenti omnibus uiribus obluctarentur, non prorsus desperandum. Ex 1. Reg. 19. An nescitis, inquit, de Elia quid dicat Scriptura, quomodo interpellat apud Deum aduersus Israel, dicens, Domine prophetas tuos occiderunt, & altaria tua subuerterunt, & ego relictus fui solus & insidiantur uitæ meæ. Sed quid dicit ei diuinum responsum? reliqui mihi 7000. uirorum, qui non inflexerunt genu imagini Baal. Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerant. Videlicet confert Apostolus tempora cum temporibus, & cum utroq; plurimi ex Iudæis sanam doctrinam uoluerunt extinctam, non dubium tamen, quin Deus etiam in crudelissimis persecutionibus suam colligat & tueatur Ecclesiam, & ut olim, ita nunc quoque innumerabiles pios, etiam inter Iudæos seruet. Quanquam hæc argumentatio non malè diceretur ab uno tempore ad omne tempus deducta, quandoquidem, ut nunquam non sæuiunt aliqui aduersus Ecclesiam, semperq; parata sunt Ecclesiæ exitia, ita omni tempore qnidam uerè pij in confeßione agnitæ ueritatis perseuerant, etiamsi nequaquam omnibus sint cogniti. Dominus nouit qui sunt ipsius.

Rursus 1. Corinth. 10. in genere Redarguatiuo (differit namque capite 8. 9. 10. contra eos, qui intempestiuè utebantur libertate Euangelica, cum graui offendiculo infirmorum) quòd idem

Spiritus

spiritus, paria sacramenta, paria beneficia spiritualia, propter Christum patribus communia fuerint tempore legis, quæ sunt nobis tempore Euangelij: dilucidè probatur pluribus locis recitatis ex libro Exodi. Patres nostri, inquit, omnes sub nube erant & omnes per mare transierunt, & omnes in Mosen baptizati sunt, &c. Huc autem tendit ea comparatio, ut concludat, Sicut tunc non profuerunt eximia dona his, qui abutebantur, & in horrenda prolabebantur flagitia, ita nobis quoq; nihil hoc tempore profuturum, quòd Euangelium audimus, quòd simus baptizati, & cœnæ Dominicæ effecti participes, quando subinde nouo uiciorum contagio inquinamur.

Quæ sint obseruãda in hoc genere argu.

Cæterum in hoc genere argumentationis cautione & prudentia non mediocri opus est. Neque enim protinus quæcunq; ante legem uel sub lege probata ideoq; concessa fuerunt, locum habent tempore Euangelij toto orbe manifestati. Primum enim constat ceremonias uniuersas sicut & sacerdotium ipsum prorsus esse abrogatum, qua de re in Epistola ad Gal. & Heb. & alibi prolixè. Ad hæc forensia præcepta lege Mosis comprehensa, si quis uellet urgere ceu ad nostrarum Rerumpub. administrationem necessaria, hic quoque actum ageret, ignorat enim nemo uiros sanctos cùm apud gentiles uiuerent, communibus se accommodasse legibus politicis. Quod uidere licet in Iacobo, Iosepho, cæterisq; agentibus in

Aegypto, item in Daniele, Nehemia, & in Paulo Apoſtolo, Actor. 16. 22. 23. qui benè conſtitutas leges tollendas aut mutandas minimè contenderunt: Et Moſaicæ leges politicæ tamdiu ualebant, quamdiu popolus ille intra certos limiets & ad certum uſq; tempus ſuum habebat regnum.

Quinetiam in præceptis moralibus non ſunt omnia ad normam legis exactè reuocanda. Libellum repudij quauis ex cauſa dari Chriſtus improbat. Matth. 19. Marci 10. dicens, ab initio non ita factitatum, Moſen tantum ob duritiem cordis illorũ ita permiſiſſe, palam quoq; eſt non amplius ſabbatum, ſed eius loco diem Dominicam obſeruari, idq; Apoſtolorum institutione, atq; exemplo, ut liquet Acto. 20. Apocalyp. 1. & apud Ambroſium in enarratione. 1. Cor. 16. & Auguſt. epiſtola 119 ad Ianuarium.

Polygamia

Ad hæc, quamuis plures uxores habuiſſe et ante legem & ſub lege, quidam etiam ex ſanctis patribus leguntur, non tamen idem concedatur amplectentibus Euangelium, quod poſt Chriſtum, qui non obſcurè hoc docet Matt. 19. Scriptores ueteres oſtenderunt. Inprimis D. Auguſt. qui de Chriſtiana doctrina libr. 3. cap. 12. aſſerit locos, de ea re in ſcripturis ueteris inſtrumenti occurrentes, non tantum hiſtoricè, ſed magis figuratè, ac propheticè accipiendos. Ac libro de bono coniugali cap 15. diſertè ait per plures uxores uni uiro quondam iunctas ſignificatum, atq; adumbratum, quod ex omnibus

genti-

gentibus plures Ecclesiæ uni uiro Christo subdi deberent. Deniq; de Doct. Christ. li. 3. ca. 18. subijcit exemplum illud nequaquam esse ad uitæ usum transferendum. Postremò est etiam memoriæ mandanda, regula generalis de uarijs sanctorum actionibus. Non statim quod ab aliquo uiro sancto factũ legitur id nobis imitandum: Item exempla particularia non constituere leges uniuersales: Neque enim occasio, causæ circumstantiæ eædem notari possunt in nobis quæ in illis.

Regula.

Comparata paria à capite ad membra.

NOn rarò in scripturis Ecclesia describitur appellatione corporis, cuius caput sit ipse Christus, membra uerò cuncti credentes 1. Cor. 12. ad Coloss. 1. 2. 3. Ephes. 1. 4. Porrò ad Roman. 8. pluribus docetur, ea, quæ Christi sunt, communia fieri in Christum credentibus, ideoq; hos uocari filios Dei, inuocare eundem patrem cœlestem esse hæredes Dei, & cohæredes Christi, debere conformes fieri imaginis filij Dei, denique propter Christum omnia ipsis donata. Ad Heb. 12. Christus fatetur fideles esse suos fratres, quibus uelit annunciare patris sui nomen. Ad Ephes. 1. Deus pater suscitauit Iesum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum. Mox autem cap. 2. de credentibus, cum essemus mortui per delicta, conuificabit nos una cum Christo: Per cuius

De coniunctione Christi cũ credentibus.

gratiam estis seruati, simulque cum eo resuscitaui & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes in Iesu Christo. Ioa. 5. dicitur, quod pater omne iudicium dederit filio. Atque 1. Cor. 6. Apostolum audiuimus dicentem, an nescitis quòd sancti mundum iudicabunt? An nescitis quòd angelos iudicabimus, non tantum ea, quæ ad uictum pertinent. Deq̀ue eadem re ante Apostolum Christus ipse Matth. 19. Luce 22. Ad hæc Ioa. 6. 15. Rursus in epistola Ioa. cap. 2. 3. 4. pluribus uerbis inculcatur Christum manere in credentibus, at uicißim credentes manere in Christo. Hi proinde, atque huiusmodi loci arctißimam esse coniunctionem Christi cum credentibus, & admirabilem esse in Christo & credentibus æqualitatem palàm faciunt. Hinc autem fit, ut aliquando in scripturis nonnulla de Christo dicta, transferantur ad membra siue credentes, quamobrem tales argumentationes rectè putamus à capite ad membra dici posse.

Exempla in genere Institutiuo.

Psalmo 1. Vaticinium illustre de Christo rege extat, atq; inter cætera Deus pater ad Christum filium ait: Reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas uiguli conteres eos, atq; ita explanantur hæc de Christo Acto. 4. Hebre. 1. Cæterum autor Apocalypseos cap. 2. in genere Institutiuo ratiocinatur, cum Christus illa faciat, pijs quoque eandem potestatem fore, & quod in capite præceßit debere in membris sequi. Et qui uicerit, inquit, & custodierit usque in finem opera mea dabo

ill
i

illi poteſtatem ſuper gentes & reget eas uirga ferrea & tanquam uaſa figuli confringentur.

Petrus 1. Epiſtolæ cap. 2. partim in genere hortatorio partim in conſolatorio raciocinatur. Quoniam afflictus fuit Chriſtus, debere pios quoque affligi, & æquanimiter omnia tolerare. Ad Roman. 8 in genere conſolatorio pluribus uerbis adſtruitur nos debere conformes fieri Chriſto tam in humiliatione quàm in gloria.

In genere Hortatorio & conſolatorio.

1. Corinth. 15. in genere Didaſcalico ſic raciocinatur Apoſtolus, Chriſtus reſurrexit à morte, igitur & nos reſurgemus, uocatq; Chriſtum primitias reſurgentium. Ad Philip. 2. in genere Inſtitutiuo, Is adfectus ſit in uobis, inquit, qui fuit in Chriſto Ieſu. Vbi hortatur ad humiliationem & obedientiam, qualem præſtitit Chriſtus, præterea ad expectandam gloriam qualis itidem obtigit Chriſto. Item Chriſtus eſt rex & ſacerdos, omnes igitur credentes ſunt reges & ſacerdotes, Argumentum eſt D. Petri 1. cap. 2. partim in Didaſcalico, partim in Inſtitutiuo genere.

In Didaſcalico & Inſtitutiuo.

Obſeruare interea decet, non omnia generatim quæ de Chriſto dicuntur credentibus appoſitè tribui. Duæ ſunt in Chriſto naturæ, altera diuina, altera humana. Ioan. 1. Heb. 1. 2. Ex his autem quæ pro cuiuſq; naturæ proprietate Chriſto conueniunt nonnulla etiam ad pios homines transferuntur. Secundum naturam diuinam Chriſtus eſt Dei filius : tribuitur uerò eadem appellatio creden-

Credentibus quomodo tribuantur quæ Chriſto ſecundum deitatem conueniunt.

credentibus: non tamen ſine diſcrimine. Chriſtus namque Dei filius eſt naturalis, Ioannis capite primo & alibi, pij tantum adoptione filij Dei ſunt, Ad Roman. 8. Galat. 4. Epheſeos 1. Dignatur autem illos tam honorifica appellatione, quadam uidelicet communione, quemadmodum magiſtratus quoque Dij appellantur Exodi 22. Pſalm. 82. etiamſi multo excellentiſsima beneficia ſecum adfert illa filiorũ Dei adoptatio. Cætera quæ Chriſto ratione diuinitatis ſunt propria, non perinde intelliguntur ad credentes deriuari.

Credentib. tribuũtur quæ ſunt humanæ naturæ in Chriſto.

Quæ porrò conſiderantur in Chriſti natura humana ſic ſe habent, ut alia pertineant ad humiliationem ueluti cum deſcribitur Chriſtus laborans, & ſerui munera obiens, affectus contumelijs, crucem baiulans, moriens, ſepulturæ mandatus. Alia uerò ad exaltationem, cuiuſmodi eſt quod Chriſtus ſpiritu ſancto plenus res præclaras efficit, docet, ædit miracula, reſurgit à morte, uictoriam reportat de peccato, morte, & Diabolo, regnum ſuum ſtabilit & auget, aſcendit in cœlos, gloria æterna perfruitur, huiuſmodi autem omnia, quemadmodum Chriſto capiti, ſic & credentibus membris conueniunt, quod exemplis aliquot iam oſtendimus.

Aliter hæc in Chriſto quã in nobis locum habere.

Eſt tamen notandum, aliter in perſona Chriſti, aliter in credentibus illa locum habere, quæ humiliationem notant, qualia multa ſunt in humana natura: Chriſto conueniunt propria ipſius uoluntate,

te, cum dignatus sit ea in se recipere propter nos: Credentibus uerò conueniunt quia Deus illis imposuit uel inuitis & reluctantibus, suntque uelut pœnæ peccatorum.

Quæ autem ad dignitatem pertinent, Christus quidem ea obtinet, propria sua uirtute, potestate, dignitate: credentibus uerò contingunt per Dei gratiam, & prout uirtus è cœlo ipsis conceditur. Ad hæc in Christo insunt omnia dona uerè & abundanter: uidimus eum, inquit Euangelista, plenum gratia & ueritate. In credentibus quadam participatione & ad certam mensuram, siquidem de plenitudine Christi omnes accipiunt. Ioannis capite primo.

Denique Christus omnibus quæ ad gloriam tendunt ornatus est propter sese: Credentes eadem accipiunt à Christo & per Christum. Restat igitur ut in hoc genere non alias à capite ad membra congeramus, deducamus rationes, quàm quas in scripturis explicatas promptum est inuenire, Gloriam meam, inquit Deus Isaiæ cap. 42. non dabo alteri, quare haud temerè, quæ Christi sunt, hominibus aptabuntur.

Comparata paria à membris ad caput.

Rursus contrario planè modo nonnulla quæ in corpore Ecclesiæ tribuuntur membris, transferun-

feruntur etiam ad caput, nempe ipſum Chriſtum. Pſal. 8. ita canit Dauid. Quis eſt homo ut memoriam eius habeas, & filius hominis ut uiſites eum? paulò minorem feciſti eum angelis, gloria & magnificentia coronaſti eum, facis illum dominari in operibus manuum tuarum, poſuiſtique omnia ſub pedibus eius, manifeſtum ſanè eſt hæc dici de præſtantia humani generis præ omnibus alijs creaturis ampliſsimaque Dei erga idem beneficentia, in quam ſententiam alibi quoque ut Geneſis 1. 9. &c. plura leguntur. Cæterum ad Hebræos probatur eo teſtimonio in genere Didaſcalico Chriſtum uerè eſſe hominem, angelis inſuper ſuperiorem, ac proinde etiam uerum eſſe Deum. Efficax nimirum eſt probatio, ſiue quod quicquid eſt in homine dignitatis, id in Chriſtum ueluti autorem propriè ſummoque iure competit, ſiue quod propter Chriſtum et à Chriſto omnis fœlicitas ad homines dimanat: Chriſto inſuper eſt proprium quod homini tantum participatione quadam accommodatur.

Exempla.

Rurſus ex eodem loco illis maximè uerbis poſterioribus, omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. in genere demonſtratiuo confirmat ubi omnes à morte reſurrexerint manifeſtandam glorioſam Chriſti uictoriam aduerſum mortem & diabolum, Mox, inquit, finis, cum tradiderit regnum Deo patri, cum aboleuerit omnẽ principatũ et omnẽ poteſtatem ac uirtutẽ. Nam oportet eum regnare donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes

pedes suos. Nouißimus hostis aboletur mors, nam omnia subiecit sub pedes illius. Atqui cum dicat quòd omnia subiecta sint, palam est excipiendum eum qui subiecit illi omnia.

Ex illis porrò quæ proximè diximus de argumentatione à capite ad membra, intelligi utrumque potest, quo pacto uicißim à membris ad caput probationes duci queant. Nec enim quæcunque quadrant in membra, in quibus spectatur natura humana: præterea conditio alia ante regenerationem, alia à regeneratione aptari possunt capiti, quatenus in hoc separatim consideratur natura diuina. Ad hæc dum natura humana per se spectatur in capite, non licet huic omnia aptare, quæ de membris simpliciter affirmantur, sed ea tantum quæ ab omni peccato remota sunt, ideoque ad Heb. 4. disertè dicitur: Non habemus pontificem, qui non poßit affici sensu infirmitatum, sed tentatum per omnia absq; peccato. Verum ut diximus, sequi semper conuenit ducem scripturarum.

Quatenus quæ nostra sunt Christo accommodari poßint.

Comparata paria à corporali ad spirituale

NON rarò comparantur bona corporalia & spiritualia & de utrisq; aliquid communiter asseritur, uelut quòd pijs sint expectanda ad ipsorum consolationem: quod Deus benignè ea

permittat & præstet. Exempla paßim multa extant in scripturis Prophetarum, ijs præsertim locis quibus concionantur de tempore manifestandi Euangelij, siue de aduentu Meßiæ, & subijciunt promißiones consolatorias in quibus bona per Christum adferenda recensentur & studiosè amplificantur. Præ cæteris abundat istiusmodi comparationibus Isaias capite 8. 9. 35. 40. 42. 43. 44. 45. 48. 49. 52. 54. &c. Vbi multæ sunt promißiones, quarum pars de bonis temporalibus, pars de spiritualibus accipi debent. Hinc deinde factum ut ex ijs, quæ in ueteri Testamento de rebus corporalibus inueniuntur primum simpliciter dicta, ausi sint Apostoli mutuari probationes ad confirmanda ea, quæ in spiritualibus numerari debent.

Exemplũ de promißione Abrahamo facta.

Ad Roman. 4 Apostolus pluribus argumentis euincit homines non iustificari operibus, sed Fide: Adfert probationem ex Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Huic loco ceu fundamento superstruuntur argumenta reliqua propè omnia, quibus probat Apostolus, homines Fide absq; operibus consequi amplißima bona spiritualia iusticiam nempe coram Deo, siue iustificationem, quam & interpretatur remißionem peccatorum. Si autem propius intuemur, deprehendemus uerba illa Genes. 15. primum antecedere ibi uerba Abrahami anxiè conquerentis, non esse sibi liberos, siue legitimum aliquem hæredem qui in posseßione succedat. Respondisse autem Dominum fo-

re ut & filius ei nasceretur, & longa posteritas originem ab ipso traheret. Huic promissioni uerba illa protinus subijciuntur. Credidit Abraham Deo, &c. Sequuntur mox uerba Dei iterum facientis illum certiorem de terra ab ipso & posteritate ipsius possidenda, in quo totum caput illud consumitur. Itaque Abrahæ fides uidetur eo tempore intenta fuisse ad bona corporea externa & temporalia. Apost. autem interpretari audet de bonis spiritualibus & internis, de iustitia nimirum coram Deo.

Sed enim Apostoli probationem aptam & efficacem esse duabus ostenditur rationibus. Prima. Promissiones de bonis temporalibus semper inclusam habent rationem bonorum spiritualium: Idcirco enim Deus mandat pijs, ut ante omnia de regno Dei sint soliciti, postea expectent bona reliqua. Ac solet Deus spiritualia primum largiri: Eadem causa est cur sæpenumero promissiones eo uerborum contextu enumerentur, ut pars quidem spirituales, pars uerò res corporales significet.

Apostoli probatio confirmatur.

Secunda. Abrahæ fides omni tempore subnixa fuit Dei promissione prima ab ipso facta, Genes. 12, in qua non modo noua promittitur terra, sed etiam semen ex ipso proditurum, in quo benedicendæ forent uniuersæ familiæ terræ. Quæ promissio consimilis fuit primæ illi, ad primos parentes factæ, de semine mulieris, quam agnosci oportet fontem & scaturiginē, ex qua omnes omnium temporum promissiones ebulliunt ad has promissiones spirituales, tanquam ad

ſcopum Abrahamus, adeoque omnes ſancti fidem ſuam uſq; direxerunt. Iſta igitur cum ſpectaret Apoſtolus, recte ille ſuum argumentum inſtituit.

Clarius intelliget quæ diximus, qui obſeruarit uerba illa ad Roman. 4. Non per legem promiſsio contigit Abrahæ, aut ſemini eius, eũ hæredem fore mũdi, ſed per iuſtitiã fidei: & paulo poſt: Credidit ſe fore patrem multarum gentiũ, uidelicet non diſſimulabat Apoſtolus fidem Abrahæ etiam ad hæreditatem, ſiue ad res temporaneas fuiſſe aliquo modo intentam, ſed in id potiſsimũ intendit ut ad Chriſtum & ad iuſtificationem per eundem primo loco illum reſpexiſſe, demonſtret.

Item ad Heb. 11. per fidem commigrauit in terram promiſſam ueluti peregrinam, cum in tabernaculis habitaret cũ Iſaac & Iacobo cohæredibus iſtius promiſsionis. Expectauerat enim habentem fundamenta ciuitate, cuius opifex et conditor eſt Deus. Rurſus ibidem, Iuxta fidem hi mortui ſunt omnes, cum non accepiſſent promiſsiones ſed procul eas uidiſſent et credidiſſent ſalutaſſentq;, et cõfeſsi fuiſſent ſe hoſpites, atque aduenas eſſe in terra. Nam hæc qui dicũt declarant ſe patriã inquirere, quã mox interpretatur cœleſtem. Perſpicuè autem teſtantur hæc uerba patres quantumlibet ante oculos illis poſitæ eſſent res corporales & terrenæ, inprimis tamen reſpectaſſe ad res ſpirituales et cœleſtes, potiſsimumq; ad promiſſum ſemen benedictum. Quin etiam his

bonis ſpiritualibus tum citius tum uberius fuiſſe à Deo ornatos quam illis.

Comparata paria à ſpirituali ad corporale.

SVnt inſuper probationes à quibus contraria ratione quod de re ſpirituali dictũ fuerat, uſurpatur per comparationem ad confirmandum aliquid de re corporali. Mat. 21. Mar. 11. Chriſtus probãs templum Hieroſolymitanum dicatum fuiſſe precationibus, non autem contractibus ementium et uendentium, adfert iſtud Iſa. 56. Domus mea domus orationis uocabitur, ſicq; argumentatur: domus Dei ſpiritualis, quæ eſt Eccleſia, ſiue congregatio credẽtium, debet in Inuocatione diuini nominis indeſinenter occupari & exerceri, igitur etiam templi materialis hic uſus eſſe debet, ut in eo pij orent. Atq; apud Prophetam propriè accipienda eſſe uerba illa de ſpirituali domo, quæ eſt Eccleſia, quilibet per ſe poteſt iudicare. Siquidem pronunciat ibi uates etiam gentes eſſe ad eam domum perducendas. Id autem de materiali templo Hieroſolymitano non poſſe intelligi, argumẽto eſt quod perſuaſum habuerint Iudæi templum illud ingreſſu gentilium prophanari. Act. 21. 24. eſt autem probatio hæc in gere Elenchico, ſiue correctorio idonea, ſimul quòd Iudæos propria opinione tanquam ſuis ipſorum

Exemplũ in genere Elenchico ſiue Correctorio.

Exempli ſuperioris explicatio.

armis petat, qui pleraq; à prophetis dicta de spirituali domo Dei (quæ est congregatio omnium credentium) superbè nimisq; confidenter interpretati sunt de Hierosolymitano templo materiali seu corporali: Simul quod ad altiora conuertens animũ significare uoluerit, templum illud sumptuosum, quo fœde abutebantur, cum sacerdotio omnibusq; adiunctis breui abolendum. Reuocari autem debere ubiq; cultũ spiritualem, qui nouo Testamento proprius est, ut Christus ait Ioan. 4. & in quo non amplius aliquod templum materiale, sed una tantum Catholica Ecclesia agnoscitur, constans ipsis credentibus, quos Deus multò libentius, quàm lapideũ, ligneum quoduis templum dignatur inhabitare.

Aliud exemplum in genere Didascalico.

Act. 17. 2. Cor. 6. ad Heb. 3. Est illa argumentatio à corporali ad spirituale. Matth. 8. Christus, secundum Ieremiam, infirmitates nostras sustinuit, & morbos portauit, Igitur Dæmoniacos spiritus uerbo suo eijcere, omnesq; malè habentes sanare debuit. Etenim Esa. 53. priora illa uerba de Christo pronuncians, respexit ad res spirituales, peccata nimirum nostra, ob quæ Christus humiliatus est, acerbas luit pœnas, ac dependit: Infirmitates nostras, inquit, ipse portauit, & dolores hos nostros sustinuit, & nos reputauimus eum cæsum & percussum à Deo, atque afflictum: Ipse uerò uulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, fuitque castigatio pacis

nostræ

nostræ super eum, & per liuorem eius medicatum est nobis., Apertè docet Christum extrema passum, idque ut nobis remitterentur peccata, & animorum salutem consequeremur. Euangelista autem uidetur subindicare infirmitate & humilitate Christi medicinam esse, allatam morbis corporalibus. Referens namque quam plurimis sanitatem fuisse à Christo restitutam, subijcit id factum ut impleretur quod dictum erat per Isaiam prophetam. Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos nostros portauit, &c.

Cæterum ualet consequentia quandoquidem liberatio à malis corporalibus adumbrat liberationem à malis spiritualibus. Deinde, sicut Christus in precationis formula, quam nobis præscripsit, prius iubet petamus spiritualia, pòst uero corporalia. Ita ipse quoque, si quos sanauit in corpore, eosdem haud dubiè sanctificauit in animo. Ad hæc idcirco languores corporales curauit, ut fidem faceret, se etiam animorum esse medicum, ac tollere peccata. Confirmantur hæc ipsius Christi uerbis, Matth. 9. Luc. 7. ad paralyticum. Bono animo esto fili remittuntur tibi peccata tua: Ibidem, Vtrum est facilius dicere remittuntur tibi peccata? An dicere surge & ambula? Vt autem sciatis, quod potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et uade in domum tuam. Notent studiosi, si quando alibi similes probationes occurrunt, semper autem

Confirmatio proximi exẽpli.

quærere oportet firmamenta istiusmodi probationum in alijs scripturarum locis.

Comparata paria à terreno ad cœleste.

EST ubi, quæ describuntur perficienda hic in terris, siue in hac uita, applicantur quadam comparationis forma ad ea, quæ contingent in cœlesti, siue post hanc uitam. Quocirca istiusmodi probationes arbitror rectè posse appellari à terreno ad cœleste, siue ab eo, quod in hac uita contingit ad id quod succedet post hanc uitam.

Exemplũ in genere Didascalico. Apocalyp. 7. in genere Didascalico de beatis qui sanguine suo pro ueritatis assertione effuso ex hac uita migrarunt, atque ante thronum Dei constituti, æterna perfruuntur requiete, & gloria: Non esurient, inquit, nec sitiens amplius, non cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & educet eos ad uiuos fontes aquarum. Sumpta autem sunt hæc uerba ex Isa. 49. Vbi de tempore manifestandi Euangelij ita legimus. Sic dixit dominus in tempore gratuitæ uoluntatis. Exaudiui te, & in die salutis adiuui te: Ego seruabo te, & dabo te in fœdus populi, ut resuscites terram, et poßideas hæreditates desolatas, dicas uinctis, exite, & his qui in terris sunt, reuelemini, iuxta dies pascentur, & in omnib. eminentioribus erit pascua eorum. Non esurient

neque ſitient, & æſtus aut ſol non percutient eos, quia miſerator eorum diriget eos atque iuxta ſcaturigines aquarum ducet eos. Concionatur autem propheta de ſequutura fœlicitate cum diuulgabitur quoquo uerſum Euangelium, ſicut Apoſtolus 2. ad Corinth. 6. prima illa uerba, de tempore uidelicet gratuitæ uoluntatis ac die ſalutis, ipſe explanat. Subſequentibus autem Allegorijs ductis de re paſtoritia, demonſtratur rerum ſpiritualium affluentia, & quàm gratum pabulum ſanæ doctrinæ ex uerbo Dei, ſint ad ſacietatem percepturi quotquot uerè eſuriunt, & ſitiunt iuſticiam. Dicendum ergo eſt, Apoſtolum in hoc loco Apocalypſeos tranſire à terrenis ad cœleſtia, & ex fœlicitate ſanctorum, quæ contingit ipſis etiamnum in hac uita oſtendere uelle, qnantam ſint accepturi poſt hanc uitam.

Cur ita argumentari liceat.

Ac licet ſanè ita argumentari, primum, quia ſæpe numero in ſcripturis ea, quæ ſunt uitæ futuræ & cœleſtis, depinguntur nobis propoſita fœlicitate quadam & dignitate rerum terrenarum, ſiquidem Spiritus ſanctus ad captum noſtrum ſeſe demittit, & quibus poteſt modis certiores nos de rebus æternis ſtudet facere. Secundò, pij in hac uita dum nunquam deſtituuntur conſolationibus, ſentiunt ſe fide erigi ac confirmari, gaudent tranquilla pace conſcientiæ, intelligunt ſe Deo eſſe curæ, defendi atque ſeruari, animo atq; ſpe amplectuntur cœleſtia, quendam planè guſtum capiunt rerũ futurarũ

2. Cor. 4. & cœlestium. Ad Roman. 5. 8. 1. Corinth. 13. 2. Corinth. 4. 5. Cæterum de omnibus argumentationibus in genere, in quibus ratio æqualitatis spectatur, tenenda est hæc regula.

Regula parium.

De paribus rebus idem est iudicium.

Vnde solent apud Dialecticos consequentiæ à pari tam affirmatiuè quàm negatiuè institui. Admonuimus autem plura considerare, & circumspectos illos esse debere, qui de rebus Theologicis sine metu erroris, & ad fructum auditorum uolent disserere.

MAIORA.

Svpra diximus ex inæqualibus interdum comparari quod maius est cum alio quod minus est.

Exempla. Vt in genere Didascalico operibus lege diuina mandatis homo non iustificabitur, multò minus autem humanis traditionibus. Antecedens suis expreßit uerbis Apostolus ad Romanos capite tertio, ad Galatas 2. Ioan. 13. in genere Institutiuo, Si ego lauo pedes uestros dominus & magister: uos quoq; debetis inuicem alij aliorum lauare pedes. Ioan. 15. in genere Institutiuo & consolatorio. Non est seruus maior domino, si persecuti sunt me & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Ad Roman. 8. In genere Didascalico & consolatorio: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet?

In genere institutiuo et consolatorio.

In Didascalico & consolatorio.

1. Pet.

1. Pet. 4. In genere Institutiuo & correctorio. Tempus est, ut incipiat iudicium à Domo Dei. Quod si primum incipit à nobis, quis erit finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? Et si iustus uix saluus efficitur, impius & peccator ubi comparebit? Rursus 2. Pet. 2. In genere Didascalico & Correctorio, Si Deus angelis, qui peccauerant, non pepercit, multò minus parcet hominibus in peccata lapsis, & subinde relabentibus. Quæ argumentatio copiosè & pluribus membris ibi explicatur. Sed nusquam non sunt exempla obuia, sparguntur per omnia concionum genera. In genere Institutiuo & correctorio. In Didascalico & correctorio.

Ducuntur autem hæc argumenta tum affirmatiuè tum negatiue, quod in exemplis, quæ attulimus, animaduerti à quouis potest. Efficaciora quidem uulgo censentur negatiua, attamen in scripturis magnam etiam uim habent affirmatiua, & quisquis uel mediocri pollet iudicio facilè dispiciet in primis ex consideratione circumstantiarum quando idonea existant. Ratio argumentandi.

Si id quod magis uidetur inesse, non inest, nec quod minus uidetur inesse, inerit. Regulæ.

Si quid ei quod maius est, inest, id etiam ei quod minus est inerit.

MINORA.

PRocedunt etiam argumentationes quando uice uersa quod minus est comparatur cum maiore. Matth. 6. In genere Didascalico, uertite ocu-

 los

Exempla in genere Didascalico.

los ad uolatilia cœli, quia non serunt, neque metunt in horrea, & pater uester alit illa, Non uos illa longè præcellitis? Sequuntur ibi & alia in eandem sententiam. Item, Si uos, qui mali estis, potestis bona facere filijs uestris, quanto magis &c.

Ioan. 7. In genere Redargutiuo, Christus reprehensus ceu transgressor legiss, quod hominiñe curasset sabbato, ita refellit. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, & non soluitur lex Mosi, cur mihi indignamini, quòd totum hominem sanum fecerim in sabbato. Interpretatur autem Christus uerbis antecedentibus circumcisionis præceptum de circumstantia temporis, minoris esse dignitatis, quàm generale præceptum de dilectione hominis. Eodem modo, et eandem ob causam, Christus Matt. 12. Quis erit ex uobis, qui habebit ouem unam, & si ea inciderit sabbatis in foueam, nonne apprehendet eam, & eriget? Quanto igitur præstantior est homo oue? Licet igitur sabbatis beneficio afficere.

In genere Redargutiuo.

1. Ioa. 4. In genere Institutiuo, simulq; Didascalico, si fratrem suum quem uidet, non diligit Deum quem non uidet, quomodo potest diligere? Item 1. Tim. 3. Quod si quis propriè domui præesse non nouit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? Minimè opus est in re facili simus longiores. Nullum est concionum genus cui non accommodentur.

Ratio argumen.

Rursum autem uides probationes à minore non tantum affirmatiuè ratas haberi, quemadmodum præ-

præcipere Dialectici solent. uerum etiam negatiuè. Nam duo posteriora exempla reuera sunt negatiua. Vis enim atq; sententia eorundem hæc est. Si non potest administrare propriam domum, non igitur gubernare poterit Ecclesiam. Et si quis non diligit fratrem, certè nec Deum diligit.

Si id quod minus uidetur inesse inest, & id quod magis uidetur inesse, inerit.

Si quod minus est alicui non inest, neque quod maius est illi inerit. Regulæ.

REPVGNANTIA.

Repugnantia intelligimus, quæ certa rerum habitudine quippiam ab alio separant distinguuntq;. Sunt autem duplicia, Opposita, inquam & Disparata. Opposita uocant, cùm unum tantum uni repugnat, Disparata cum plura uni. Sed unamquanque formam adhuc partiuntur, & quasi in membra plura secant, itaque opposita faciunt quadruplicia. Contraria. Relatiua. Priuantia. Contradictoria. Disparata insuper alia eiusmodi sunt numero, alia speciei, alia genere, alia prædicamentis. Ex re fuerit studiosorum si de singulis ordine disseramus.

Quæ sunt repugnantia, & eorum diuisio.

CONTRARIA.

Contraria igitur à Cicerone nuncupata aduersa, sũt quæ sub eodẽ genere posita plurimũ differunt: nec possunt in eodem simul consistere,

Contraria quæ sint.

ut bonum & malum: uirtus & peccatum: Deus & Mammon: uel Satanas uel Beelzebub: Angelus siue spiritus bonus, & Angelus siue Spiritus malus: Iustitia legis & iustitia Fidei Spiritus & caro: Benedictio & maledictio: Fides & incredulitas. Electio & reprobatio. Arguenta sunt eiusmodi Matth. 12. Mar. 11. in genere Redargutiuo, Christus eijcit dæmonia præsidio, digito seu uirtute Dei. Igitur non eijcit dæmonia præsidio Beelzebub. Psal. 34. In genere Institutiuo. Declina à malo et fac bonum. Sententia est. Si uites malum, Igitur facies bonum. Ad Galat. 5. In genere Institutiuo, Spiritu ambulate et concupiscentiam carnis nonperficietis.

Exempla in genere Redargutiuo & Institutiuo.

Luc. 16. in genere Didascalico, Nemo seruus potest duobus dominis inseruire, aut enim unũ odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & Mammonæ: ubi uides contraria, Deum, & Mammonã, diligere, & odio habere: adhærere, & contẽnere. Ad Rom. 10. in genere Didascalico, Iustitia Legis nõ iustificat. Igitur iusticia Fidei iustificat. Quã consequentiam Apostolus ita exprimit, et illustrat. Ignorantes Dei iusticiam & propriã iustitiam quærentes constituere. Iustitiæ Dei non fuerunt subditi. Nam perfectio Legis Christus ad iustificationem omni credenti. Moses enim scribit de iustitia, quæ est ex Lege Leuit. 18. Quod qui fecerit ea homo, uiuet per illa. Cæterum quæ ex fide est iustitia, de ea sic loquitur Deut. 30. Ne dixeris in corde,

Exempla im genere Didascalico.

corde, Quis aſcendet in cœlum, aut quis deſcendet in Abyſſum: prope te eſt uerbum in ore tuo, & in corde tuo, &c.

Contrariorum diuiſio.

Non prætereundum ex contrarijs alia quidem eſſe Immediata, quæ ſic inuicem aduerſantur, ut nullum interueniat medium. Vt iuſtitia: & iniuſtitia: Fides & incredulitas: ueritas & mendacium, ad Rom. 3. Gratia & opus, Rom. 10. Eſſe benedictum & ſempiterna perfrui gloria, eſſe maledictum, & ire in ignem æternum: Seruari & condemnari, Matth. 25. Creaturarum alia uiſibilis, alia inuiſibilis, Col. 1. Alia uero mediata, inter quam medium aliquod intercedit, ut calidum eſſe in religione & frigidum eſſe in religione inter quæ medium eſt tepidum eſſe in religione. Sic etiam de Eccleſijs dici poteſt, quod alia ſit formoſa bene conſtituta, ſine macula: qualis Philippenſium quàm mirè celebrat Apoſtolus. Alia deformis maculas habens, & rugoſa, qualis Galatarum quos Apoſtolus dicit planè dimotos fuiſſe à ueritate Euangelij: Galat. 1. Alia deniq; media de qua forte illud Canticorum 1. Nigra ſum ſed decora filia Hieruſalem, qualis cenſeri queat Eccleſia Corinthiaca, quam Apoſtolus ait ſe laudare & non laudare 1. Corinthios capite undecimo.

Immediata.

Mediata.

Ratio argumentandi.

Conſtat porrò ita duci probationes ab Oppoſitis contrarijs, ut ſi unum affirmetur, alterum neceſſario negetur, atque è diuerſo, Vt, ſeruit Deo, Igitur non ſeruit Mammonæ, & rurſus, Seruit Mammonæ, Igitur non ſeruit Deo.

Regula. Contrariorum Immediatorum uno posito, alterum necessario tollitur, atq; e diuerso.

Cæterum si contraria sint mediata, non eodem pacto ualet consequentia. Nam etsi quispiam in religione non sit calidus, non statim efficitur, eum in religione esse frigidum, quandoquidem fieri potest ut inter tepidos habeatur.

RELATIVA.

Relatiua quæ sint. Relatiua sunt quorum alterum cum altero necessariò confertur, ut pater & filius dominus & seruus, Maritus & uxor, de his nonnihil supra diximus, nō autē ut oppositionem in illis spectandam commonstraremus, sed potius quomodo alia quædam ex illis colligantur. Hic uerò de sola oppositione agitur, satis proinde adfuerit admonere, ualere consequentiam ab oppositis Relatiuis Affirmatiuè & Negatiuè ut si Abraham pater est multarum gentium, Igitur aliqui ex gentibus sunt eius filij. Quod uerum est, si spectemus omnes qui fidem ipsius imitantur Roma. 4.

Ratio argumentandi.

Item non est pater gentilium, Igitur gentiles non illius filij. Hoc ex falsa opinione Iudæorum Ioan. 8. Item pater est igitur non est filius. Intellige consistere hanc posteriorem formam respectu eodē, nam diuerso rrspectu nihil probibet eundem esse & patrem & filium. Præterea non ualet consequentia, si alterum relatiuorum impropè adferatur.

Vno Relatiuo posito simul ponitur & alterum. Regulæ.

Vno sublato tollitur & alterum. Sunt enim simul.

PRIVANTIA.

Priuantia sunt ubi unum ita uni opponitur, ut alterum significet aliquid haberi, & adesse, alterum aliquo priuari & deesse. Sic opponuntur dies & nox: lumen & tenebræ, scientia & ignorantia sapientia & stulticia, uita & mors: Cognitio Dei & ignoratio Dei: uidens uel illuminatus in rebus spiritualibus, & excæcatus in iisdem. Quid sint priuantia.

Crebra & in omni concionum genere exempla inueniuntur. Roman. 13. in genere Institutiuo, Nox progressa est, Dies autem appropinquat: abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur armis lucis tanquam in die composite ambulemus. 1. ad Thess. 5. partim in Didascalico partim in Institutiuo genere. At uos fratres non estis in tenebris, ut dies ille uos tanquam fur opprimat. Omnes uos filij lucis estis ac filij diei, non sumus noctis neq; tenebrarum. 2. ad Corinth. 6. In genere Redargutiuo siue correctorio quod consortium Iustitiæ cum Iniustitia, aut quæ communio luci cum tenebris, Prouer. 8. in genere Didascalico uel Institutiuo ait sapientia. Qui me inuenerit, inuenit uitam, & omnes qui odiunt me, diligunt mortem. Ad Roman. 5. in genere Didascalico, ubi exuberauerit peccatum Exempla secundum uaria genera concionum.

catum ibi magis exuberauit gratia, ut quemadmodum regnauerat peccatum in morte, sic & gratia regnaret per iusticiam ad uitam æternam. Ioan. 9. in genere Didascalico, in Iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant.

Ratio argumentandi. Valet autem consequentia ab oppositis priuantibus affirmatiuè & negatiuè Iudæi à Deo excæcati sunt, igitur non uident ueritatem. Gentiles non sunt excæcati à Deo, Igitur uident & intelligunt ueritatem Ioann. 9. 1. Petr. 2. Roman. 11. & alibi. Non ualet consequentia, Si ponatur eius priuatio quam res à natura nunquam habere potuit.

Regulæ. Posito habitu ponitur priuatio, atque è diuerso.

Priuatio ante requirit Habitum,

CONTRADICTORIA.

Quæ sint contradictoria. Contradictoria sunt quæ opponuntur præposita alteri parti negatione. Aristoteles uocat quæ se habent ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις ut Affirmatio & negatio, ut condemnari & non condemnari, credere & non credere, seruare mandata & non seruare mandata. Estque in his maxima oppositio. Quamobrem si unum uerum est, necessario alterum erit falsum. Mar. 16. in genere Didascalico, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui

Exempla. credi-

crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui uerò non crediderit condemnabitur. Ioann. 3. in eodem genere. Qui credit in eum non condemnatur. Qui uero non credit iam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei, Ibidem, qui credit filio habet uitam æternam. Qui uero non credit filio non habet uitam, sed ira Dei manet super eum.

Sic uerò aptè argumentantur. Acto. 10. Cornelius centurio erat religiosus ac timens Deum. Igitur non erat non religiosus, & non timens non Deum. Item orationes eius & Eleemosynæ ascenderunt in memoriam coram Deo. Igitur falsum est quod orationes & Eleemosynæ eius non ascenderint in memoriam coram Deo. Vide etiam atq; etiam ut contradictoria commodè exprimas. *Ratio argumentandi.*

Vno contradictorio posito, necessario collitur alterum atq; è diuerso.

DISPARATA.

Disparata sunt quæ inuicem opponuntur quidem, non tamen directè, ut potè cum uni alicui non tantum unum, sed etiam plura eademque diuersa opponuntur. Ac numero quidem disparata uocant, omnia uidelicet indiuidua quæ constat numero ab inuicem disiungi. Specie disparata sunt in quibus diuersa species consideratur. Vt Angelus, homo, leo, planta. Genere disparata intelligite quæ diuersorum sunt generum, ut Dialectici genera rectë secernunt. Prædicamentis disparata sunt, cum ex diuersis prædicamentis aliqua opponuntur. *Quæ sint disparata.* *Disparata numero.* *Specie.* *Genere.*

Itaque argumenta ducuntur huiusmodi. Paulus Apostolus edoctus est, atque ad Apostolicam euectus dignitatem à Deo ipso, igitur non est edoctus & Apostolus designatus à Petro uel Iacobo uel quouis alio homine. Pluribus argumentum hoc explicatur ad Galat. 1. Vbi sui officio asserit contra aduersarios dignitatem. Quamobrem ad genus Redargutiuum potest referri. 1. Pet. 1. in genere Didascalico. Redempti estis à uana uestra conuersatione, quam ex patrum traditione acceperatis, praecioso sanguine Christi. Igitur non auro, argento uel alijs caducis rebus. Ibidem. Renati estis per sermonem Dei uiuentis. Igitur non ex semine mortali uel alia quauis re. Et cap. 4. in genere Institutiuo partim, consolatorio partim. Affligitur aliquis ut Christianus, igitur non ut homicida aut fur, uel facinorosus, aut curiosus alienarum rerum.

A Praedicamentis.

Exempla.

Regula.

Valet igitur consequentia à Disparatis, ut posito uno, caetera aduersantia negentur.

Repugnantia in quibus integrae sententiae opponũtur: ac primum oppositio sentẽtiae superioris contra sententiam inferioris.

Contingit

CONtingit aliquando non tantum in uerbis uerum etiam in sententijs integris aliquam spectari repugnantiam. Atque in scripturis uidemus ad redarguendum siue ad confutandum studiose interdum adhiberi. Quare quomodo istud aptè fiat libet breuiter indicare. Exempla. Matt 15. Christus ad Pharisæos, qui obijciebant quod discipuli ipsius transgrederentur traditiones seniorum, cibum sumendo non lotis manibus, ita respondit. Quare & uos transgredimini præceptum Dei propter traditionem uestram? Nam Deus præcipit dicens, honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri uel matri morte moriatur. Exodi 20. Deut. 5. Vos autẽ dicitis, Quicunque dixerit patri aut matri: Quicquid doni à me profecturum erit, id in tuũ uertitur commodum: & non honorabit patrem suum aut matrem suam: & irritum fecistis præceptum Dei propter traditionem uestram. Hic primum opponit Christus transgreßionem præcepti diuini transgreßioni præcepti seniorum, deinde & legem Dei legi hominum, Etenim dogma siue traditio Pharisæorum erat, sicut plenius liquet ex Mar. 7. Eos qui aliquid templo conferebant, pium opus facere, atque id iam sibi quàm parentibus ipsis magnoperè profuturum, quamuis interea parentibus inopia laborantibus illi aliud nullum præberent auxilium. Opponit igitur Christus falsæ opinioni Pharisæorum, manifestum præceptum Dei de honorandis parentibus atque euincit prio-

rem esse debere curam parentum quam templi, simulq; addit diuinum mandatum præferendum humanis traditionibus. Simili ratione Matthæi capite quarto, cum diabolus ad Christum diceret hæc omnia tibi dabo, demonstratis omnibus mundi regnis, si prostratus adoraueris me. Opponit Christus præceptum Dei ex Deu. 6. Dominum Deum tuum adorabis, inquit, & illum solum coles.

Ergo una sententia euertitur per aliam, quēadmodum clauus clauo, ut in prouerbio est, pellitur. Illam autem necesse est præualere, cuius maior est autoritas. Depræhenditur uerò hæc uel ex dignitate autoris (siquidem quod à Deo decretum est anteferri debet cuicunq; decreto humano, & quo imperator uel Rex sanciuit efficacius habebitur eo quod sancitum est à magistratu inferiore) uel quia certitudo maior inest & euidentia, uel quod continetur aliquid generale anteferendum speciali atq; ita deinceps. Vsus huius probationis maior est in Redargutionibus, quam in cæteris concionum generibus.

Cuius sententiæ maior sit autoritas.

Ex sententijs pugnantibus sententiæ superioris cedat oportet sententia inferioris.

Regulæ.

Conciliatio sententiarum in speciem pugnantium.

EST & huius raciocinationis usus idem qui præceden-

cedentis: Nam ad redarguendum siue ad diluenda obiecta comprimis prodest. Exemplum habes Ioan. 10. Iudæi culpabant Christum, ac lapidare etiam uolebant tanquam blasphemum, quòd homo cum esset, filium Dei, siue Deo æqualem se diceret. Ob bonum opus, inquiunt, non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum, ac nitebantur haud dubiè illi testimonijs scripturæ, quæ unum tantum esse Deum, quia alteri gloriam suam non concedit, declarant. Respondit autem Iesus adferendo locum scripturæ in speciem cum illis testimonijs pugnantem. Nònne inquit, scriptum est in lege uestra, Psal. 82. ego Dixi Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit & misit in mundum, uos dicitis me blasphemare, quia dixerim filius Dei sum? Vbi argumentatur quidem Christus à minori ad maius, atqui spectari potißimum debet & inquiri quædam locorum in speciem pugnantium conciliatio. Etenim pugnant aliquo modo hi loci, Dominus Deus unus est, Exod. 20. & ego dixi Dij estis Psalm. 82. Quiuis igitur intelligit inuestigandam esse conciliationem. Fit autem ea hoc modo. In scripturis appellatio Dei uariè usurpatur. Modò enim in unum uerum & omnipotentem Deum quadrat, ut paßim uidere licet. Modò etiam hominibus per participationem attribuitur ueluti iudicibus & magistratibus, quos Deus uarijs donis ornatos tanquam mini-

Exemplũ quo Christus probatur esse Deus.

ſtros qui uice ipſius in terris fungantur, conſtituit eaq; ſignificatione legitur Exod. 26. Pſal. 47. & 82. Diuerſam igitur ſignificationem uocabuli ſi obſeruauerimus, intelligemus Chriſtum rectè racio=cinari, dum aſſerit ſe quoque Deum dici, & non tantum quomodo cæteri homines Dij inueniuntur appellati per participationem, uerum etiam pro=priè atque eo planè modo, quo talis appellatio in ſo=lum Deum æternum competit. Quò pertinent quæ Chriſtus ſtatim annectit. Si non facio, inquit, ope=ra patris mei, nolite credere mihi. Sin uerò facio & ſi mihi non credatis, operibus credite, ut credatis & cognoſcatis quod pater in me eſt, & ego in eo.

Cæterum quo pacto ſententiæ in ſpeciem pu=gnantes poßint conciliari non eſt præſentis inſtitu=ti tradere, & quædam congeßimus de ratione ſtudij Theologici. Satis eſt in præſenti admonere, utile interdum eſſe ac perneceſſarium cùm una ſenten=tia alteri opponitur ad remouendum omnem dubi=tationem & difficultatem excogitari aptam conci=liationem.

Regula. Inuenta reconciliatione repugnantiæ ratio om=nis tollitur.

Oppoſitio veræ interpretationis contra falſam.

ADfertur

ADfertur nonnunquam sententia è scripturis ad probandum aliquid quod tamen non propriè per illam probatur. Quod ubi quis facit falsam eum adhibere interpretationem dicimus. Postulat proinde res ipsa opponi aliam synceram atq; natiuam eiusdem sententiæ interpretationem. Estq; huius formulæ usus magnus in Redargutiuo genere.

Exemplū Christi cō futandi Satanam.

Matth. 4. Vbi Diabolus Christo super pinnaculum templi constituto dixisset: Si filius Dei es præcipita te deorsum, namq; scriptum est Psal. 91 Angelis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum. Respondit Christus, Iterum scriptum esse, Non tentabis Dominum Deum tuum, Deut. 6. Animaduertit autem Christus à Satana prolatum fuisse tanquā simpliciter dictum, quod accipi debebat tantum secundum quid. Quamobrem addidit quod ad genuinam & synceram interpretationem facit, uidelicet tum demum Dei adesse opem periclitantibus, cum non temerè & sponte sua in pericula sese conijciunt, quæ euadere alias oportunis rationibus possent. Se autem de eo loco præcipitare, unde alias poterat scalis uel gradibus commodissimè descendere, nonne hoc fuisset se ultrò conijcere in discrimen. Ad eum autem modum absq; iusta causa uel necessitate adire periculum, reuera est Deum tentantium & non ueré credentium.

Interpretatio alijs scripturis confirmetur.

Quæcunq; porrò adferuntur pro uera interpretatione ea decet alijs scripturæ locis stabiliri & illustrari. Ac manere

hæc lex explorandarum interpretationum inuiolata usq; debet.

Regula. Veræ interpretationi cedere falsa debet.

Oppositio, vel adiectio eius, quod præcipuè est in re aliqua considerandum.

EST in omni scripto prouidendum ut certa habeatur sententia. Nonnunquam uerò aliquid simpliciter proponitur, de quo nondum constat quomodo intelligi rectè debeat. necesse igitur est aut maiore cura, id quod dictum est, adeoq; singula eiusdem dicti membra, atq; uerba expendamus, aut alios certè in consilium adhibeamus scripturarum locos, quorum ductu ad ueram exactamq; intelligentiam perueniamus, atq; id quod potißimum spectandum est, assequamur. Cuius generis est quod Matth. 4. legimus. Diabolus ad Christum quem animaduertebat ob longum ieiunium esurire, ait, Si filius Dei es, dic ut lapides hi panes fiant. Nitebatur autem communi sententiæ Theologicæ, quæ in scripturis sæpius reperitur, nempe Deo nihil esse impoßibile. Atqui respondet Christus, scriptum est Deuter. 8. Non solo pane uicturus est homo, sed omni uerbo quod egreditur per os Dei. Videlicet opponit, siue adijcit id ex quo hominis uita potißimum dependet, quodque præ omnibus rebus ad nostri conseruationem

Exemplum.



nem requiri debet, atque alimento corporali opponit & præponit ſpirituale.

In unaquaque ſententia quod potißimum ad rem facit primo loco expendatur. Regulæ.

Hactenus quanta licuit fide ac diligentia locos rerum artificiales exemplis de omni concionum genere oppoſitis explanauimus. Supereſt adijciamus nonnihil ſed breuiter de Locis rerum inartificialibus.

LOCI RERVM INARTIFICIALES.



ST uerò & iſtorum locorum aliquis in Theologia uſus ad probandum quippiam uel infirmandum, quamuis non prorſus eo pacto quo aliarum diſciplinarum profeſſoribus uſurpatos cernimus, paucis quæ dicenda ſunt expediemus. Numerari autem hi ſolent.

Teſtes. Rumor. Iuſiurandum. Tabulæ. Præiudicium. Quæſtiones.

TESTES.

IN genere Didaſcalico 1. Corinth. 15. à Teſtium dignitate & multitudine probatur certitudo reſurrectionis Chriſti. Simulque dogma fidei noſtræ fulcitur. Tradidi uobis, inquit, imprimis quod & acceperam, quod Chriſtus mortuus fuerit pro pec- Exempla.

catis nostris secundum scripturas, & quod sepultus sit & resurrexerit tertio die secundum scripturas, et quod uisus sit Cephæ, deinde duodecim illis, Postea uisus est plus quàm quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent ad hunc usq; diem. Acto. 1. Christus Apostolos atque discipulos ait futuros sibi testes tum doctrinæ tum actionum in Iudæa & Samaria, & usque ad extrema terræ. Ioannes Euangelista subinde repetit se testimonium ferre pro ueritate.

Testibus quomodo credendũ.

Cæterum ex præcepto decalogi de non dicendo testimonio iniquo. Præterea ex sententijs & exemplis scripturarum, in quibus domesticorum & externorum, uerorum atque falsorum testium fit mentio, non difficile est colligere, qualibus, quomodo, quando, quousque fides haberi debeat. Neque necesse est ex officinis Rhetorum commemorare, qualia pro testibus, aut contra testes artificiosè & callidè dici queant. In tractationibus Theologicis simplex & aperta oratio primas semper tenebit. Adhiberi uerò possunt huiusmodi probationes ad omnia concionum genera.

RVMOR.

INfirma sanè à Rumore siue Fama ducitur probatio, & tamen inuenitur etiam scripturis usitata ad Romanos 1. capite, congratulatur & confirmat

mat eos Apoſtolus (quod pertinet ad genus Inſtitutiuum) cum ait ſe gratias agere Deo pro omnibus illis, quod fides ipſorum toto mundo annunciaretur Similiter ad Epheſeos & coloſſenſes ſcribens fatetur ſe plurimum gaudere dum audit illorum celebrari fidem. Luce capite quarto, & alibi frequenter legimus longe latèq; peruagatam famam de doctrina ex operibus Chriſti. Non ſine iudicio audebit aliquis à Rumore quippiam comprobare, niſi alia quoque accedant qui fidem facere poßint.

IVSIVRANDVM.

AD dogmata comprobanda minimè opus eſt iuſiurandum interponi, cum horum ueritatem ac certitudinem ex fontibus ſcripturarum oporteat peti. Si quid autem incidit de negotijs & euentibus humanis non immeritò, ſi ita res poſtulet iureiurando eos quibus cum agimus faciemus certiores. Ad Romanos capite primo. Teſtis mihi eſt Deus quem colo Spiritu meo in Euangelio filij ipſius, quod indeſinenter mentionem ueſtri faciam in præcationibus meis. Ac Deus ipſe inuenitur quædam iureiurando confirmaſſe. Notandæ ſunt in ſcripturis formulæ iuriſiurandi diuerſæ, ut, Viuit Deus. Teſtis ſit mihi Deus. Deum inuoco teſtem in animam meam &c.

Quando utendum iureiurando.

Formulæ iuriſiurandi.

TABVLAE.

Tabu-

Quid sint tabulæ.

TAbularum nomine intelliguntur scripta siue de publicis siue de priuatis actionibus, negocijs, expensis, & id genus alijs quæ olim solebant tabellis ceratis consignari, uidentur huc pertinere quæ de Apostolo Act. 9 & 22. legimus, accepisse uidelicet eum epistolas & mandata scripta, à principe sacerdotum, ad persequendos omnes doctrinæ Christi sectatores, Et 2. ad Thessalon. capite tertio. Iubet Apostolus notari per epistolam si quis sermoni ipsius non obediret. Lucæ 1. Zacharias in tabellis scripsit placere sibi ut filio nomen inderetur Iohannis.

Alias uerò tabularum non perinde est usus in Theologia, ut in iuris prudentia. Nisi quis fortè uelit scripta omnia prophetica & Apostolica pro tabulis agnosci, ex quibus probationes firmæ sumantur. Eò quod illa sint ueluti commentarijs, in primam & celebratissimam, illam tabulam Decalogi digito Dei conscriptam : Verum hoc pacto idem propè erit is locus à tabulis quemadmodum alias appellauimus pronunciatorum.

PRAEIVDICIVM.

Quid sit præiudicium.

RAtiocinamur à præiudicio, ubi de rè aliqua dubia pronunciare uolentes expedimus, & sequimur iudicium, quod antea per alios de eadem aut simili relatum est. Lucæ 6. Pharisæi accusabant discipulos Christi, quod Sabbato iter facientes per

Exemplum.

sata

sata, uellerent spicas, Quid facitis, inquiunt, quod non licet facere sabbatis? Respondens Iesus ad eos dixit. Ne hoc quidem legistis quod fecit Dauid (1. Samuel 21.) cum esurisset ipse & qui cum illo erant, quomodo intrauit domum Dei & panes propositionis sumpsit, editq;, ac dedit etiam his qui secum erant, quos non licet edere nisi tantum sacerdotibus. Vbi proponitur non tantum Dauidis uerum etiam ipsorum sacerdotum de casu necessitatis iudicium.

Cæterum exempla omnia, itemq; responsa prophetarum atq; Apostolorum de rebus ambiguis, & obscuris, præiudiciorum uice potest accipi, ut ea quotiescunq; nobis de similibus negocijs respondendum est tutô sequamur. Itaq; minimè opus est de his dicamus plura.

QVAESTIONES.

Quæstionum siue tormentorum fit quidem mentio Actor. 22. ubi Tribunus iubet Paulum captum induci in castra, & flagris mandat eum examinari, ut sciret propter quam causam Iudæi sic ipsi acclamarent. Verum an utendum hac ratione ad probandamq; confirmandamq; ueritatem doctrinæ, nusquam legitur in libris sacris. Itaq; quicquid huius est generis, foro atq; iudicibus relinquetur.

Visum fuit hunc in modum, paucula de locis rerum Inartificialibus adnotare. Adijciamus nunc pari breuitate nonnulla de locis personarum.

LOCI PERSONARVM.

Loci personarum plerumq; numerantur huiusmodi.

Natio. Genus. Nomen. Sexus. Aetas. Aeducatio. Habitus corporis. Conditio seu genus uitæ. Fortuna. Animi natura. Res gestæ. Mors. Quæ mortem consecuta.

Vberem de his omnibus locis suppeditat scriptura materiam cum de personis sermo incidit, & quidem in omni propè concionum genere.

NATIO.

Iudæi simpliciter sibi uendicarunt laudem cognitionis rerum diuinarum atq; synceræ religionis. Deuter. 4. Hinc uerò in genere Institutiuo subinde excitantur ad studium ueræ pietatis. In genere autem Correctorio reprehenduntur ob pietatem neglectam, quemadmodum licet uidere ad Roman. 3. Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in Lege & gloriaris in Deo, & cæt. Græci & Samaritani sæpenumero improbantur ceu à recta religione alieni. Actor. 21. Criminis loco impingitur Apostolo quod Græcos in templum induxerit. 1. Cor. 1. scribit Apostolus, Græcos poscere ut Euangelium comprobetur humanæ sapientiæ rationibus : Iudæos uerò intentos esse in signa ac prodigia, & neutros ea in parte rectè facere significat. Ioan. 4. & 8. Legimus Samaritanis non conuenire cum Iudæis, & Christum magno

Iudæi.

Græci.

Samaritani.

contemptu

contemptu Samaritanum appellatum. Paulus ad Titum 1. Cretenses pro ingenio gentis uult duriter obiurgari. Itaque liquet neruosas ac firmas probationes à natione duci posse.

Cretenses.

Eodem autem modo & de patria feretur iudicium. Ioa. 1. Erat autem Philippus à Betzaida ciuitate Andreæ & Petri, Reperit Philippus Nathanael & dicit illi: De quo scripsit Moses in lege & prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph Nazarenum. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest boni aliquid esse? Interea euincunt Euangelistæ Christum ea in patria debuisse nasci, iuxta prophetarum oracula.

Patria.

GENVS

TRibus sicut & familiæ non rarò faciunt scriptores sacri mentionem, idque non solum quia distributa erat Iudæis terra secundum tribus habitanda, uerùm etiam ut Leuitæ qui religionis tractationi erant præ cæteris destinati, atq; per omnes tribus sparsi, internoscerentur, præcipuè uerò ut censeri possent familiæ, ex quibus trahere originem promissus seruator Christus debebat.

Cur tribuum mentio fiat in scripturis.

Pertinet huc quod prophetæ in operum suorum inscriptionibus tribum, atque familiam ex qua nati erant memorant, & Nehemiæ capite septimo, qui generationis suæ lineam non poterant ostendere, repudiati sunt ne sacerdotio fungerentur. Item Matthæi capite primo & Lucæ tertio,

Christus.

tertio capite, linea siue genealogia Christi texitur, ut iuxta propehtarum uaticinia, atque Dei pro-
Paulus. mißiones, ex Abrahamo, ex tribu Iuda, ex familia Dauidis natus demonstretur. Paulus ad Philippenses capite tertio, profitetur se Tharsi Ciliciæ natum, & à tribu Beniamin: Actorum capite uigesimo tertio, asserit se Pharisæum & filium Pharisæi.

NOMEN.

ALiquoties probationes ducuntur ex ratione proprij nominis. Exempla nonnulla ex posuimus cum de definitione nominis ageremus. Quamobrem operæprecium non est hic repeti.

SEXVS.

IVditium 4. & 5. Sisera dux fortißimus exercitus Iabin à muliere Iaele superatur. Siquidem
Mulier, hæc caput dormientis clauo per tēpora affixit terræ. Illustrior fuit propter hanc circumstantiam Israelitarum uictoria. Videtur & Christus in sexu muliebri mirari & commendare eximiam fidem ad Cananeam Matthæi 15. dicens, ô mulier magna est fides tua. Et respectu sexus dictum est à Petro 1. Epist. cap. 3. uiri cohabitent secundum scientiam uelut infirmiori uasi mulieri impartientes honorem. 1. Corinth. 11. & 1. Tim. 2. & alibi quædam tam uirorum quam mulierum describuntur officia, à sexus ratione utcunque æstimandi.

AETAS.

1. *Samuelis* 17. *Dauidi offerenti se ad singulare certamen ineundum cum Goliath Philistæo, obijcitur quòd puer esset planè imbellis. Ita reprehenditur. Sed quando idem uicit Philistæum aucta est uehementer Israelitarum gloria. Luc.* 2. *Stupebant omnès super intelligentia & responsis Christi in templo factis, cum duodecim tantum esset annorum.* Puer.

Et in genere Didascalico ad Roma.4. *amplificatur fides Abrahami ab ætate quæ uidebatur ad gignendum inepta. Ac non infirmatus fide, haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, cum centum ferè natus esset annos, nec emortuam uuluam Sare, &c.* Senex.

Sunt sua cuique ætati decora & ornamenta. Sic Salomon adhuc iuuenis etiam existens, tulit egregium iudicium. Similiter Daniel ipse iuuenis adhuc multa præclara gessit. Sic etiam Paulus non dubitauit Timotheum Iuuenem adhuc præficere Ecclesiæ amplissimæ Ephesiorum.

EDVCATIO.

1. *Samuelis* 2, & 3. *Educatio & institutio Samuelis ea describitur, ex qua colligi poterat magnum illum futurum in sua Republica. Paulus Apostolus Acto.* 22. *suam tueri uolens integritatem atque innocentiam, uitæ omnis anteactæ reddit rationem. Ego, inquit, sum uir Iudæus, natus in* Samuel. Paulus.

Tharso Ciliciæ. Cæterum educatus in hac ciuitate ad pedes Gamalielis, institutus accuratè in patria lege, sectator Dei, sicut & uos omnes estis hodie.

Timotheus. 2. Tim. 1. Vbi commonefactus fuero eius quæ est in te non simulatæ fidei, quæ habitauit primum in auia tua Loide, et matre tua Eunica: certum autem sciò quod in te quoq;. Et cap. 3. persistrio in his quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à pueritia sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem.

HABITVS CORPORIS.

David & Goliath. 1. Samuelis 17. Dauid & ruffus & decoro aspectu describitur. E diuerso Goliath robustus procera statura, habens in altitudine sex cubitos & palmum. Huiusmodi autem hominem debellari ab illo humili et contempto multò fuit præclarißimũ.

Saul. 1. Samuelis 10. Saul designatus rex eminet super omnem populum ab humero suo & supra. Nec erat similis illi.

Absolon. De Absolonis forma atq; eius cesaria 2. Samuel 14.

CONDITIO SEV GEnus uitæ.

1. Regum 11. generis Correctorij est quod re-

Ieroboam. fertur, propter peccata Salomonis Ieroboam humilis conditionis hominem, quiq; Salomoni pridem

ser-

seruierat, occupasse regnum decem tribuum. Ad genus Didascalicum & Institutiuum pertinet illud 1, Cor. 7. circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Vnusquisq; in ea uocatione in qua uocatus fuit maneat. Seruus uocatus es non sit tibi curæ. Sunt & hæc inter uitæ genera. Quòd Cornelius homo pius fuerit centurio cohortis Italicæ Act. 10. Quod Lucas fecerit medicinam ad Col. 4. Quod Paulus apost. et Aquila fuerint σκηνοποιοὶ Acto. 18.

Vocatio cuiusque propria.

FORTVNA.

PER fortunam intellige opes, honores, dignitates, amicitias & horum contraria. 1. Cor. 1. in genere Didascalico ubi docet ac probat magnam esse inter Euangelium & sapientiam huius mundi discrimen. Videtis uocationem uestram fratres, quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quæ stulta erant secundum mundum, delegit Deus ut pudefaceret sapientes: & quæ erant imbecilla in mundo delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta: Et quæ erant ignobilia in mundo contemptaq;, delegit Deus, & ea quæ non erant, ut ea quæ sunt obliteraret, ut ne glorietur ulla caro corā illo Iacob. 2. in genere institutiuo plurib. ostēditur, non esse habendā fidem Iesu Christi cū respectu personarum, et diuiti splendida ueste induto mul-

Quid hic sit fortuna.

Quæ contempta sunt Deus elegit.

Personarū respectus.

tos honor deferatur, homo autem pauper negligatur uel eijciatur. Consolatoria sunt simulq; ad Euangelij commendationem magnoperè faciunt, quæ 2 Co. 4. leguntur de piorum apost. adflictionibus, ac mirabili eorundem liberatione ac conseruatione. Habemus thesaurum hunc, inquit, in testaceis uasculis, ut ueritatis eminentia sit Dei, & non ex nobis. Dum in omnibus premimur, ac non anxij reddimur. Laboramus at non destituimur, &c. Non est difficile plura huius generis inuenire exempla, atq; pro ratione eorum quæ fœlicem uel infœlicem successum significant, certas inde probationes colligere.

ANIMI NATVRA.

AD animum pertinent scientia, ignorantia, sapientia, stultitia, fortitudo, pusillanimitas, modestia, immodestia. Item esse mitem, placidum, tractabilem, & esse durum, difficilem, morosum. Suntque aliæ quædam animi affectiones mutabiles, nec diu permanentes. Veluti cum quis lætus est, tristis, iratus : aliæ uerò immutabiles, perpetuò inhærentes, & quasi ingenitæ.

Quæ sit animi natura.

Genes. 30. Abraham ad regem Abimelech : Dixi fortè non est timor Dei in loco isto, & interficient me causa uxoris meæ. Numer. 12. in genere Institutiuo, Moses erat omnium hominum mansuetissimus : non perturbatur igitur Aaronis & Marie obtrectatione. Christus Matthæi 11. in codē

Exempla.

Mosis.

Christi.

genere. Discite à me quod mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Matth. 25. Seruus qui unum talentum à Domino acceptũ defoderat: Noui, inquit, quod homo durus sis, metens ubi non seminasti, & inde congregans ubi non sparsisti, ac territus abij, abscondique talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est.

RES GESTAE.

LAtè patent res gestæ, & non tantum facta, uerum etiam rectè uel secus dicta comprehendunt. 1. Samuel. 17. Dauid commemoratione rerum à se ante gestarum docet, sperandum quod Philistæum quoque posset opprimere. Leonem enim arripuit atque interfecit: similiter occidit ursum. Quid ni igitur & Philistæum Goliath conficeret? Dauid.

Ac potest sanè ex rebus gestis quæ in scripturis paßim referuntur sumi multiplex doctrina siue dogmata, siue redargutiones, institutiones, correctiones, consolationes. De historia de fide Abrahami quàm multa et præclara eruit documenta Apostolus cum alibi tum in Epistola ad Romanos. Est & hoc obseruandum, cum piorum siue impiorum expenduntur facta, considerari debere in illis tum causas, tum singulas circumstantias: quandoquidem uariam probationum materiam suppeditant. Nec uerò hæc argumentandi ratio à rebus gestis multum discrepat ab ea quæ est ab exemplis.

Vtilitas huius loci.

Quid spectandum in rebus gestis.

MORS.

GEnus mortis ſubinde notatur, eſtq; eadem uia calcanda omnibus tam pijs quàm impijs. Et illis perinde atque his uidemus modò lætos & fælices exitus, modò triſtes & calamitoſos contingere. Vnde & communiter de utriſque ſcriptura teſtatur, quod dormiuerint cum patribus ſuis. Proinde ſi quis ex ratione mortis iudicium uelit facere de hominis pietate, uel impietate, uehementer is aberrat. Siquidem & ſancti uiri leguntur aliquando acerbis ſupplicijs uitam finiſſe, non tamen propterea fas eſt pronunciare fuiſſe illos ſceleratos. Vnde ad Hebr. 11. dicitur, ſanctorum hominum alios fuiſſe diſtentos, aſpernatos tamen redemptionem, ut potiorem ſortirentur reſurrectionem. Alios rurſus ludibrijs & flagris exploratos, inſuper & uinculis & carcere, præterea lapidatos, diſſectos gladio occiſos, mundum autem illis fuiſſe indignũ. Et in diſputatione Hiobi itemq; alibi diffuſè monſtratur, non protinus reiectos eſſe à Deo, qui hic puniuntur, imò uero eos quos Deus præ cæteris diligit, ante alios caſtigari, atq; filiorum haberi loco. Proinde de probitate uel impietate hominum qui uult certi quidpiam definire, nõ ſpectabit ipſam mortem, ſed alia potius, quæ aut præeunt plerumq;, aut ſequuntnr. His conſideratis non difficilè eſt probationes quamcunq; in partem digerere.

Ex morte non eſt de pietate hominis iudicandum.

QVAE MORTEM SVNT Consecuta.

2. Samuelis 18. Absolon suis crinibus pendens ex ramo arboris hasta est confossus: abreptus deinde in syluam, atq; in amplam fossam proiectus, in quem coniestus est, erectusq; aceruus lapidum. Additur nunciatam mortem patri, hunc miris adfectibus filij casum deplorasse, &c. Ex his probationes licet colligere de magnitudine peccati, atq; poenis eorum qui contra quintum praeceptum contemnunt parentes, & alia quaedam huiusmodi, Acto. 5. Petrus orationem habet de Iuda, in qua narrat suspensum crepuisse medium, proditionem eius innotuisse omnibus, agrum emptum pecunia quam ille restituerat, alium debere in ipsius locum eligi, uaticinium de eo extare in libro Psalmorum. Actorum 7. describitur mors D. Stephani, & cap. 8. cura piorum atq; planctus ob illius mortem. Luculentißimum uerò exemplum habemus. Lucae 16. de his quae acciderunt diuiti epulon à morte, & quae Lazaro pauperi, ex quo ut multiplex doctrina, ita probationes, siue argumenta uaria ad quoduis Concionum genus trahi possunt.

Absolon


Iudas.

Stephanus

Diues epulo & Lazarus.

Complexi sumus locos praecipuos personarum si alij quidam à nonnullis adnumerantur, per facilè est uidere ad quos ex ijs quos recensuimus adiungi debeant. Neq; necesse fuit hosce fusius à nobis explicari, cum aliarum disciplinarum professores de his diffusè disserant.

LOCI RERVM EXPETENDARVM SIVE FVGIENDARVM.



ESTANT loci Rerum expetendarum & fugiendarum, sic appellati, quod ijs ad expetendum uel fugiendum quippiam animi hominum inducuntur. Atq; ad expetendum quidem conducit proponere quod aliquid sit, Honestum, Vtile, Poßibile, Facile, Necessarium. E diuerso autem si docere libet aliquid esse fugiendum conferent huc isti loci, Inhonestum, Inutile, Impoßibile. Difficile, Non necessarium. Et cum in hisce duobus generibus spectetur contrarietas, consequitur eum qui unum genus nouit, etiam alterum nosse Quocirca compendij causa utrunq; genus coniunctim à nobis pertractabitur. Atq; est reuera in omni concionum genere non paruus horum locorum usus.

HONESTVM ET INhonestum.

Honestum quid.

HOnestum sumitur ex quauis uirtute ob cuius actiones laudem, honorem, decus, gloriam quis adipiscitur. Itaque omne id in quo aliquid quod cum prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine uel alia quauis uirtute coniunctum est, aliquo usq; elucet,

elucet, ad probationem ab honesto assumi potest Luc. 14. in genere correctorio pariterque Institutiuo, Christus uidens quomodo inuitati quidam primos accubitus eligerent, ita concionatur ut demonstret, eos qui ultrò primum locum sibi uendicant, si iubeantur alijs dignioribus cedere, magno pudore affici & dedecore: econtra qui humili loco consederint, cum iubentur altius se conferre, honore affici & gloria. Ratio igitur est ab honesto, qua docet unumquemque ab ambitione debere esse alienum, atque etiam humili loco contentum. Atq; alludit opinor Christus ad id quod legitur Prouerb. 25. In loco magnorum ne steteris. Melius enim est ut dicatur tibi ascende huc, quàm ut humilient te.

Exemplũ in genere Correctorio

Institutiuo

1. Corinth. 7. Apostolus in genere Institutiuo & Didascalico de coniugio, aut cœlibatu libero unicuique permittendo, uerba faciens, tandem iubet potißimum considerari quod honestum est, atque ad pietatem accommodum. Hoc autem, inquit, ad id quod uobis conducibile est, dico, non ut laqueum uobis inijciam, sed ut, quod honestum & decorum est, sequamini, & adhæreatis domino absque ulla distractione. Et 1. Corinth. 11. in genere Institutiuo, quo pacto tàm uiri quàm mulieres in sacro cœtu se gerant, argumentis diuersis ab honesto & inhonesto probat. Omnis uir orans aut prophetans, quicquam habens in capite suo, probro afficit caput suum: omnis uerò mulier orans aut prophetans non uelato capite, dehonestat caput suum. Nam

Exemplũ in genere Institutiuo et Didasc.

Aliud in genere Institutiuo.

pluribus uerbis docet quomodo hoc inhonestum foret, atq; etiam à natura ipsa alienum.

Breuiter quotiescunque occurrit probatio aliqua ad doctrinam, redargutionem, institutionem, correctionem, consolationem, instituta, eademque sumitur à uirtutis alicuius proprietate, uel uicij detestatione: item ab officio quod pro ratione personarum sexus, ætatis, conditionis locorum, temporum, uel aliarum circumstantiarum præstari debet, rectè dixeris ab honesto aut per contrarium ab inhonesto esse sumptam.

VTILE ET INVTILE.

Bona uaria nobis proponuntur.

VTilitas in Theologia in multa spargitur, sicut in scripturis uaria proponuntur credentibus expetenda & expectanda bona. Sunt bona spiritualia interna, & utilia conscientijs, ut studium uerbi Dei, doctrina siue cognitio ueritatis, fides, patientia. Sunt & bona corporalia externaque, utilia imò necessaria uitæ nostræ hic sustendandæ, ut facultates, domus, horti: tum uitæ genera, amicitia, & id genus quibus humana societas carere nequit. Ad hæc sic acquirenda sunt bona, & cum acquisita fuerint dispensanda, ut ad amplificationem gloriæ Dei: ad commoditatem nostram: deinde ad aliorum utilitatem omnia conuertamus. Postremò quædam utilitatem adferunt tantum in præsenti uita, ut bona ista appellata fortunæ, Item spes:

Bonorum usus.

quædam

quædam & ad præsentem & ad futuram uitam conducunt, ut abnegatio suijpsius, ac desertio facultatum propter Euangelium Iesu Christi charitas, pietas. Ergo quandocunque his modis, uel ad hæc res quepiam aliquid prodesse inuenitur probationem ab utili sumi inde posse intelligemus. Contraria autem ratione iudicium feramus oportet de probationibus ab inutili, damnoso siue periculoso. Quin etiam ex ratione circumstantiarum decet nonnunquam rei cuiuspiam utilitatem æstimari.

Exempla in genere Didascalico & Institutiuo.

Generis Didascalici & Institutiui est, quod 2. Timoth. 3. Apostolus sacras scripturas diligenter legi iubet, earundem proposita utilitate. Omnis scriptura, inquit, diuinitus inspirata, est utilis, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus, 2. Tim. 4. in genere Didascalico & Institutiuo confert corporalem exercitationem cum uera pietate, & quo loco utraque haberi mereatur ostendit. Exerce, inquit temetipsum ad pietatem. Nam corporis exercitatio paululum habet utilitatis. At pietas ad omnia utilis est: ut quæ promißiones habeat uitæ præsentis ac futuræ. Matth. 19. Christus in genere Didascalico & Institutiuo. Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrē, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meū centuplū accipiet, & uitæ æternæ sortietur

tur hæreditatem. Petrus 1. epist. 3. cap. in genere Institutiuo synceriter, candidè, & prudenter agendum apud homines, probat ex Psal. 34. Qui uult uitam diligere & uidere dies bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum. 2. Corinth. 9. Corinthios instituit Apostolus ut liberaliter dent pauperibus, ratione ab utili, quã & confirmat uerbis Psal. 112. potens est Deus efficere ut totum beneficium in uos exuberet, ut in omnibus omnem sufficientiam habentes, exuberetis in omne opus bonum, quemadmodum scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum.

Inutile. Sic uero & ab inutili, damnoso siue periculoso paßim argumenta inuenias: 2. ad Tim. 2. in genere institutiuo, stultas & ineruditas quæstiones respue, sciens eas parere pugnas. Ad Heb. 11. Non esse scortandum helluandumue, non debere nos esse prophanos, dona siue benedictionem Dei negligere probatur commemoratis damnis, quæ propter eiusmodi peccata pertulit Esau, qui cum unico edulio, Genes. 25. permutasset ius primogenituræ, postea cum uellet hæreditario iure benedictionem assequi, reprobatus est. Plura eius generis exempla habes 1. ad Cor. 10.

POSSIBILE ET IMpoßibile.

Quæ sint poßibilia. QVæ supra uires sunt posita, ea frustra mandantur uel suadentur suscipienda. Cæterũ

cum

cum de rebus diuinis in Theologia agitur, obseruandum est quæ uiribus nostris perfici nequeunt, possibilia tamen reddi uirtute Dei nobis auxiliante. Itaque Marc. 9. inquit Christus: omnia possibilia sunt credenti. 2. Corinth. 4. Si ad aliquid idonei sumus id ex Deo est. Ad Romanos 10. in genere Didascalico, Paulus de discrimine inter iustitiam legis, quā Iudæi amplectebantur, & iustitiam fidei, quæ proponitur in Euangelio, differens illam quidem, ut aliquis assequatur, ostendit impossibile, hanc uerò possibile. De impossibilitate iustitiæ ex lege sic habet. Moses scribit de iustitia, quæ est ex Lege (Leu. 18. Quod qui fecerit ea homo uiuet per illa. Significat nimirum, quemadmodum impossibile est legem exactè nostris uiribus præstari, ita impossibile esse, ut per eam quis iustificetur. Mox autem per fidem posse iustitiam contingere, hisce declarat uerbis. Cæterum quæ ex fide est iustitia ea sic loquitur: ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum. Hoc est Christum ex alto deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te uerbum est in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est uerbum fidei, quod prædicamus: Nempe si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem.

De iustitiæ possibilitate & impossibilitate.

In genere Institutiuo 1. Pet. 1. Quemadmodum

De sanctitate.

dū is qui uos uocauit Sanctus est, ita ipsi quoq; sancti in omni conuersione reddamini, propterea quod scriptum est sancti estote, nam ego sanctus sum. Vbi priori quidem membro inest ratio ab exemplo, uerum in posteriori alia subijcitur ratio à facili, seu poßibili. Declarat namque per sanctitatem Dei, etiam nos posse sanctos effici. Oportet namque rationes distingui hunc in modum: maximè cum Deus ipse uerba illa sic interpretetur, Leuitic. 29. dicens, Sanctificamini & estote sancti, quia ego sum Dominus Deus uester, Custodite ceremonias meas, & facite eas, ego sum Dominus sanctificans uos. Sententia igitur est, ope, ac uirtute Dei sanctificari nos posse.

De tentationibus ferendis.

Ad consolationem pertinent illa ad Rom. 8. Spiritus auxiliabitur infirmitatibus nostris. &c. Item 1. ad Cor. 10. ubi hortatur Apostolus pios, ut constantes sint, nec uincantur tentationibus, quibus irritantur ad peccandum. Iubet autem bono esse animo, addita ratione, quod Deus uires sit additurus ad resistendum. Tentatio uos non cœpit, nisi humana. Sed fidelis est Deus, qui non sinit uos tentari supra id quod potestis. Imò faciet una cum tentatione euentum, quò poßitis sufferre.

FACILE ET DIFFICILE.

Facilitas ostendit modum, quo quid expeditè, & sine molestia perfici queat.

1. Cor. 16. in genere institutiuo, de conferen-

dis Eleemosynis in una Sabbatorum unusquisque uestrum apud se ponat, recondens quicquid commodũ fuerit, ne cum uenero collationes fiant. Et in 2. ad Corin. docet donandum esse ex eo quod super est, siue abundat, & ne ipsi præmamur inopia. Non multum distinguitur hic locus ab antecedenti, quare minimè opus est pluribus hic agamus.

NECESSARIVM ET NON Necessarium.

NEcessarium uocant modò quod facere uel inuiti cogimur, nisi in grauiora uelimus incidere pericula: modò quod ita se habet, ut ex alio sequatur, & uitari non queat. Prioris formæ exempla sunt hæc. In genere Didascalico quòd eos qui fidem suam in Christum testari uolunt, oporteat Baptismi signaculũ accipere, mensæ item Domini participes fieri, hoc pacto probat Christus à Necessario Ioan. 3. Nisi quis natus fuerit ex aqua, & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Ioa. 6. Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis. 1. Cor. 9. In genere Institutiuo: unumquemq; debere suæ uocationis fideliter obire munus. Bonum est mihi mori potius, quàm ut gloriationem meam aliquis inanẽ reddat. Etenim si Euangelizen non est quod glorier, necessitas enim mihi incũbit.

Necessarij duo genera.

Exempla primi generis.

Væ autem mihi est nisi Euangelizem. Nam si uolens hoc faciam præmium habeo. Sin inuitus, dispensatio commissa est mihi.

Luc 13. Christus concionatur de pœnitentia. Atq; asserit futurum, ut qui anteactorum criminum pœnitentia non ducuntur pereant, quemadmodum illi decem & octo, quos sua ruina attriuit turris Siloach, uel Galilæi affecti supplicio, quorum sanguinem Pilatus ipsorum miscuerat sacrificijs. Ad Philip. 1. demonstrat Apostolus ut in uiuis maneat expedire. Id autem non sua, sed aliorum, & inprimis Philippensium causa necessariũ esse, Coarctor enim ex his duobus, desiderans dissolui, & esse cum Christo, multò longeque melius est. Cæterum manere in carne, magis necessarium propter uos. Et hoc certo scio, quòd mansurus sim, & cum omnibus uobis permansurus sim, in uestrum profectum & gaudium fidei.

Posterioris formæ exemplum huiusmodi est in genere Didascalico Matth. 6. Luc. 16. Nemo seruus potest duobus Dominis seruire. Sequitur ratio à necessario: Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet, Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Ad Heb. 9. in genere Didascalico de Testamenti noui per Christi mortem confirmatione. Ob id noui Testamenti conciliator est, ut morte intercedente ad redemptionem earum præuaricationum quæ fuerant sub priori testamento, ij qui uocati sunt promißio-

Exempla secundi generis.

mißionem accipiant æternæ hæreditatis. Siquidem ubi teſtamentum eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris. Nam teſtamentum in mortuis ratum eſt, quandoquidem nondum ualet cum uiuit teſtator.

Satis ſuperque de locis actum à nobis eſſe confido. Si probationes uſquam occurrunt, ab ijs quas enumerauimus aliquantum diuerſæ, reducere eas ad formas hactenus explicatas facile quiuis poteſt. Admonemus autem omnes rerum diuinarum ſtudioſos ut cum libros ſacros ullos legunt, præcipuè uerò conciones ac diſputationes prophetarum, Chriſti et Apoſtolorum, adſueſcant diligenter notare, tum concionis cuiuſq; genus, tum argumentorum incidentium diuerſas formas, certus ſum ubi pluſculũ accreuerit iudicij, non erit id difficilè, multò autem minus in inſumpti laboris nunquam pœnitebit.

RATIO COLLIGENDI

Plures probationes ex una eademq; ſcripturæ ſententia. Et quot modis id rectè fiat.

Polliciti uerò ſumus præſentis operis initio, nos etiam demonſtraturos, quomodo ex una eadẽq; ſacræ ſcripturæ ſententia ſumi argumenta ſiue plures probationes commodè queant. Quod ſanè ut

non paruæ est industriæ, ita utilitatem parit longè maximam: ac dici non potest, quàm sit huius rei cognitio, ei qui serio uolet Theologicari necessaria.

Vtilitas huius rei.

Primum efficit ut in scripturarum lectione simus ubique multò quàm aliàs essemus oculatiores, & mira attentione singula conemur expendere. Secundò excitatur uigor animi, simulq; iudicium supra quam credi poßit, acuitur, augetur, & confirmatur. Tertio deducit nos hæc diligentia ad scripturarum intimos recessus perlustrandos, atq; remotis omnibus scrupulis, uel erroribus, natiuam ac ueram pandit intelligentiam. Quartò quisquis rationem hanc colligendi plures probationes ex una scripturæ sententia fuerit assequutus, nunquam destituetur materia, ad copiose & eruditè de rebus religiosis dicendum disputadumue. Pinguis ager scripturarum, peritis & non ociosis cultoribus, omni tempore faciendum segetem atque messem subministrat. Quintò ac postremò ut methodicè & fructuosè doceas, & quidem ad imitationem prophetarum atq; apostolorum, hæc una ratio est uel maximè idonea, Exempla quæ paulo post de scripturis sumpta & secundum Apostolorum mentem explicata subijciemus, uera esse quæ dicimus, fidem faciant.

Trifariam ex una sententia plu-

Tres autem sunt formæ quibus ex una eademq; sententia sacræ scripturæ probationes plures erui aptè possunt. Prima est cum tam sententia quam

uerba acuratè expenduntur, & colliguntur inde probationes, uerum ad diuersa concionum genera referendæ, ita nimirum, ut una probatio confirmet aliquid pertinens ad doctrinam, alia uerò quod ad redargutionem, alia item quod ad institutionem, uel quod ad correctionem, alia denique quod ad consolationem momentum haud paruum adfert. Secunda forma est, cum ex una aliqua sententia, & ex singulis propè uerbis siue membris eius, uaria ducuntur argumenta, sed ad unum idemque genus concionis, siue ad idem tantum negocium stabiliendum directa. Cuiusmodi est si quis unam sententiam proponat, & ex ea uarias decerpat probationes, ad demonstrandum, quod homo coram Deo iustitiam adipiscatur ex Fide Quod omnes sine exceptione parere magistratibus debeant. Tertia forma est, cum ablato themate tractando, uel etiam sententia scripturæ explicanda, præfiguntur certæ quæstiones, atq; ductu locorum, qui singulis substituuntur quæstionibus diuersa excogitantur argumenta, quæ rei naturam siue negocium quo de agitur, abunde explanat. De his tribus modis quoadfieri dabitur quædam ex sacris literis proferemus.

res probationes colliguntur.

Quomodo ex sententia vna plures ducantur probationes, ad diuersa concionum genera pertinentes.

Contingit nonnunquam sententiam aliquam ex ueteri testamento, recitari in Testamento nouo, & quidem saepius, atq; diuersis locis. Deprehendimus uerò bifariam, siue duos ob fines id fieri: modò quidem ut ubique eadem adstruatur doctrina: modò uerò ut ex proposita sententia, alibi alia & multiplex doctrina excerpatur.

Eadem sententia in eundem finem saepe adducta.

Prioris generis exempla haec sunt. Abacuc 2. Iustus ex fide uicturus est. Recitatur uerò haec sententia ad Roman. 1. Gal. 3. Hebr. 10. Sed ubique hoc unum agitur, comprobatur nimirum dogma de hominis per fidem iustificatione. Psal. 118. Lapis quem reprobrauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Vsurpat haec uerba Christus Matthaei 21. & Marc. 12. Atque ab utroque Euangelista eadem describitur concio. Rursus autem profert eadem Petrus Actor. 4. & 1. Pet. 2. Ita uerò ubique applicantur ad institutum, ut in genere Didascalico demonstretur, olim praedictum fuisse à prophetis, nunc uerò id perfectum, ut Iudaei Christum reprobent siue reijciant, quam ob causam ijdē iustè quoque à Deo reijciuntur. Quicunque autem fide amplectuntur Christum salutem assequuntur aeternam. Item Isa. 6. legimus, Auditu audietis & non intelligetis. Repetuntur haec uerba primum à Christo Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8. ubi semper eadem tractatur historia. A Paulo act. 28. & Rom. 9. Omnibus autem locis apponuntur, de Iudaeis nolen-

lentibus placidè audire Christi doctrinam. Occurrunt & alibi plura huiusmodi exempla.

Hunc autem in modum cum eadem sententia inuenitur diuersis locis reposita, & uno tantum modo ubique enarrata, admonemur ut obseruemus prophetarum, Christi, Apostolorum & Euangelistarum admirabilem concordiam, ex qua certò deprehendere licet, uno eodemque Dei Spiritu, omnes librorum sacrorum autores fuisse afflatos et locutos.

De posteriori autem genere, quod nimirum una sententia diuersis locis diuersos ad fines profertur, sunt hæc exempla. Genes. 2. ita legimus, Masculum & fœminam creauit eos. Et propterea dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Iam uideamus quám sæpè & quot modis ducantur ex his probationes. Primum recitantur Matthæi 19. & Marc. 10. Vbi probat Christus in genere Didascalico, non ita temerè permittendum esse quauis ex causa diuortium, uti Pharisæi, nimium hac in parte audaces, definiebant. Expendit autem Christus illa præcipuè uerba, Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Ex quibus raciocinando sic colligit, Non iam sunt duo, sed una caro. Quod igitur Deus copulauit homo ne separet. Secundo recitantnr ab Apostolo 1. Cor. 6. ubi in genere Correctorio (siquidem obiurgat atq; à scortatione conatur abdu-

Eadem sententia ad fines diuersos citata.

2. Contra scortatio-

cere) sic argumentatur. An nescitis quod corpora uestra mẽbra sunt Christi? Nũ igitur tollens membra Christi faciam scorti membra? Absit. An nescitis quod qui agglutinatur scorto, unum corpus est? Redigentur enim inquit, duo in carnem unam. At qui conglutinatur Domino unus spiritus est. Tertio profert Apostolus eadem uerba ad Ephesεos

5. De amore coniugij.

5. persuadere nimirum cupiens, in genere Institutiuo, maritos debere amore ac fide indissolubili complecti uxores. Sic, inquit, debent uiri diligere suas uxores, ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam uxorem seipsum diligit. Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, imò enutrit, ac fouet eam, sicut & dominus Ecclesiam. Quoniam membra sumus corporis eiusdem, ex carne eius, & ex ossibus eius. Huius rei gratia, relinquet homo patrem & matrem, & adiungetur uxori suæ, atque è duobus fiet una caro. Mysterium hoc magnum est, uerum ego loquor de Christo, & de Ecclesia. Quo loco uelut aliud agens, et tamen non extra causam, eorundem uerborum præsidio adstruit Apostolus, Christũ dilectione maxima prosequi suam Ecclesiam. Quod dogma non rarò in scripturis inculcatur. Animaduertis igitur ex eiusdem sententiæ paucis uerbis educi probationes, quarum aliæ ad stabiliendum dogmata, aliæ ad institutionem, aliæ ad correctionem diriguntur. Exod. 20. & Deut.

Præceptũ decalogi 5. accom-

5. Honora patrem tuum & matrem tuam ut sis longæuus super terram. Accommodat hæc uerba

Christus

Christus Matt. 15. & Mar. 7. ad redarguendam impiam traditionem scribarum & Pharisæorum, qui docuerãt præstare, si quis donũ conferret in usus templi, quam eodẽ succurrere parentum inopiæ. Ex eo namque quod templo impenditur redire aliquo modo fructum etiam ad parentes offerentium: Deum quippe largiter rependere omnibus. In hunc uerò modum redargutionem eam Marcus expreßit. Bene reijcitis præceptum Dei, ut constitutionem uestram seruetis, Moyses enim dixit honora patrem tuum & matrem tuam, & qui maledixerit patri uel matri morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri uel matri Corban: quod est donum quodcunque ex me in tuam cedet commodum: & prætereà non sinitis eum quicquam facere patri suo aut matri suæ, & irritũ facitis uerbum Dei propter constitutionem uestram quam tradidistis. Argumentum est à Comparatis. Merebantur autem reprehensionem Pharisæi, nõ solum quia lex diuina semper anteferri debet humanæ, uerumetiam quia uniuersalis, siue communis cuiusmodi certè est illa de honorandis parentibus, derogat particulari, qualis est quæ mandat offerri aliquid in usus templi. Paulus porrò ad Ephesos 6, adiungit hoc præceptum institutionibus, dicens, Filij obedite parentibus uestris in domino, nam, id est, iustum. Honora patrem tuum & matrem, quod est præceptum primum in promißione, ut bene tibi sit, & sis longæuus in terra. Vbi plures con-

modatum ad redarguendum.

Idem accommodatum institutioni.

congeruntur rationes ad demonstrandum iustum esse, ut filij parentibus obtemperent. Prima ex eo quod Dominus ita mandauit. Secunda à dignitate ordinis, quod nimirum præceptum hoc in secunda tabula decalogi primum obtinet locum. Tertia ab utili seu de promißione, in qua magnus fructus obedientiæ ostenditur.

Præceptũ Leuit. 19. pro dogmate.

Leuitici 19. extat præceptum Dei. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. His autem uerbis Matthæi 22. Christus probat summam totius legis, inprimis uerò secundæ tabulæ decalogi, consistere in sola proximi dilectione: quod sanè ad dogma pertinet. Marci 12. eundem ad finem recitantur, sed præterea additur diligere proximum ut seipsum plus esse quam uniuersa holocautomata et uictimas.

Idem pro institutione.

Quæ ratio itidem ex comparatis ducitur. Pertinent tamen ad dogma & Institutionem communiter. Ad Roman. 13. Galat. 5. iterum adhibetur præceptũ illud tàm pro dogmate quàm pro Institutione. Iacobus uero 2. cap. adducit uerba illa instituendi causa Deuteronomij 19. In ore duorum uel trium testium firmabitur omne uerbum. Matth. 18. & 2. Cor. 13. usurpantur uerba hæc in genere institutiuo, ad demonstrandum qua forma legitimum iudicium exerceri in Ecclesia ad corripiendos fratres lapsos debeat. Verum Ioan. cap. 8 Christus ijs uerbis fidem facere uult, se uerum esse Deum Dei filiũ, quod in dogmatibus est ponendum. Ac quod mirabilius est id quod de rebus humanis, iudicioque ex-

Locus Deutero. 19. ad institutionem.

Ad dogmata.

terno politico ſimpliciter dictum eſt, Chriſtus trāſfert accōmodatque ad res diuinas, ſimulque arguentatur à minori ad maius adfirmatiuè: Si iudicem ego, inquit Chriſtus, iudicium meum uerum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me pater. Quin & in lege ueſtra ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium uerum eſt: ego ſum qui teſtimonium fero de me ipſo, & teſtimonium fert de me qui miſit me pater.

De perſonarum acceptione.

Generalis ſententia in Theologia, Apud Deum non eſſe perſonarum acceptionem extat Deut. 10. hac autem utitur Petrus Actor. 10. Paulus ad Roman. 2. ad probandum in genere Didaſcalico, cuiuſcunque conditionis homines, qui modo uerè timent Deum operanturque iuſtitiam, ſeruari. Cæterum ad Eph. 6. Coloſſ: 3. eadem ſententia in genere Inſtitutiuo admonentur cum domini tum ſerui, ſuum ut officium ſtrenuè faciant, quando propter externam conditionem neque melius neque deterius quiſquam ſit habiturus apud Deum. Petrus 1. ca. 1. generatim omnes credentes ad meliorem uitam reuocat, quod item ſpectat ad inſtitutionem Si patrem inuocatis citra reſpectum perſonarum iudicantem iuxta cuiuſque opus, uidete ut in timore conuerſantes, incolatus ueſtri tempus tranſigatis.

Ex his procliue eſt unicuique de alijs quoque locis, qui è ueteri Teſtamento inueniuntur ſæpius recitati in nouo, ferre iudicium, & quomodo ar-

gumenta ſecundum diuerſos locos inuentionis, tractantur ex illis ad diuerſa concionum genera adnotare. Semper uerò habeantur in conſpectu quinq; illa capita, ex 2. ad Timoth. 3. & ad Roma 15. Διδασκαλία, ἔλεγχος παιδεία, ἐπανόρθωσις, παράκλησις: ex quibus oriuntur diſtincta genera concionum: præterea reuocẽtur ad memoriã loci inuentionis ſupra expoſiti, ac citò deprehẽdetur ex quo loco, quẽ item ad finem probationes quæcunq; adhibeantur. Nobis porrò non erit uſque adeò difficile, ad exemplum Apoſtolorum ex una eademq; ſcripturæ ſententia, ſiue de ueteri, ſiue de nouo inſtrumento ea petatur, probationes plures ac uarias colligere, è quibus alia confirmet dogma, alia redarguat falſam opinionem, alia inducat ad uitæ ſanctimoniam, alia corruptos mores perſtringat, alia deniq; parata ſit ad animorum conſolationem. Age expereundi cauſa exemplum unum alterumue ſubijciamus.

Ex una ſententia plures probationes collectæ.

Luc. 2. Breuis habetur Narratio hiſce uerbis. Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcidetur puer, uocatum eſt nomen eius Ieſus, quod uocatum erat ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. Hiſtoria eſt non tamen tam ſterilis atque primo aſpectu apparet. Duæ ſunt eius partes, prior de Chriſti circumciſione: poſterior de impoſito eius nomine IESV. Eſt uerò comprimis accurratè prouidendum, ut argumenta ſeu probationes quas congerimus, alibi in ſcripturis in-

1. De humana natura Christi.

inueniantur, explanata & stabilita. Primo igitur cum dicitur post exactos dies octo Christum uoluisse circumcidi, colligimus ex ratione contingentium in ipso negocio, dogma de natura Christi humana. Cùm enim dicitur Christum natum, item succreuisse ad dies octo, præterea corpus suum præbuisse circumcidendum, declarant hæc uerba Christum uerum hominem, per omnia similem nostri uero corpore, è quo sanguis manarit in ipsa circumcisione, indutum. Est autem hoc uel præcipuum dogma nostræ Religionis, sæpe aliàs explicatum in scripturis, cuius & confeßionem addimus in symbolo Apostolico, Nycæno, &c. Secundo sumi

2. Redargutio Apellis,

hinc potest redargutio. Si Christus uerum & paßibile corpus habuit, falsa igitur est omnium illorum opinio, qui corpus phantasticum & non sumptum de uirgine, sed forte ex elementis uel aliunde conflatum illi tribuunt, ut Apelles, Valentinus, Manichæi, Archontici.

3 De Christi obedientia dogma

Tertio similiter colligere possumus de admirabili Christi obedientia in legis obseruatione. Qui enim legi quam hominibus Deus præscripserat, statim ab ipsa natiuitate totum se submittit manifestam dat obedientiæ et humilitatis significationē. Ad Galat. 4. misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, & Mat. 5. Non ueni soluere legem sed ad implere.

4 Institutio, legib. obediendū.

Quartò à loco ab exemplo trahimus hinc institutionem, Christo legis domino & conditori placuit ad eum modum legi per

omnia

omnia obtemperare, quantò magis & nos primum legi diuinæ, deinde & humanis, quæ modo non pugnant cum uerbo Dei, parebimus? Quintò quoniam circumcisio Sacramentum fuit diuinitus institutum, peroportunè hic ex definitione, diuisione et causis Sacramentorum, dogmata nonnulla de dignitate & uero usu Sacramentorum, etiam in nouo Testamento, exponerentur. Christus certè & circumcisus est & baptizatus, paschalem agnum comedit cum discipulis, simulque sacram instituit & peregit cœnam, Id autem partim utriusque temporis, hoc est, tàm Legis quam Euangelij Dominum se esse declararet, partim ut utriusque temporis sanctificaret sacramenta: atque omnibus qui illis fide in ipsum rectè usi sunt uel utentur, redderet salutaria. De legitimo Sacramentorum, inprimis circumcisionis & Baptismi usu, plura Deute. 10. 13. Actor. 7. Roma. 2. 6. Gala. 5. Ephes. 2. Col. 3. Philip. 3. ad Titum 3. &c.

5. Dogma de sacramentorum usu.

Iam de altera parte. Vocatum est nomen eius IESVS. Iesus idem est quod seruator, saluum faciens, sicut Angelus ipse interpretatur Matthæi 1. Luc. 1. Vbi & additur, eum seruare populum à peccatis, quod sanè solius Dei proprium est Lucæ 5. Ergo ex Etymologia IESV, & adiuncta interpretatione de liberatione à peccatis, rectè inferimus Christum esse uerum Deum, natura ac potentia. Idque dogma est. Secundo ex his porro per contrarium

De nomine Iesu.

1. Dogma Christum esse Deum

trarium sumimus redargutionem. Si solus Iesus à peccatis liberat, uehementer errant qui ab angelis sanctis hominibus, aut quibuscunq; creaturis, uel etiam ob propria benefacta peccatorum expectant remißionem. IESVM negat esse IESVM, ac dignitatem seruatoris ei adimit, qui per aliud quam per illum confidit se seruandum. Tertiò per locum à iusto seu officio nostro, item è causa finali decerpimus quæ faciunt ad institutionem, rectè eum statuimus IESVM qui seruat nos à peccatis, par igitur est illum à nobis talem agnosci ac prædicari, ad illum ergo toto pectore confugiamus, illum ex fide inuocemus, & ipsius nomine petamus à patre cœlesti remitti nobis debita nostra, quæ omnia paßim in scripturis præscribuntur. Quartò non deest materia consolationis, si effecta Iesu siue officium consideremus. Quisquis peccatorum grauatus onere secum reputat, nobis natum ac datum illum Iesum, qui pœnitentiam agentes & credentes liberet à peccatis, nullis concutietur tentationum iaculis, sed infracto erit animo, nec de salute accipienda desperabit. Aduersus eum qui in hunc seruatorem constanter fidit, neque peccatum, neq; mors, neque diabolus neque inferi poterunt præualere. Roman 8.

2. Redargutio eorum qui alibi salutē quærunt.

3. Institutio salutē in Iesu quærendam.

4. Consolatio.

Sequitur contextu uocatum fuisse eo nomine ab Angelo antequam nasceretur. Breuitatis causa omittemus uerba facere de natura & officio Angelorum, tantum libet intueri unde factum quòd

Cur nomē ab Angelo prædictū.

Ange-

Angelus nomen hoc edixerit, quæue eius rei causa efficiens. Haud dubiè prouidentia diuina diu antè ita id fuerat ordinatum.

De prouidentia. Succurrit igitur ex consideratione causæ efficientis dogma, nempe Dei prouidentia res omnes etiam antequam eueniunt ordinari, & falli eam prouidentiam nullo modo posse. Ad Romanos capite nono. Nondum natis pueris cum neque boni quispiam fecissent neq; mali, dictum est maior seruiet minori, &c. Sic proinde Deus pater ab æterno constituit omnes homines per unum Christum filium suum benedictionem accepturos, & huic tribuendum tale nomen. Epheseos cap. 1. Galatas capite tertio. Quod si porrò ad nos doctrinam

Nominum ratio habenda. hanc atque exemplum transferimus admonemur & nos habere diligentem nominum nostrorum rationem, atque eam perquirere in quacunque lingua interpretationem, quæ nos poßit ad uirtutem & omnis generis honestas actiones extimulare. Christus Cephæ siue Petri nomen interpretatur significare petram, quamobrem iubet eum in fide stabilem immotumque persistere, Matthæi capite decimo sexto Marc. 3. Ioannis capite primo. Sed hæc sufficiunt, duæque hæ partes de breui narratione Euangelica expositæ, multorum exemplorum uice sint.

Quomodo ex una sententia du

cantur plures probationes ad idem genus concionis, siue negocium pertinentes.

SEcundam formam constitui, qua ex unius sententiæ diuersis uerbis, siue membris, & fortè singulis, excerpuntur probationes uel argumenta plura, sed ad unum statum siue negocium comprobandum. Quod quam dextreque quantoque cum fructu fiat nemo crederet, nisi luculentißimis scripturarum exemplis id demonstraretur. Ne uerò diutius moremur, statim exempla quædam subijciemus. Ad Roman. 4. argumentis aliquot confirmat Apostolus, hominem fide iustificari absque operibus: quem suæ disputationis statum totidem propè uerbis ad finem capite 3. expresserat. Assumit uero exemplum de Abrahamo, quem iustificatum fuisse coram Deo fide & non operibus, euincit hoc pacto ratiocinando. Si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ipsi ad iustitiã. Ex quo necesßario conficitur, etiam reliquos homines fide, non autem operibus iustificari. Cæterum pauca licet hæc sint uerba, credidit, inquam, Abraham Deo & imputatum est illi ad iustitiam, plures tamen probationes Apostolus ex ijs eduxit. Dum autẽ in præcedẽtibus quæ de fide dicta sunt, expla-

Exemplũ è 4. ca. ad Romanos.



nauerit uim uocabuli, Credidit, ac quia postea etiam nonnulla subijciuntur, idem explicantia, maximè ubi pluribus uerbis describitur, & amplificatur fides Abrahami, statim uoluit excutere significationem uerbi imputandi.

De uerbo imputare.

Significat autem imputare seu reputare aliquid alicui tribuere, tanquam si in ipso esset, etiamsi reuera non insit, multò minus sit promeritus. Quamobrem colligit hinc iustitiam homini attribui sola nimirum Dei imputatione, & secundum gratiam Non autem ob propria benefacta, & tanquam debitam. Sic autem ratiocinatur. Ei uerò qui operatur merces non imputatur secundum gratiam. sed secundum debitum. Porro ei qui non operatur sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Quorum uerborum sententia sic craßius reddi potest. Ei etiam qui non operatur, sed credit in Deum iustificantem, fides gratis imputatur ad iustitiam. Atqui non diceretur gratis imputari ad iustitiam, si hoc operibus fuisset promeritus, tunc enim merces seu debitum potius diceretur. Ergo iustificatio non contingit ex operibus, sed fide, gratis & secundum gratiam.

Imputare ad iustiam

Secundò obseruauit Apostolus accuratius, quid esset imputare ad iustitiam, interpretatur autem, quod etiam stabilit scripturæ testimonio, Idem esse quod non imputare peccata, sponte & gratis crimina remittere. Dauid definit, inquit, imputare ad iustitiam, seu iustificare, idem esse quod non imputare

tare peccata, remittere iniquitates. Sed non imputare peccata est illa gratis condonare, siue est gratis censere iustum, igitur Iustificatio est gratuita, & non fit propter opera. Sic autem Apostolus, quemadmodum et Dauid explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat iustitiam absq; operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum obtecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum. Psal. 31.

Tertiò aliud adijcit argumentum, non autem ex significatione alicuius uocabuli ut antè, sed ex re ipsa & circumstantia temporis. Disquisiuit namque Apostolus quo tēpore uerba illa dicta fuissent de Abrahamo, ante circumcisionemne, an post. Competit autem ex Genes. 15. & 17. fidem imputatam Abrahamo ad iustitiam circiter annos quatuordecim antequam circumcideretur. Beatificatio igitur hæc inquit Apostolus, in circumcisionem tantum aut in præputium deuenit? Dicimus enim, quod imputata fuerit Abrahamo fides ad iustitiā. Quomodo igitur imputata est? cū esset in circūcisiōe an cū esset in præputio? Nō in circūcisione sed in præputio. Vis autem argumēti hæc est. Si Abrahā ullo opere fuisset iustificatus maxime ex circūcisione iustificatus fuisset: utpote quæ fuerit sacra actio qua inserebātur homines ecclesiæ Dei, & ad percipienda beneficia spiritualia in Christo promissa, reddebantur idonei. Sed id nō est factum: igitur non est iustificatus operibus sed fide Maior manifesta est ex serie historica in lib. Genese-

Argumentum à tempore.

os, Eadē porrò opera ex ipſa temporis circumſtātiā colligit etiam præputiatis ſiue gentilibus beneficium hoc iuſtificationis communefieri modò credant. Sic enim ſubijcit Apoſtolus, Accepit ſignum circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei quæ fuerat in præputio ut eſſet pater omnium credentium per præputium, ut imputaretur & illis iuſtitia, &c. Cui noſtrum ueniret in mentem eo pacto poſſe efficaciſſima argumenta ex uerbis adeò paucis decerpi? Sed adijciamus aliud exemplum eiuſdem generis Didaſcalici ex epiſt. ad Galat. ca. 3. Quo loco adfert Apoſt. etiā uerba proximè expoſita, uerum ut oſtendat eandem cauſam etiam pluribus ſcripturarum locis poſſe confirmari, addit promiſsionem Dei ad Abrahamū, ex Gen. 26. in qua plenius explicanda immoratur. Præuidens, inquit, ſcriptura, quod ex fide iuſtificet gentes Deus prius rem lætam nunciauit Abrahæ, Benedicentur, inquit, in te, ſiue in ſemine tuo (ſic enim habet contextus orationis Gen. 22. & 26. & Apoſtolus diſertè interpretatur in progreſſu) omnes gentes. Sunt autem in hac promiſsione tres tantum diſtinctæ uoces, benedicere, ſemen, & Gentes. Vide autem quanto iudicio ſolertiaque apoſtolus ex his ducat uarias probationes, ac ſingulas ſanè directas ad demonſtrandum quòd homines fide non autem operibus iuſtificentur. Scire autem nos oportet ad Galatas ſubmiſſos fuiſſe pſeudoapoſtolos, qui contendebant non eſſe ullis ſperandam iuſtitiam apud Deum, niſi qui circumciſione ſuſcepta Iudais

De iuſtificatione ex epiſt. ad Galatas 3. cap.

daismum amplecterentur, legemque diligenter obseruarent. Contra Paulus adstruit circumcisione nequaquam esse opus, neque insuper requiri legis obseruationem. Verum iustificari homines exemplo Abrahami fide in Christum.

Adhæc igitur comprobanda, primo loco excutit uocabulum gentium, & sic argumentatur ex usitata eius significatione, promissio Dei habet, Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: Ergo etiam qui gentiles sunt incircumcisi, legem neque habentes neque obseruantes, benedictionem à Deo accipient atque iustificabuntur. Quod Enthymema hunc in modum exprimit, Scitis igitur quòd qui ex fide sunt hi sunt filij Abrahæ. Præuidēs autem scriptura quod ex fide iustificet Gentes Deus, prius rem lætam nunciauit Abrahæ. Benedicentur, inquiens, in te omnes gētes, Itaque qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abrham. Et aliquantò post, Vt in gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum. Artificiose autem retundit Apostolus fastum Iudæorum, qui se solos esse filios Abrahæ gloriabantur, ideoque non ad gentiles, sed ad se solos exemplum Abrahæ pertinere, & benedictionis fore participes. Sed Apostolus ait longe aliter rem se habere. Vos scitis, inquit, quod qui ex fide sunt, filij sint Abrahæ etiamsi gentiles & incircumcisi existant, Nimirum tacité reducit ad memorriam Deum dixisse Abrahamo Genes. 17. quòd constituere ipsum uellet

Argumentum ex uocabulo Gentium.

patrem multarum gentium. Item Abrahamo fidem imputatam esse ad iustitiam cum adhuc esset incircumcisus. Quòd deniquè ij potius censeantur filij Abrahæ, qui imitantur illius fidem, quàm qui ex illo trahunt originem secundum carnem, qua de re ad Roma. 4. 9. &c.

Dehinc progreditur ad uocem benedicendi. Primò autem sæpius repetit atque urget eam uocem, ut ostendat, benedictionem idem significare, quod iustificatio significat. Qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. Rursus, Vt in gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum. Secundò rem ipsam perpendit diligentius, atq; sic est ratiocinatus. Benedictio est expectanda ex semine: ergo non ex lege, uel quacunq; re alia. Altius porro considerando effecta legis, comperit eundem in scripturis locum, quod demonstrat à lege non solum non expectandam fore benedictionem, sed potius per eam incurrere nos in maledictionem. Itaque concinnauit ex contrarijs (aduersantur enim inuicem benedictio & maledictio) & ex effectu legis hoc argumentum. Qui non perfecerit omnia quæ scripta sunt in libro legis, is execrationi est obnoxius. Sed nemo est hominum qui omnia quæ scripta sunt in libro legis perficiat, igitur si effectum legis intuemur, nemo per legem iustificatur, sed potius omnes fiunt per eam execrabiles. Maior sumpta est ex Deute. 27. ueritatem minoris, suæ cuiq; ostendit conscientiæ testimonium. Quod Psal 32. ad Roman. 3. 8. & alibi luculen-

De uerbo benedicendi.

lenter asseritur. Apost. autem argumentum suum his uerbis exprimit. Quotquot ex operibus Legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Scriptum est enim execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea. Quoq; plus uirium habeat hæc probatio, contexit aliam ex natura contrariorum, in qua etiam ostendit benedictionem idem esse quod uitam. Quod autem in lege nullus iustificetur apud Deum, palam est, siquidem iustus ex fide uiuet. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea homo uiuet ex ipsis. Contraria sunt Lex & Fides. Item quod simpliciter uiuit iustus ex fide, ex lege autem nemo uiuit. Estq; hæc huius argumenti sententia. Necessum est homo apud Deum uiuat aut ex fide aut ex lege, sed iustus ex fide, uiuit, &c. Maior per se nota est. Minor probatur ex Abacuc 2. Quod autem ex lege nemo poßit uiuere, tum ex eo constat, quod Fides & Lex sint contraria. Lex, inquit, non est ex fide: tùm quod legem præstare exactè nequeamus. Quod confirmat ex Leuit. 16. Qui fecerit ea homo uiuet in eis. Caput igitur rei est uitã & benedictionem non accipi ex lege sed ex fide. Sed aliud insuper argumentum attexit, respiciens adhuc ad uerbum benedicendi, imò & ad uocabulum seminis dum se persona Christi, qui est semen benedictum disserit. Dictum est per legem omnes fieri execrationi obnoxios, quandoquidem omnes absq; controuersia inueniuntur legis transgressores. Atqui hac ratione permotus aliquis mitatur & rogat, quo pacto

Argumentum à contrarijs.

Aliud argumen. ex uerbo benedicendi.

homines illi ſalutem queant conſequi. Quando enim omnes execrationi ſunt obnoxij, repugnare uidetur ut ijdem benedictionem accipiant. Reſpondet Apoſtolus, atq; per quem & quomodo (hoc eſt tam cauſam efficientem quam formalem) benedictio nobis recuperetur oſtendit, dicens, Chriſtus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus eſt execratio. Scriptum eſt enim, Execrabilis omnis qui pendet in ligno. Significat autem Chriſtum, quando pro peccatis noſtris (quæ non manendo in omnibus quæ ſcripta ſunt libro legis perpetrauimus) acerbam & ignominioſam mortem crucis luit, omnem execrationem nobis debitam in ſe tranſtuliſſe, atq; nos ita ab ea liberatos, & benedictionis promiſſæ ob ſemen benedictum factos participes. Vnde mox nonnulla de effectu mortis Chriſti ſubijcit, & non ſine amplificatione rurſus inſerit aliquid de uocabulo gentium, Vt in gentes, inquit, benedictio Abrahæ ueniret per Chriſtum Ieſum, ut promiſsionem ſpiritus acciperemus per fidem.

De uoce ſeminis.

Sequitur iam de uoce ſeminis. Quo autem muniat probationem quam uult inſtituere, præmittit rationem generalem de dignitate & efficatia promiſsionum, in hanc ſententiam. Promiſsiones diuinas oportet eſſe certas, nec quouis modo irritas fieri. Atqui promiſsiones dictæ Abrahamo, & ſemini & poſteritati eius, diſertè habent quod benedictio ſiue iuſtificatio accipienda ſit à ſemine, ſiue

per

per ſemen uidelicet Chriſtum. Ergo benedictio ſiue iuſtificatio nullo modo ex lege accipitur, ſed tantum à ſemine benedicto. Maiorem probat à comparatis, ſiue à minori ad maius. Videmus inquit in negocijs humanis & ciuilibus, teſtamentum ſi comprobatum fuerit non fieri à quoquam irritum. Cur ergo irrita fierit promißio Dei? Minori fidem facit argumento ducto ex eo, quod in promißione uocabulum ſeminis, numero effertur ſingulari, quaſi dicat, Promißionis dictæ Abrahamo & ſemini eius, id eſt, quibuſcunq; credentibus propriè loquuntur de uno aliquo ſemine benedicto, & certa perſona, quam non poßimus niſi Chriſtum ipſum intelligere. Ergo conſtanter retinendum, quod fide in Ieſum Chriſtum hunc accipit benedictio, non autem propter opera legis.

Rectè autem hæc interpretari Apoſtolum de Chriſto manifeſtum eſt, quandoquidem Deus in prima promißione ad primos parentes de ſemine mulieris, à quo conteri debeat caput ſerpentis perſpicuè eſt locutus, omneſque patriarchæ & ſancti eadem uerba de Chriſto ſiue Meßia acceperunt, quod & nec Iudæi ipſi inficiantur. Verba quibus Apoſtolus hæc omnia complectitur non multa ſunt. Fratres ſecundum hominem dico, hominis licet Teſtamentum, tamen ſi ſit comprobatum nemo reijcit aut adijcit aliquid. Porrò Abrahæ dictæ ſunt promißiones & ſemini eius. Non dicit & ſeminibus tanquam de multis ſed tanquam de uno, & in ſemine tuo qui

Addit postremò Apostolus argumentum quo comparat cum promißione ad Abraham facta ipsam legem, ac clarè docet, hanc esse latam non quod promißio semel facta, & fides in eandem non sufficeret ad benedictionem, sed alias ob causas, imò ex ratione temporis, quo lex lata est, colligit eam ne posse quidem imminuere promißionis dignitatem & efficaciam, maximè cum certum sit patres benedictionem consecutos fide in promißiones etiam antequã lex esse cœpisset. Hoc autem dico inquit, testamentũ antè comprobatum à Deo erga Christum, Lex quæ post annos quadringentos triginta cœpit, non facit irritum ut abroget promißionem. Nam si ex Lege est hæreditas, non iam ex promißione. Atqui Abrahæ per repromißionem donauit Deus. Huc usq; de probationibus quas Apostolus ex breuißima promißione, qua dictum est. In semine tuo benedicentur omnes gentes, admirabili consilio & prudentia digeßit, & singula eò direxit ut euincat homines fide iustificari non legis operibus,

Exemplũ ex epistola ad Hebræos.

Non possum quin adijciam exemplum tertium quod in Epistola ad Hæbreos aliquot capitibus, maximè 5. & 7. sic tractatur, ut non putem in uniuersis libris sacris inueniri unam aliquam sententiam pari fide, artificio, diligentia explicatam. Summa autem siue scopus disputationis ibi institutæ est, sacerdotium & sacrificia Legalia esse abrogata propter succedens multò præstantius Sacerdotium, atq; unicum sacrificium Iesu Christi. Quò autem demonstret

ſtret Chriſtum eſſe ſummum ſacerdotem, ſiue pontificem, & quidem longè excellentiorem quàm quiſq; antè fuiſſet in lege, adfert illuſtrem & perſpicuam probationem, ex Pſal. 110. in hæc uerba. Iurauit dominus & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchizedeck. Quem Pſalmum de Chriſto concionari cum Chriſtus ipſe peritiſsimus interpres non obſcurè declarauerit, non abs re autor epiſtolæ ad Hebræos illi ſententiæ tanquam baſi & fundamento nititur, totamq; diſputationis ſuæ molem ſuperſtruit. Quam uaria autem quamq; fœcunda argumenta eruantur ex ea ſententia, ad inſtitutum negocium de ſacerdotio Chriſti, ſummaq; eius dignitate accommodata, nemo credat, niſi qui in iiſdem explorandis diſtinguendiſq; operæ aliquid ipſe impenderit. Libet igitur periculum facere, atq; eundo per ſingula eius ſententiæ membra, argumenta in lucem pertrahere, quo ordine ibi ſunt diſpoſita.

Itaq; poſtquam ad finem capitis quarti hanc præfixit propoſitionem generalem totius diſputationis. Propoſitio Habentes pontificem magnum qui penetrauit cœlos Ieſum filium Dei, teneamus confeſsionem: Statim ca. 5. excutit particulam, Tu es ſacerdos ſiue uocabulũ ſacerdotis, congerit autem & ex aliis ſcripturæ locis quæ ad deſcripſionem ueri pontificis faciunt, ac Sacerdos. dum ea ipſa congruere Chriſto aptè oſtendit, concludit Chriſtum agnoſci uerum legitimumq; ſacerdotem debere. Ac proinde ſententiam illam de Chri-

1. Argumentum ab officio pontificis. sto propriè accipi. Primum igitur argumentum sumit à primario officio Pontificis, siue ab usitata definitione pontificis. Omnis pontifex, inquit, qui ex hominibus assumitur pro hominibus constituitur, in ijs quæ apud Deum aguntur, ut offerat donaria & uictimas pro peccatis. Atqui Christus est ex hominibus assumptus, & pro hominibus constitutus in his quæ apud Deum sunt agenda: obtulit insuper donaria & uictimas: Igitur Christus est uerus pontifex. Maior conflata est ex uerbis Apostoli. Minorem idem expreßit paulò infrà, & quidem magnificis uerbis, dicens. Ita & Christus in diebus carnis suæ precationes & supplicationes, apud illum qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore ualido & lachrymis obtulit, & pro reuerentia exauditus est.

2. A personæ qualitate. Secundum argumentum ducitur à qualitate personæ quæ ad pontificatum assumi potest, hoc modo. Vt quis idoneus sit ad pontificatum, necesse est placabilis sit ignorantibus & errantibus. Atqui Christus est placabilis, & misericors erga ignorantes & errantes. Ergo Christus iure agnoscitur pontifex.

Maior apud Apostolum habet annexam rationem cum ait, Quandoquidem & ipse circumdatus est infirmitatem. Deim rationis comprobationem à signo, Propter hanc inquit, debet quemadmodum pro populo, ita pro se ipso immolare pro peccatis. Minoris uerò sententiam sic exprimit: Christus tamet-

tametsi filius erat, tamen didicit ex his quæ passus est obedientiam, ac perfectus redditus omnibus quæ sibi obedierunt, fuit causa salutis æternæ.

Tertium argumentum sumit ab electione seu uocatione ad pontificatum. Pontifex non sibijpsi usurpat honorem, sed uocatur à Deo, quemadmodum & Aaron: Atqui Christus non sibi uendicauit honorem, ut fieret pontifex, sed uocatus est ab eo qui dixerat illi, Filius meus es tu, ego hodie genui te, Psal. 2. hoc est á patre suo cœlesti. Igitur Christus est uerus pontifex. 3. Ab electione pontificis. Quartum argumentum adijcitur ab eo quod pontifices semper secundum aliquē certum ordinem seu ritum instituuntur. Pontifex secundum certum aliquem ordinem instituitur. Atqui Christus constitutus atque cognominatus est à Deo pontifex secundum certum ordinem, ut Melchizedeck: Ergo Christus est uerus atque legittimus pontifex. Maior per se nota est, maximè cum in lege ex certa tribu & familia pontifices elegi oporteret. Minor comprobatur aperto testimonio Psal. 110. Tu es sacerdos, &c. Tantum igitur de illis uerbis, Tu es sacerdos. 4. A ritu constituendorū pontificum.

Sequitur digreßio in qua Hebræos obiurgat quod segnes facti essent auribus, & adhuc instituendi in ipsis elementis religionis, quæ in finem usque capitis 6. protrahitur, ubi repetens, Iesum factum pontificem iuxta ordinem Melchizedeck in æternum, redit ad institutum. Proinde capite septimo Digreßio.

dis-

discutit uerba illa secundum ordinem Melchizedeck, dum argumentis aliquot demonstrat, Christum apposité dici sacerdotem secundum ordinem Melchizedeck. Ante omnia uerò breuiter reducit ad memoriam ex Genes. 14, Quisnam & qualis fuerit Melchizedeck. Hic, inquit, erat Melchizedeck rex Salem pontifex Dei altißimi, qui occurrit Abrahæ reuertenti à cæde Regum, & benedixit illi, cui & decimas ex omnibus impartitus est Abraham.

Melchisedeco.

1. Argumentum ab etymologia.

Huic breui narrationi in qua nihil ociosum uti paulò post audiemus, subijcit argumenta, quorum primum ab Etymologia sic habet. Qui primum ex interpretatione dicitur Rex iustitiæ, Quasi dicat uocabulum Melchizedeck idem significat quod rex iustitiæ. Atqui Christus uerè est rex iustitiæ, Ergo de Christo dicuntur quæ de Melchizedeck, & Christus apertè dicitur sacerdos secundum ordinem Melchizedeck.

2. A uitæ conditione

Sequitur secundum argumentum à uitæ conditione seu publica dignitate, addens fuisse regem Salem, id est pacis, hoc modò. Melchizedeck erat rex Salem, id est, pacis. Sed Christus est etiam uerus rex & conciliator pacis, igitur in Christum quadrant quæ in Melchizedeck, & Christus pontifex est secundum ordinem Melchizedeck.

3. Ab initio & fine

Tertium deinde argumentum sequitur ignoti patris, ignotæ matris, ignoti generis, nec initium dierum, nec finem uitæ habens, sed aßimulatus filio

Dei, sumptum est ab utriusque initio & exitu per omnia pari. Sic namque ratiocinatur Melchizedeck erat ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, nec initium dierum nec uitæ finem habens. Sed Christus itidem ἀπάτωρ ἀμήτωρ ἀγενεαλόγητος neque initium dierum neque uitæ finem habens, ergo rectè dicuntur de Christo, quæ de Melchizedeck, & Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchizedeck aptè colligitur.

Statuit uerò Apostolus illa de initio & fine Melchizedeci certo consilio Spiritus sancti esse in scripturis prætermissa, quo nimirum collatio Christi cū Melchizedeck, quem certum est gessisse typum Christi, tantò commodius procederet, atque ita non dubitat argumentationem ab autoritate scripturæ, negatiuè instituere.

Subijcit postremò & hæc, manet Sacerdos in perpetuum. Vbi quartum argumentum est fluens ex præcedenti, imò planè coniunctum cum eodem. Melchizedeck, inquit, manet sacerdos in æternum, utpote de cuius exitu uitæ non constat, Igitur & Christus manet sacerdos in æternum, & quidem secundum ordinem Melchizedeck, ac respicit hic ad uocem, In æternum. Quanquam de hac probatione quædam interponentur in sequentibus.

4. A perpetuitate sacerdotij.

Porró non satis esse ducit Apostolus quod demonstrarit rectè dici de Christo, quod sit pontifex de ordine Melchizedeck, uerum longius progreditur, et docet argumentis aliquot deductis ex breui historia

Ordinem Melchizedeci Aaronico præstantiorē.

ante recitata, ordinem Melchizedeck anteferri debere ordini Leuitico seu Aaronico, unde postea palàm fiet per sacerdotium Christi Melchizedecum abrogari sacerdotium Aaronicum.

Primum igitur argumentum institutum est per comparationem Melchizedechi cum ipso Abrahamo atq; à signo siue communi iudicio. Considerate inquit, quantus hic fuerit cui etiam decimas dederit Abrahã Patriarcha de spolijs: Cuius est hæc sententia. Qui decimas accipit maior est quam qui dat sed Melchizedeck accipit, Abraham uerò dat: Igitur Melchizedeck maior est Abrahamo. Et amplificatur dignitas Abrahami quando uocatur patriarcha: sed ut tantò maior laus inde redeat ad Melchizedecum.

1. Argumentum à collatione Abrahami & Melchized.

Secundum attexitur argumentum probans Melchizedechicum ordinem inueniri præstantiorem Leuitice, ex comparatione personarum à quibus uterque ordo decimas accipit. Leuitæ, siue hi qui quod sint de numero filiorum Leui sacerdotij functionem sumunt, præceptum habent ut decimas accipiant à populo iuxta Legem, hoc est, à fratribus suis & sibi paribus, egreßis ex lumbis Abrahæ, eundemq; habentibus communem patrem.

2. A personis eorum quæ decimas dabãt.

Atqui Melchizedeck non accepit talibus cum nequaquam fuerit eiusdem generis, sed ab ipso Abrahamo ex quo illi omnes trahunt originem: Ergo ordo Melchizedechicus multo est excellentior

Leuitico. Maior & minor expressæ sunt uerbis ipsius Apostoli. Suntq; hæc duo argumenta deriuata ex particula narrationis antè positæ qua dictum est, Cui decimas ex omnibus impartitus est Abraham.

Sequitur tertium argumentum ex particula quæ habebatur in narratione : Et benedixit illi. Atque iterum facta comparatione, siue à signo siue à communi iudicio, sic argumentatur. Nemo negat quin id quod minus est ab eo quod maius est benedictionem accipiat. Sed Melchizedeck benedixit Abrahamo, etiam habenti promißiones à Deo, Igitur Melchizedeck maior est Abrahamo. Maiorem & minorem ita reddidimus, uti habet ipse Apostolus. In minore amplificatur nonnihil dignitas. Abrahæ quando dicitur ad eum factas promißiones à Deo, sed eadem amplificatio auget laudem ipsius Melchizedeci. 3. A signo.

Quartum argumentum iterum deductum ex uerbis narrationis antecedentis, quibus dicitur Melchizedecum neq; initium dierum, neque uitæ finem habuisse, sed manere sacerdotem in perpetuum per comparationem Melchizedeci ordinis cũ Leuitico, siue à qualitate personarum munere sacerdotali utrobiq; fungentium. Et non obscure probat sacerdotium Melchizedechicum esse æternum. Hic, nempe in ordine Leuitico, homines qui moriuntur decimas accipiunt. Illic autem, in ordine uidelicet Melchizedechico, decimas accipit de quo 4. A qualitate personarum.

testa-

testatum est quod uiuat. Sed qui immortalis est semper præferetur mortalibus. Igitur Sacerdotium Melchizedeck illustrius est sacerdotio Leuitico.

Addit quadam amplificationis forma & quintum argumentum dicens: Et ut ita loquar in Abraham decimatus est etiam ipse Leui, qui decimas solet accipere, Nam is adhuc in lumbis patris erat cum occurreret Abrahæ Melchizedeck, Sic nimirum ratiocinatur, Ipse ordo Leuiticus cui solent decimæ conferri decimas dedit Melchizedeco: Ergo ordo Melchizedeck præstantior est Leuitico. Concedenda est argumentatio, quòd maior sit qui decimas accipit quàm qui dat. Ne autem absurdè dictum existimetur, quod Melchizedeco decimas dederit Leui, qui tunc nondum uixit addit eum fuisse in lumbis Abrahami natū ex eius nepotibus. Rectè proinde intelligi filios seu nepotes eidem dedisse decimas cui dederit ipse parens, quandoquidem uidemus etiam in negotijs ciuilibus ad præstandum aliquid filios obstringi, quod prius præstiterunt parentes seu maiores quod & hodie in decimarum, & seruitiorum aliarumque rerum declaratione obseruatur.

5. Quod Leuitæ decimas dederint Melchizedeco.

Videamus porrò quæ sequentur. Porrò si consummatio inquit per Leuiticum sacerdotium erat (siquidem per hoc populus legem acceperat) quid præterea opus alium exoriri sacerdotem qui secundū ordinem Melchizedeck non secundum ordinem Aaron diceretur, quandoquidem translato sacerdotio ne-

Digniori sacerdotio Christi uetus abrogari.

necesse est ut legis quoque translatio fiat. Apertißimè docuit Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchizedeck. Ostendit deinde sacerdotium Christi excellentius esse sacerdotio Aaronico. Ex his iam colligit, atq; euincit per nouum & dignius sacerdotium Christi, abrogari uetus, & minimè cum illo conferendum sacerdotium Aaronicum. Sunt autem duæ consequentiæ sic coniunctæ ut uix separari queant. Prior sic habet. Si consummatio atque perfectio per Leuiticum siue Aaronicum Sacerdotium potuisset obtingere, tum mansisset illud æternum, nec opus fuisset aliud sacerdotium oriri, per quod homines ad perfectionem adducerentur. Sed uoluit Deus, quemadmodum Spiritus Sanctus per Dauidem enunciauit, post Aaronicum exoriri sacerdotium aliud, nempe secundum Melchizedeck, quo tandem homines ad perfectionem adducerentur, Igitur necesse est istud illo esse præstantius, & nouo illo adueniente, uetus illud abrogari. Posito digniori & perfectiori tollitur indignius & imperfectius.

Verum hac consequentia non contentus subijcit aliam ab effectu siue à contingentibus utriusq; sacerdotij. Per Sacerdotium Leuiticum populus acceperat legem, & lex per illud florebat. Ergo sublato illo Sacerdotio necesse est etiam sublatam esse legem. Remota causa tollitur effectus. Legem esse abrogatam.

Cum autem iam concluserit Apost. et sacerdotium Aaronicum esse abrogatum & legem ipsam abrogatam, pergit utrunq; euidentius comprobare.

Sacerdotio Christi Aaronicũ esse abrogatum.

Itaque Sacerdotium Aaronicum esse abrogatum per nouum sacerdotium Christi, & neque debere commisceri hos duos ordines, neque posse simul consistere (quod fortaßis aduersarij nonnulli contendebant) ostendit ratione sumpta à diuersitate tribuum hoc pacto. Sacerdotium legis tantũ pertinet ad certam tribum, nempe Leui. Sed Christus de quo dictum est, quòd sit sacerdos secundum ordinem Melchizedeck, ad aliã tribũ pertinet, de qua nullus altari adstitit, palàm est enim quod de tribu Iuda exortus sit dominus noster. At nihil locutus est Moses de sacerdotio quod ad hãc tribum pertineat. Ergo Sacerdotium Christi oportet distinguamus à Leuitico, et Sacerdotium legale planè est per istud Sacerdotium Christi abrogatum. Maior paßim in ueteri Testamento ut Nume. capite 1. 2. 3. Deut. 10. &c. inculcatur. Minorem uerbis Apostoli expreßimus.

Sequitur aliud argumentum, idem concludens atq; sumptum ex diuerso modo, siue ex diuersis obiectis utriusque sacerdotij. Omnis Sacerdos ordinis Leuitici instituitur iuxta legem mandati carnalis, hoc est infirmi temporalis & dissolubilis. Christus uero institutus est Sacerdos ordinis Melchizedeck iuxta potentiam uitæ indissolubilis, firmæ et æternæ. Sed potentia uitæ indissolubilis longißimè distat, estque etiam dignior lege mandati carnalis, ergo sacerdotiũ Christi oportet distingui à Leuitico, atque istud ut carnale & infirmius, per illud

tanquam

tanquam ſpirituale et firmius abrogatur. Nulla ineſt obſcuritas quum maior comprehendatur uerbis Apoſtoli. Dicens uerò ſacerdotium Chriſti eſſe iuxta potentiam uitæ indiſſolubilis, reſpicit ad particulam illam in oraculo Dauidis, In æternum. Habentque ſingula hæc uerba, Potentia inquam, & uita & Indiſſolubilis, emphaſin ad illuſtrandam dignitatem noui Teſtamenti ſeu Euangelij: ſicut è contrario non parum extenuatur lex, quando nominatur Lex mandati carnalis.

De legis abrogatione.

Reſtat plenius educatur probeturque legem debuiſſe abrogari, quod ſanè erat perneceſſarium propter aduerſarios, qui id dici de lege egerrimè ferebant. Duas uerò adfert rationes, ob quas legem abrogari & cedere Euangelio oportet. Prior ſumpta eſt à Legis imbecillitate. Abrogatur inquit quod præceſſit præceptum propter imbecillitatem & inutilitatem. Imbecillem autem fuiſſe ita protinus declarat, Nam nihil ad perfectionem adduxit lex: ſicut ſupra dixit per ſacerdotium non potuiſſe contingere perfectionem, ita nunc idem dicit de ipſa lege.

Poſteriorem rationem addit à uero legis uſu. Erat inquit introductio ad ſpem potiorem, per quã appropinquamus Deo, hoc eſt ad Euangelium in quo ipſe Deo Deiq; filius nobiſcum loquitur. Vbi autem potior hæc ſpes iam adeſt præſens, quorſum opus eſt legem introducentem reducere. Ad Galatas capite quinto, lex appellatur pædagogus ad Chriſtum.

Euangeliũ esse lege præstantius.

Sed enim quod Euangelium ad quod introducebat lex sit præstantius, atque spem potiorem reuera exhibeat, duobus argumentis fidem facit, iisdemq; sumptis adhuc à præstantia sacerdotij Christi præ sacerdotio legali, ut inde postea iudicium fiat de dignitate Euangelij. Siquidem ex qualitate Sacerdotij colligendum est, quale quoque sit Testamentum. Habent enim se relatiuè Sacerdotium & Testamentũ. Itaque prius argumentum trahit à forma institutionis Sacerdotij Christi, hunc in modum. Istud præstantius est atque firmius stabilitum, quod instituitur adhibito iureiurando, quàm quod sine eo instituitur. Atqui Sacerdotium Christi institutum & confirmatum est adhibito iureiurando: legales autem Sacerdotes, citra iusiurandum facti sunt Sacerdotes. Igitur sacerdotium Christi præstantius est sacerdotio legali.

Sed hinc præterea sequitur Christum tanto potioris Testamenti sponsorem factum esse, perinde ac si dicat. Quantò excellentius est Christi sacerdotium, tantó etiam excellentius esse oportet ipsum testamentum in quo Christus sacerdotio perfungitur. Argumenti maior per se est manifesta. Minorem expreßimus uerbis Apostoli, qui et attexit eiusdem probationem ex loco Psal. 110. ubi disertè dicitur, Iurauit dominus & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos, &c. Atque ex his ipsis uerbis Iurauit dominus, desumpta est argumenti materia.

Sequitur posterius argumentum ex particula

In æternum. Illi inquit plures erant sacerdotes. Cum enim mortales essent non sinebantur per mortem permanere, sed necesse erat alios alijs succedere: At Christus unus est immortalis, ac cum maneat in æternum, sacerdotio fungitur perpetuo. Ergo sacerdotium Christi multò excellentius est sacerdotio legali. Porrò sicut se habet sacerdotium, ita etiam Testamentum. Confert nimirum qualitates Sacerdotum et ipsa sacerdotia, ut inde æstimatio fiat Testamentorum. Obseruandæ sunt antitheses: Sacerdotes semper plures fuerunt & mortales, Christus uerò unus & immortalis. Quare ex illis agnosci oportet debilitatem & infirmitatem legis. Ex hoc uerò potentiam uirtutem & æternitatem Euangelij.

Aliud argumentũ de præstantia testamenti.

Post tot & tam efficacia argumenta prudentißimè congesta sic concludit de Christo, dicens, unde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper uiuens ad hoc ut interpellet pro illis. Talis enim decebat ut esset nobis pontifex pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus, cui non sit necesse quotidiè, quemadmodum illis pontificibus, prius pro proprijs peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit semel, cum semetipsum obtulit. Siquidem lex homines constituit pontifices, habentes infirmitatem. Porrò sermo iusiurandi qui supra legem fuit, filium constituit inæternum consummatum.

Vide autem ut in hac quoque conclusione subinde respiciat ad uerba oraculi ex Psal. 119. toties repetiti. Appellat Christum semper uiuentem, dicit sublimiorem cœlis factum, addit filium constitutum in æternum, consummatum, quæ sanè conueniunt cum particula in æternum. Sed & particulam de domini iureiurando iterum reducit in memoriam. Cætera uerò omnia Pius, inquam, Innocens, Impollutus, Segregatus à peccatoribus, & Sublimior cœlis factus, & cui non sit quotidiè necesse offerre pro peccatis cùm proprijs tùm alienis, Et homines infirmos constitutos sacerdotes sub lege, supra quam dici potest extollunt sacerdotij Christi, quod est secundum ordinem Melchizedeck, dignitatem, neq; necesse est singula accuratius per nos discuti.

Sunt sanè paucula hæc uerba, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedeck, neque quisquam nostrum iudicaret in tam breui sententia tam uberem atq; fœcundam dicendi materiam latere, sed uidemus quomodo qui peritus est artifex, atq; in scripturis probè uersatus, admirabilem & multiplicem doctrinam, tum argumenta siue probationes uarias & quidem firmas, quas nullus aduersarius queat infringere, possit eruere & concinnare.

Summa argumentorum huius loci.

Ex unico enim illo testimonio scripturæ perspicuè demonstrauit Apostolus, Primò Christum esse uerè sacerdotem secundum ordinem Melchizedeck & in

et in Christum propriè uaticinium illud è Psal. 119. competere. Secundo Christi sacerdotium longè præstantius esse sacerdotio legali, quod est ordinis Aaronici seu Leuitici. Tertiò per sacerdotium Christi iam constitutum & stabilitum in Euangelio, abrogari sacerdotium legale siue Aaronicum. Quartò per sacerdotium Christi abrogari etiam legem, hoc est, sacrificia & ceremonias uniuersas. Atque ad singulas hasce partes optimo ordine digesta sunt duobus integris capitibus, quinto uidelicet & septimo argumenta quàm plurima, eademq; incredibili artificio compacta.

Cui obsecrò mortalium ueniret in mentem, posse eo modo unum aliquem locum scripturæ præsertim qui non adeò latè uideretur patere, explanari. Verum spiritui Sancto, qui longè alius est in dicendo disserendoq; magister, quàm ulli quantumlibet eximij Dialectici uel Rhetores, nihil est difficile, atque prophetarum apostolorumque mentes sic instruit, ea ut proferant, quæ omnem sapientiam humanam infinitis superent parasangis.

Cæterum exempla hactenus à nobis prolata ad genus pertinent Didascalicum. Dubium autem non est, quin in alijs generibus pari artificio loci scripturarum adhiberi, & diuersa argumenta ad fusiorem explanationem colligi ex ijsdem queant. Extat adhuc illustre exemplum generis Institutiui in epistola ad Hebræos, bona parte capitis tertij, ubi

Exemplū generis institutiui. prolixè enarrantur, atque diuersa argumenta instituta conuenientia eruuntur, ex hisce uerbis Psal. 95. Quapropter, inquit, sicut dicit spiritus ille sanctus: Hodiè si uocem eius audieritis ne obduretis corda uestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis in deserto, ubi me tentauerunt patres uestri, probauerunt me, & uiderunt opera mea quadraginta annis. Quapropter infensus eram generationi illi, & dicebam: semper errant corde ipsi uero non cognouerunt uias meas, sicut iuraui in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam. Quibus uerbis post absolutam disputationem de duabus in Christo naturis, deq; Christi præ Angelis & Mose præstantia, conclusionem contexit Apostolus, in qua hortatur omnes, ut Christum uerum hominem ac uerum Deum, itemque eius Euangelium alacri animo suspiciant, neque ullo modo reluctentur. Quomodo autem ex omnibus illis uerbis è Psalmo recitatis argumenta seu rationem hortatoriam decerpat, non necesse est à nobis plenius commonstrari, quando quisquis intento animo perlustrauerit, quæ in proxime antecedentibus exemplis sunt à nobis exposita, uiam ac certam rationem distinguendi argumenta, poterit ipse nullo propè negocio inuenire.

Quomodo ductu quæstionum & locorum quæ singulis quæstionibus adhibentur, uaria & plura

argumenta de vna eademq; re congerantur.

DIximus supra nonnihil de quæstionibus, quæ solent in quouis disciplinarum genere ordine proponi, ut earum ductu de re, siue de Themate quouis oblato disseratur, atque ea excogitentur, inueniantur, proferanturq;, quæ ad perfectam eiusdem rei cognitionem perducere auditores, præsertim imperitos queant. Diximus autem eiusmodi quæstiones septem plerumque enumerari. Nempe 1. An sit, 2. Quid sit, 3. Quotuplex sit, siue quot eius partes. 4. Quæ causæ. 5. Qui effectus seu officia. 6. Quæ affinia. 7. Quæ contraria ad hæc materiam ad dicendum de quauis quæstione ex illis locis peti, qui unicuique quæstioni maximè sunt accommodati. Hæc in genere ita repetere memoria necesse habui.

Ratio tractandi quæstiones in scriptura sancta.

Cæterum hoc loco uisum nobis est ostendere, rationem tractandi istas quæstiones etiam in scripturis commonstrari, & rectè facere rerum sacrarum studiosos, qui quando et quousq; oportunum est imitari student. Etsi uerò non occurrunt in libris sacris themata, uno eodemq; loco plane excussa secundum omnes quæstiones antè positas : perspicuum tamen est alicubi in illis, & uno loco explicari certum thema secundum aliquot quæstiones, quæ uidelicet magis utiles, & cognitu necessariæ existunt. Deinde etiam

etiam absque magno labore decerpi frequenter posse ex diuersis scripturarum locis, quæ ad plures & propè omnes quæstiones ordine pertractandas, momentum non paruum adferunt, quod profectò ijs qui discendi cupidi sunt, & non prorsus curiosis ingenijs sufficere meritò debent. Cuius rei rationes reddi possunt.

Cur non omnes quæstiones tractentur.

Primo non est necesse superstitiose & tanquam si dicto prætorio mandatum foret, statim quoduis thema progrediendo per singulas quæstiones explicari.

Secundo rerum de quibus agitur natura non semper patitur, ut ad singulas quæstiones appositè aliqua proferantur. Tractationem quæstionis An sit, etiam philosophi confitentur rectè omitti, quando rem aliquam esse aut experientia ipsa palàm testatur, aut sapientiũ hominum consensio sit probat. Similiter ubi res quæpiam non diuiditur in partes siue formas, quorsum attinet laborare in quæstione. Quotuplex res sit, siue quot eius partes? Ita & de cæteris est iudicandum.

Quæstiones Aristotelicæ.

Tertio, non numerantur ab omnibus tot quæstiones, quot nos docendi & maioris lucis causa recensuimus. Aristoteles & qui eum sequantur has tantum ponunt, An sit, Quid sit, Quomodo siue quale sit, Propter quid siue quæ causa. Quanquam non est dißimulandum, his ipsis inclusas latere etiam reliquas quæstiones à nobis positas. Sed neque ille ipse Aristoteles semper eum ordinem quæstionum pertra-

ctatio-

ctatione thematum sequitur. Exempla non pauca uidere licet in libris de Auscultatione physica & Ethicis Nicomachicis

Quarto, nemo in Theologia tantum sibi permittet, quemadmodum in reliquis disciplinis conceditur. Itaque quando argumentum siue thema aliquod explicandum offertur Theologo, adhibitis quantam potest diligentiam, sed hanc insuper obseruabit legem, de ijs tantum ut dicat quæstionibus, de quibus aliquid in libris sacris perspicuè dictum occurrit.

Relinquitur ergo eas tractari oportere quæstiones, quæ imprimis utiles sunt, quæ necessariæ ad ædificationem, & salutem, quæ non sunt satis notæ aut forte plusculum habent difficultatis, tum de quibus in prophetarum & Apostolorum scriptis aliquid est perspicué proditum, denique prout auditorum captui & profectui indicauerimus expedire.

Quænam quæstiones sint tractādæ.

Exemplum autem tractandarum quæstionum lucu lentißimum habemus 1. Cor. 15. ubi Apostolus de Resurrectione mortuorum disputationem instituens, doctißime explicat duas has quæstiones, An sit, Deinde & quæ causæ: etsi de quibusdam alijs quæstionibus nonnulla, si quis accuratè obseruet, reperiantur admixta, illarum autem duarum quæstionum cùm absolutißimam habeamus eo loco explicationem, eiusmodi est propositum thema, ut de ipso etiam cæteræ quæstiones facilè pertractari ex scripturis sanctis queant, cuius rei, postea quam disputationem

Exemplū de resurrectione mortuorum.

ipsius

ipsius Apostoli percurrerimus, in studiosorum gratiam periculorum faciemus.

An sit resurrectio mortuorũ.

Videamus igitur primum quæ Apostolus de quæstione An sit, in medium protulerit. Post exordium in quo initio capitis 15. commemorat & suum officium & diligentiam in tradendo Euangelio, & uicißim Corinthiorum alacritatem & studium in eo amplectendo, ita rem ipsam aggreditur. Tradidi uobis inprimis quod & acceperam: quod Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris, secundum scripturas: & quod sepultus sit, & quod resurrexerit tertio die secundum scripturas: & quod uisus sit Cephæ, deinde duodecim illis, postea uisus est plus quàm quingentis fratribus simul. Ex quibus plures manẽt adhuc usque diem: quidem autem & obdormierunt. Deinde uisus est Iacobo, pòst Apostolis omnibus. Postremò uerò omnium uelut ab ortiuo uisus est & mihi.

1. Argumentum quo probatur resurrectio.

Et post pauca de suo officio & fide in docendo interposita, in hunc modum subijcit (ueluti conclusionis loco ad præcedentia) sic prædicamus, inquit, et sic credidistis. Quod si prædicatur Christus à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos non esse resurrectionem mortuorum?

Hæc uerò omnia primum constituunt argumentum, quo respondetur ad quæstionem An sit, resurrectio mortuorum, atque eam esse probatur. Sumptum est à repetitione & commendatione doctrinæ Euangelicæ iam antè semel traditæ, ut sit sententia Christus

stus resurrexit à morte, igitur est resurrectio mortuorum. Antecedens autem confirmat reductis ad memoriam duabus rationibus admodum efficacibus: Quorum altera est de autoritate scripturarum, siquidem antea ostenderat, de Christo fuisse in prophetarum oraculis, præterea multis typis prænunciatũ, quod resurgere à morte deberet. Altera de testibus multis numero & fide dignißimis, qui Christum à morte resuscitatum uiderant.

Sequitur secundum argumentum in quo sunt plura atq; diuersa membra. Porrò si Resurrectio 2. Argu-
mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit. mentum
Quod si Christus non resurrexit, inanis uidelicet est ab absur-
prædicatio nostra, inanis autem est & fides uestra. do.
Reperimur autem & falsi testes Dei quoniam testificati sumus de Deo, quód excitauerit Christum, quem non excitauit, si uidelicet mortui non resurgunt, Etenim si mortui non resurgunt, ne Christus quidem resurrexit, superuacanea est fides uestra, adhuc estis in peccatis uestris. Igitur & qui obdormierunt in Christo, perierunt. Si in uita hac spem in Christo tantum fixam habemus, maximè miserabiles omnium hominum sumus. Hæc omnia breuitatis causa libet constringere in legittimi argumenti formam, quod sumptum est ab absurdis & inconuenientibus quæ necessario sequuntur si resurrectio mortuorum negetur. Nota est regula, uno absurdo seu inconuenienti dato necesse est sequi multa.

Absurda quæ sequũtur resurrectione negata.

Enumerat autem Apostolus septem inconuenientia, eademque sic connexa, tanquam si ex sese inuicem profluant. Estque hæc omnium sententia. 1. Si non est resurrectio mortuorum, ergo nec Christus resurrexit. 2. Si Christus non resurrexit, ergo inanis est nostra prædicatio, & sumus falsi testes, falsi Apostoli. 3. Si inanis est nostra prædicatio & sumus falsi testes, ergo inanis est etiam uestra fides, 4. Si inanis est uestra fides, nequaquam estis iustificati seu remißionem peccatorum consecuti. 5. Si non estis consecuti remißionem peccatorum, ergo qui eiusmodi fide in Christum mortui sunt perierunt. 6. Si autem tales perierunt, ergo fides in Christum habetur ac prodest tantum in hac uita. 7. Si denique tantum ualet fides in Christum in hac uita, ergo sumus omnium miserrimi, utpote qui propter hanc fidem omni tempore hic affligimur. Sed hæc omnia sunt admodum absurda, Igitur absurdum quoq; est dicere quod non sit resurrectio mortuorum.

3. Argumentum à causa efficiente & proportione.

Sed pergamus ad reliqua. Nunc autem Christus surrexit ex mortuis, inquit, primitiæ eorum qui dormierat fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur. Tertium est argumentum à causa efficiente principali, simulque à proportione. Euincit quidem Apostolus resurrectionem mortuorum esse, eò quod Christus à morte resurrexerit: quia tantum diceret fortè aliquis

quis. particulare exemplum Christi non sufficere ad adstruendum resurrectionem mortuorum uniuersalem, placuit ei nouam attexere probationem à causa efficiente principali, quæ uniuersalem resurrectionem omnium mortuorum non obscurè comprobaret. Christus, inquit, resurrexit, is uerò est uelutè primitiæ mortuorum, atque per hunc, seu propter hunc resuscitabuntur etiam omnes reliqui.

Sic autem reddi potest simplicius. Sicut se habent primitiæ frugū ad fruges reliquas, ita se habet Christus ad cæteros homines. Atqui cum primitiæ frugum sanctificantur, intelliguntur pariter sanctificatæ fruges reliquæ. Igitur quandoquidem resurrexit Christus, par est intelligantur etiam cæteri homines resurrecturi. Instituitur argumentatio à proportione atque à ritu sanctificandi primitias frugū de quo Leuitici 23. Deuter. 17. 16.

Quod porrò Christus se habeat ut primitiæ, atque à particulari exemplo Christi appositè constituatur resurrectio uniuersalis, probat ratione assumpta à contrarijs per comparationem, dicens. Si per Adam omnes moriuntur, Quid ni per Christum omnes uiuificentur ut resurgant? Antecedens est manifestum, quamobrem & consequens necessario consistet. Similis argumentatio de Iustificatione per Christum diffuse explicatur ad Romanos cap. 5.

Argumentum à contrarijs.

Nonnulla deinde interponit. Vnusquisq;, inquit, in proprio ordine, primitiæ Christus, deinde ij

qui

qui ſunt Chriſti. Hæc non ſimpliciter ad quæſtionẽ, An ſit, ſed potius ad cauſas, affinia & effecta pertinent, neceſſario tamen connectuntur antecedentibus. Quæſtio namque inſtituta eſt utrum futura ſit reſurrectio uniuerſalis, dictum uerò proximè eſt omnes mortuos per Chriſtum uiuificandos: Sed interim dubitat fortè aliquis, an etiam mali, quos conſtat non eſſe beneficiorum Chriſti participes, ſint reſurrecturi. Reſpondet igitur per occupationem Apoſtolus, unuſquiſque ſiue bonus ſiue malus reſurget, quamuis ſeruato quodam ordine, ita ut poſt Chriſtum qui iam reſurrexit, tunc primi ceu digniſsimi prodituri ſint, qui in fide Chriſti perſtiterunt, & quidem æternam cum Chriſto accepturi gloriam. Poſt ipſos uerò reſurgent etiam qui non ſunt Chriſti, ſubijciendi nimirum æternis cum Diabolo ſupplicijs. Addit inſuper de circumſtantia temporis, quo reſurrectio uniuerſalis fieri debeat, ut ita ſatis fiat his qui interrogant quando perficienda ſit illa reſurrectio. In aduentu ipſius, inquit, mox finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, &c. Sequitur porrò aliud argumentum futuram mortuorum reſurrectionem probans. Alioqui quid facient ij qui Baptizantur pro mortuis ſi omninò mortui non reſurgent? Quartum eſt argumentum à ſigno ſiue à fide ac certa perſuaſione eorum qui in extremo uitæ poſiti Baptiſmum ſibi conferri poſtulabant. Eſt namq; ſententia: Permulti cum iam de uita periclitantur, adeoq; Pro mortuis ob morbi magnitudinem habentur, baptiſmum ſibi impen-

An mali reſurgant.

Quando futura ſit reſurrectio

4. Argumentum à ſigno.

impendi postulant. Sed abs re id facerent, si non haberent spem resurrectionis ac uitæ melioris. Igitur confitendum est resurrectionem fore mortuorum. Sic explicat Ephiphanius hæresi 20.

Sequitur, Cur & baptizantur pro illis? Quintum argumentum à publica & solenni confeßione quam quicunque baptismum erant suscepturi ædebant, atque in eadem testabantur se inter cætera etiam credere futuram mortuorum resurrectionem. 5. A publica confeßione.

Addit rursus. Quid & nos periclitamur omni tempore? In dies morior, per gloriationem nostram, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si secundum hominē depugnaui cum bestijs Ephesi, quæ mihi utilitas, si mortui non resurgunt? Sextum argumentū à tolerātia periculorum quæ in pijs maximè elucet. Nunquam sanè pij tam fortiter ferrent extrema pericula, nisi fidem haberent certam de resurrectione mortuorum, et fœliciorem post has ærumnas conditionem. Comprobat argumentum istud de patientia suo ipsius exemplo. Deniq; subijcit, edamus & bibamus, cras enim moriemur. 6. A Tolerantia periculorum

Septimum argumentum ab Absurdo, quod per contrarium ex argumento præcedenti iuxta impiorum Epicureorum sententiam inferri potuisset, quasi dicat. Si postquam maxima sustinuimus pericula, non debemus resurrectionē, et uitam meliorem expectare, tum meritò dicemus cum Epicureis, Edamus bibamus cras enim moriemur: Sed nemo nescit impiū esse ita sentire et loqui, Igitur impium quoque est opina- 7. Ab absurdo.

ri, mortuos non resurrecturos. Annectit paucula, ad deterrendos omnes, ne eiusmodi sermonibus impiorum aurẽ præbeant. Ratione addita ex eleganti sententia Menandri Comici, simulq; tractationi quæstionis, An sit, finem imponit. Ne decipiamini, inquit, bonos mores colloquia corrumpunt mala, Expergiscimini iustè & non peccetis. Nam ignorationem Dei nonnulli habent. Ad pudorem uobis loquor.

Nunc de duabus alijs quæstionibus quas Apostolus ipse exprimit, nomine quidem aduersariorum siue eorum qui resurrectionem negabant, aut certè dubitabant, sic tamen ut perspicuè ac distinctè ad eas respondeat, nec non aptißima utatur dicendi forma. Ac dicet aliquis, inquit: Quomodo resurgẽt mortui? Quali autem corpore uenient? Prius membrum simpliciter pertinet ad quæstionem quæ causæ, ac describitur potißimũ causa formalis siue modus: Posterius, quæ ad quæstionem quæ effecta, siquidem in resurrectione corpora nouas et insignes qualitates accipiũt.

Videamus quomodo priorem quæstionem explanet. Stulté, inquit, tu quod seminas non uiuificatur nisi mortuum fuerit. Humana ratio non potest deprehendere quo pacto corpora hominum, quorum alia resoluta sunt in terrã, alia igni, alia aquis absumpta, quædam etiam deuorata à bestijs resuscitari ac uitam recipere queant. Verum Apostolus, ostendit nihil in eo esse absurditatis, probatione ducta à similitudine de grano siue semine in terram proiecto. Hæc namq; est responsionis sententia. Quemadmodum granum

De modo resurrectionis.

siue

ſiue ſemen quod proijcitur in terrã, plane ibi computreſcit et emoritur, poſtea tamen prodit ex eo ſic putrefacto, ſpecioſa herba, ſiue planta: ita corpora hominum quamuis per mortem abſumantur & computreſcant, poſtea tamen priſtinam formam atq; etiam digniorem recipiunt. Videlicet paucis uerbis res maximas perſtringit.

Effecta reſurrectionis.

Sequitur. Et hoc quod ſeminas, non corpus quod naſcetur, ſeminas, ſed nudum granum, exempli cauſa, tritici aut alicuius ex cæteris, Sed Deus illi dat corpus ut uoluit, et unicuique ſeminum ſuum corpus. Reſpondet ad quæſtionem poſteriorem de effectis, atq; definit qualia ſint futura reſurgentium corpora, nempe eiuſdem ſpeciei ſubſtantiæq; cuius ante fuerant attamen nouis ornata qualitatibus, utitur autem adhuc ſimilitudine de grano. Quemadmodum inquit, cum ſeminas tu, nihil aliud proijcis in terram quam exiguum & uile granum, poſtea uerò erumpit excellens planta, & hæc eiuſdem ſpeciei cuius antea fuerant ipſæ plantæ, quarum iactum eſt ſemen, ita corpus noſtrum uile & abiectum eſt cum ſepelitur, corrumpiturq;, poſtea uerò exurgit nobile corpus, idq; eiuſdem planè ſpeciei, ſiue ſubſtantiæ, cuius et prius corpus fuerat. Interpoſita particula de cauſa efficiente, cum dicit Deum pro ſuo arbitrio & potentia dare unicuiq; ſemini corpus conueniens, impellit omnes, ut credant & fateantur per æque facile eſſe Deo reſuſcitare mortuorum corpora eademq; excellentiora reddere quam antè fuerant, atque ex

putridis granis producere elegantes & eximias plãtas. Itaq; magnum pondus inest ei particulæ.

De discrimine corporum resurgentiũ

Pergit deinde Apostolus demonstrare quod corpora resurgentium, quamuis futura sint eiusdem speciei cuius nunc sunt dum uiuimus, discrimen tamen in illis fore ex nouis qualitatibus quas accipient, & ad hanc rem iterum similitudines adhibet, quarum hæc prima est.

Non omnis caro eadem caro: sed alia caro hominum, alia uerò pecorum, alia uerò piscium, alia uerò uolucrum. Quasi dicat omnis caro est caro quod ad substantiam attinet, sed si spectamus qualitates alia ab alia distinguitur. Sic etiam corpora nunc uiuentium & olim resurgentium, sunt corpora & caro. Verum qualitates tunc in illis aliæ erunt, quàm nunc sunt. Secunda similitudo idem adstruens. Et sunt corpora cœlestia & sunt corpora terrestria. Verum alia quidem cœlestium gloria, alia uerò terrestrium. Vbi uocabulum gloriæ notat qualitates, quemadmodum paulò post ostenditur. Tertia similitudo eodem spectans sic habet. Alia gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum. Siquidem stella differt à stella in gloria. Sic & resurrectio mortuorum. Cuius similitudinis hæc uis est: sol, luna, stella eadem sunt substantia. Verum qualitatibus, id est, magnitudine, splendore, situ, motu, effectibus differunt. Idem iudicium de corporibus quæ nunc circumferimus, & de ijs quæ erunt à resurrectione.

Sed exprimit mox nouas aliquot qualitates, quas

corpora

corpora noſtra à reſurrectione ſortientur, quæq; in corpore Chriſti à reſurrectione conſpectæ ſunt, quando ait: ſeminatur in corruptione, reſurgit in incorruptibilitate: ſeminatur in ignominia, reſurgit in gloria: ſeminatur in infirmitate, reſurgit in potentia. Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale. Hæc autē ſunt præclara effecta reſurrectionis, quibus futura dignitas corporum omnibus nota fit.

Qualitates corporum à reſurrectione.

Sed in his uerbis ſcrupulus quidam latet, quomodo uidelicet intelligi queat corpus aliquot ſpirituale. Videtur enim repugnare naturæ corporis huiuſmodi appellatio. Huic tacitæ obiectioni per præoccupationem ita occurrit: Eſt corpus animale, inquit, & eſt corpus ſpirituale: quemadmodum & ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam in animam uiuentē extremus Adam in Spiritum uiuificantem, quaſi dicat. Quoddam corpus dicitur animale, Igitur per contrarium rectè etiam conſtituetur corpus quoddā ſpirituale. Atque id ſanè poſtulat ratio ἐντιθέσεως, maximè ubi contraria adferuntur, in quibus nullum eſt medium: niſi quis uelit ſequi illud ex natura relatiuorum: quandoquidem non dicitur animale niſi reſpectu alicuius ſpiritualis, atque è diuerſo ſpirituale reſpectu animalis. Probat autem Apoſtolus antecedens ex Gen. 2. ex quibus uerbis protinus infert, neceſſario conſtituendum aliquem ſecundum Adamū, in quo ſpectetur Spiritus uiuificans. Eadem antitheſi atque pari argumentatione utitur ad Roman. 5.

Corpus ſpirituale.

Sequitur. At non primum, quod ſpirituale, ſed



Cur non corpus spirituale ab initio Deus dederit.

quod animale, deinde quod spirituale Iterum satis facit nouæ obiectioni. Rogat enim fortè aliquis, quare Deus homini non dedit corpus eiusmodi qualitatibus ornatum ab initio? Respondet conueniens omninò fuisse, ut homines primum in hac uita acciperent corpus animale, pòst uerò à resurrectione corpus spirituale. Duas adijcit rationes. Prior ducitur ab ordine temporis, quo duo illi Adami in terris apparuerunt. Simulque ab ordine causarum efficientium, Adami uidelicet & Christi, à quorum altero accepimus omnes corpora animalia: ab altero accepturi sumus corpora spiritualia Sic autem hanc rationem exprimit. Primus homo de terra terrenus, secundus homo, ipse Dominus de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt. Et qualis ille cœlestis, tales & hi qui cœlestes sunt. Et quemadmodum gestauimus imaginem terreni, gestabimus & imaginem cœlestis. Altera sequitur ratio à qualitate corporum animalium in hac uita, quæ nullo modo conuenit ijs rebus quæ à resurrectione et post hanc uitam contingent. Quamobrem necessarium est nouas qualitates accedere. Hoc autem dico fratres, quod caro & sanguis regni Dei hæreditatem consequi non possunt. Neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit. Quasi dicat, bona quæ post hanc uitam pijs dabuntur sunt spiritualia, incorruptibilia & æterna, Ergo oportet corpora quoque ut illis fruantur similiter spiritualia, incorruptibilia et æterna fieri, ut ita proportio quædam et sympathia habeat.

Quid futurum de his qui uiuunt quando fit resurrectio.

beat. Annectit deinde quib. ad aliā respondetur quæstionem quæ moueri posset. Si corpus animale siue corruptibile, inquit aliquis, non est idoneum ad obtinendam gloriam incorruptibilem, cœlestem et æternam, quid de ijs statuetur, qui, quādo Dominus ueniet ad dandum iudicium, erunt adhuc in uiuis? Morientur ne hi tunc subitò, & corrumpentur, post interuallum autem resurgent? An corporibus corruptibilibus, qualia nunc sunt nostra, cœlestis et incorruptibilis gloriæ fient participes? Vsq; adeò nihil prætermittit Apostolus quó quæ ad quæstionem de effectis, siue qualia sint futura corpora à resurrectione, spectant, excutiat. Sic igitur respondet, Ecce mysterium uobis dico. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, in puncto temporis, in momēto oculi, per extremam tubam. Canet enim, et mortui resurgent incorruptibiles, et nos immutabimur: pspicua est responsio: ubi extremæ tubæ sono atq; mādato Dei iubebūtur omnes sisti ad tribūal, tū qui mortui antè fuerint, subitò resurgent habentes corpora nouis ornata qualitatib. qui uerò tunc non fuerint mortui, sed reperientur adhuc in uiuis, hi non morientur, sed celerrimè eorūdem corpora immutabūtur, ut easdem prorsus adipiscantur qualitates, quas habebūt cæterorum resurgentium corpora. Sic autem efformat orationem tanquam si sua ætate, & si resurrectionem et immutationem illam speraret perficiendam. Attexuntur rationes cur ita fieri necessū sit. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem et mor

 tale

mortale hoc induere immortalitatẽ. Prima ratio inde ducta est quod oportet in corporibus proportionem quandam inesse ad ea bona, quæ tunc beati accipient. Itaque gloriæ cœlestis, spiritualis, & æternæ non erunt corpora capacia, nisi ipsa quoque cœlestia, spiritualia & æterna efficiantur.

Sequitur. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem: & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoriam, Vbi tuus mors aculeus? Vbi tua inferne uictoria? Aculeus autem mortis, peccatum: potentia uerò peccati, lex. Sed Deo gratia, qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Secunda ratio ab effectis, quæ aduentũ Domini seu resurrectionẽ mortuorum sequi debẽt. Quasi dicat à resurrectiõe mortuorũ, neque peccatũ neq; mors, neque infernus amplius aduersus homines præualebunt. Sed hoc fieri nõ posset nisi omnium hominum, etiã tunc uiuentium corpora fierẽt incorruptibilia, spiritualia, &c. Ergo necesse est eiusmodi immutationem in omnibus corporibus fieri. Propositionem maiorem probat uaticinio prophetæ Oseæ. ca. 13. Amplificat deinde præclara illa effecta præcipueq; liberationem à morte, à causa efficiente uidelicet Christo. Cuius unius uiribus et potentia uires legis, peccati, & mortis destructæ sunt. Eiusq; uictoriæ Christi fructus tunc percipient nostra corpora, quãdo immutabuntur, hoc est, desinent esse animalia, & corruptibilia, ut nec peccare neque mori in posterum queant.

Qui-

Quibus omnibus ita demonstratis breuem subnectit uniuersæ disputationis conclusionē, Itaq; fratres mei dilecti, inquit, stabiles sitis, immobiles abundantes in opere domini sēper, cum sciatis, quòd labor uester non est inanis in domino. Absolutæ sunt tres quæstiones, nempe, An sit futura mortuorum resurrectio. Tū quæ causæ, siue quomodo fiet resurrectio: explicata namque dilucidè est causa formalis: interpositum præterea nonnihil de causa efficiente, ubi dictum: Deum dare unicuique corpus prout uult: item Christum esse primitias resurgentium, & secundum Adamum, autorem uitæ, abolentem omnem potestatem, peccatum, mortem, inferos etc. Denique quæ effecta, siue qualia sint futura corpora à Resurrectione.

Conclusio disputationis Paulinæ.

Ex his autem omnibus satis superq; liquet non esse à scripturis alienum, si secundum quæstiones in scholis usitatis, uel aliàs ab imperitis, et quibuscunque discendi cupidis proponi solitas, argumentum siue thema pertinens ad doctrinam Religionis, tractetur. Est autem hic locus de resurrectione mortuorum eiusmodi ut etiam reliquæ quæstiones ab Apostolo prætermissæ, tractari ex scripturis integrè queant. Quod nos ut initiò polliciti sumus, perficere, breuiter tamen tentabimus.

Quæstio igitur Quid sit, quamuis ab Apostolo neglecta siquidem Corinthi apud quos disputationes exoriebantur satis haud dubiè sciebant, quidnam illud esset de quo cōtenderent: attamen ex uerbis Christi, quæ extant Ioan. 5. absolui potest. Sic namq; ait:

Quid sit resurrectio

Sicut pater habet uitam in semetipso, sic dedit et filio uitam habere in semetipso. Et potestatem dedit ei iudicandi quoq; quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia ueniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient uocem eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Itaq; definitio ista rectè colligetur, ex causis uidelicet & effectis conflata: Resurrectio mortuorum est, qua omnes homines mortui, in nouissimo die, audita uoce ac mandato Christi, subitò prodibunt ex monumentis, uitáq; recipient: pij quidē ad uitam ac gloriam æternā impij uerò ad condemnationem æternam. Quæstionem. Quotuplex sit, siue quot partes, ipsam tractari argumenti materia prohibet, neq; enim resurrectio secundum partes uel formas diuersas distinguitur. Vna tantum est resurrectio, & omnium sine ulla exceptione hominum, & semel tantum perficienda.

Quotuplex resurrectio.

Quæ affinia.

Si de quæstione. Quæ affinia urget aliquis nonnulla explicari, potest proponi iudicium per Christū exercendum. Quod sanè à resurrectione ipsa necessario distinguitur. Sicut etiam in fidei nostræ symbolo separati sunt articuli, quorum altero confitemur Christum uenturum ad iudicandos uiuos et mortuos: altero huius carnis resurrectionem. Ac tum quidem resurgēt mortui, quādo Christus ad iudiciū exercēdū est uenturus. De coniugendo autem iudicio cū resurrectione passim satis apertè Ioa. 5. Potestatem dedit ei iudicandi quia filius hominis est. Ro. 2. iuxta duritiam

Iudicium extremum

am tuam, et cor pœnitere neſcium, colligis tibijpſi irã in die iræ, quo pateſiet iuſtum iudicium Dei, qui redditurus eſt unicuiq; iuxta facta ſua: his quidem qui perſeuerantes in benefaciendo, gloriam & honorem & immortalitatem quærunt uitam æternam: ijs uerò qui ſunt contentioſi, et qui ueritati quidem non obtemperant, ſed obtemperant iniuſtitiæ, uentura eſt indignatio, & ira, adflictio & anxietas aduerſus omnem animam hominis perpetrantis malum. Ad Ro. 14. 2. Corin. 5. Omnes nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti ut reportet unuſquiſque ea quæ fecit per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum. Matt. 24. Videbunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa, & emittet angelos ſuos cum tubæ uoce magna & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à ſummo cœlorum uſque ad terminos eorum.

Rurſus capite 25. cum uenerit filius hominis in gloria ſua et omnes ſancti angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ, et congregabuntur coram eo omnes gentes, et ſeparabit eos alteros ab alteris, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis hœdos autem à ſiniſtris, tum dicet rex his qui à dextris ſiti erunt: Venite benedicti patris mei, poßidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Et Paulò pòſt. Tunc dicet et his qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternũ qui paratus eſt Diabolo et angelis eius. Tandẽ ſubijcitur. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti uerò in

uitam

uitam æternam. Sed clarißimè de resurrectione & die Domini simul ad iudicium 1. ad Theß. 4. Si credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cũ eo. Hoc enim dicimus uobis in uerbo Domini, Quòd nos qui uiuemus et reliqui erimus in aduẽtu Domini, nequaquam perueniemus ad eos qui dormiũt. Quoniam ipse Dominus cum hortatu, & uoce Archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primum, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, & sic semper cum Domino erimus. Proinde consolemini uos mutuo sermonibus his. Porrò de temporibus & articulis temporum, non est opus ut uobis scribam, ipsi enim planè scitis, quod dies ille Domini, ut fur in nocte, ita uenturus sit.

In his autem & similibus testimonijs, notare per singula membra rationem locorum, uel etiam probationes seorsum excerpere, distinguereq;, non est ei difficile, qui uel mediocriter fuerit exercitatus.

Hoc solum libet adijcere, cùm suprà dixerimus effecta resurrectionis explicata in uerbis Apostoli, ubi de nouis qualitatibus, quas corpora debebant in ipsa resurrectione accipere, agebatur, in his testimonijs iam allatis de extremo iudicio, adspergi similiter quædam effecta, siue quosdam fines resurrectionis, atque iudicij per Christum exercendi cõmuniter, ubi nimirum dictũ est resuscitandos omnes, ut sistantur coram tribunali Christi, utque sẽtentiam iudicis audiant

diant de æterna salute et gloria, uel de æterna damnatione, prout in hac uita sese gesserunt. De quibus effectis seu finibus etiam alibi in libris sacris frequẽter mentio fit Daniel 12. Ad Philip. 1. Pet. 1. 4 5. 2. Pet. 3. 1. Ioan. 2. 3. &c.

Quæ contraria resurrectioni

Quod si libet porrò congerere quæ contra sanam doctrinam de resurrectione traditam falsò uspiam adstruuntur, & hæc numerare in contrarijs, tum habemus quibus ad quæstionem Quæ contraria? poßit aptè responderi. Primum ueritati aduersatur impia opinio Saducæorum & Epicureorum qui etiamnũ apertè definiunt, aut si uerbis dißimulant, factis tamen declarant, nullam se credere futuram mortuorum resurrectionem, nullam post hanc uitam præsentem restare aliam et meliorem. Act. 17. 23 Mat. 22. Mar. 12. Luc. 20. Non defuerunt etiam ætate Apostolorum qui dicerent resurrectionem mortuorum iã tũ fuisse factam, neque ullam amplius expectandam, cuius erroris autores fuere Hymeneus & Philetus 2. Timo. 2. Nati autem sunt hi errores in quæstione An sit, ijsdemq; refelluntur argumentis, quibus resurrectionem esse paulò ante audiuimus comprobatum.

Ac primum quæstio An sit

Ratio inueniendi contraria.

Si quis autem in tractationibus thematis cuiuspiam inuenire, quæ conducunt ad explicandam quæstionẽ quæ contraria desiderat, hanc obseruet rationem generalem. Animo percurrat, et intueatur quæstiones singulas, ex ordine antè tractatas, tũc si quid contrà, atque in illis definitum fuit, ullos asserere conatos deprehẽderit, istud pro errore & contrario ar-

ripiat, atque ad quæstionem quæ contraria reponat: Itaque cum aduertimus ad quæstionem An sit, atque inuenimus clarè definitum, tùm à Christo, tum ab Apostolis (ut plurima omittamus quæ de resurrectione prodita sunt libris sacris instrumenti ueteris) futurum ut tàm boni quàm mali suscitentur á morte, pro contrarijs adhibebimus quæcunque ulli in diuersum adstruunt. Et cùm scriptura ipsa à quibusdam id factum commemoret, horum sententias, quandoquidem cum ueritate pugnant, contrariorum ordini adscribimus.

Contraria quæstionibus alijs.

Secundò de quæstione Quid est, definitioni semel positæ nullum in libris sacris extat contrariũ. Quæstio quotuplex siue quot partes, locùm in hoc argumento, quemadmodum supra admonuimus, non habet. In tractatione quæstionis quæ causæ nihil itidem occurrit relatu dignum, nisi libeat errantes in causa formali et modo resurrectionis illos perstringere, qui 1. Corinth. 15. & 1. ad Thessal. cap. 4. notantur, existimantes, eos qui in aduentu Domini in uiuis reperientur, morituros, ac deinde resurrecturos, exemplo aliorum qui ante mortui fuerant. De quæstione qui effectus seu officia nullus error nominatim in scripturis confutatur.

De his qui iudicium extremum negarunt.

Cum de Affinibus quæstio ageretur, retulimus doctrinam de iudicio extremo, per Christum quàm primum mortui resurrexerint, exercendo. Taxantur autem duo errores in scripturis, quos contrarijs rectè annumerabimus. Alter est eorum, qui iudicium exer-

exercendum negarunt planè, atq; irriserunt: contra quos Petrus 2. epist. 3. cap. Scientes, inquit, uenturos in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias concupiscentias ambulent, & dicant, Vbi est pollicitatio aduentus eius? Siquidē ex quo die patres dormierunt sic omnia permanent ab initio conditionis. Nam illud uolentes nesciunt, quod cœli iam olim fuerint ac terra, ex aqua & per aquam consistentes Dei sermone, per quæ is qui tum erat mundus aqua inundatus perijt, Atqui nunc sunt cœli ac terra, eiusdem sermone repositi, et seruantur igni, in diem iudicij & perditionis impiorum hominum, &c. Vbi tribus argumentis Petrus utitur confutans aduersarios. Primum sumptum est ab exemplo iudicij uniuersalis, quod semel antecessit, quando nimirum per aquas mundus est absumptus. Secundum à ratione temporis, cuius apud Deum nullum est discrimen, quodque ipse prout uisum fuerit distinguit, atq; finit unus dies, inquit, apud Deum ut mille anni. Tertium à Dei patientia ac bonitate, qua tempus iudicij ipse differt. Nō enim fit tarditate seu impotentia Dei, quod hic mundus nō statim perit, sed patientia ac bonitate Dei, qua cupit nos ad pœnitentiam adducere. Alter error illorum est, qui non negarunt exercendū iudicium, uerum curiosè disputarunt de tempore aduentus Domini, atque ausi sunt certum tempus, ac ueluti diem ac horam definire. Hi redarguūtur Act. 12. Thessalon. 2. De falsis dogmatibus quæ post Apostolorum ætatem irrepserunt in Ecclesiam nihil attinet

De tempore iudicij.

attinet dicere, quandoquidem recepimus nos á scripturarum area atque septis non recessuros.

Operis conclusio.

DE Topicis, quatenus Theologo omnibusque rerum sacrarum studiosis sunt necessaria, atque utilitatem longè maximam adferunt, ista disserere uisum fuit. Equidem prolixior fui quam ipse opinabar, sed cogitare decet, rerum Theologicarum dignitatem ac ubertatem id exegisse. Deinde maiore diligentia mihi fuisse eluctandum, qui primus in hoc labore fecerim periculum. Ferè semper improborum inuidiæ & calumnijs magis sunt obnoxia, quæ nullo habito aliorum, præsertim maiorum exemplo attentantur: ac scitè dictum est à Metrocle philosopho Theophrasti & Cratis auditore: Res emi partim pecunia, ut domum, agros, & quæ huiusmodi, partim tempore & diligentia, ut disciplinas liberales. Quare quisquis bonarum artium ac rerum Theologicarum præstantiam rectè æstimauerit, ac secum reputabit quò res quæque sunt nobiliores, eò pluris emi debere, hunc operæ ac temporis, in his nostris percipiendis insumpti, haud pœnitebit.

FINIS.

Nesciuisse Chrs diem extremi iudicij s(ecundu)m humanit.
& Castalio ad ministerium referunt hanc ignorantiã
quatenus in mandatis habuerit non reuelare illum diem
Nos vero respondemus, non dubium esse quin tempore exi-
nanitionis ignorauerit Chrs illum diem. Nam hic profitebatur
sapientia crescere, Nunc vero id quod Chrs et se humi-
liato affirmat nobis licet referre ad statum maiestatis
Cum is sit iudex futurus quomodo ignorabit diem

Prouidentia dei extraordinaria facta est ad pastores et
Ecclãm quae sustentat ordinariis pastoribus per gubernatio-
potestate licet non adiuuerit ad hoc, similiter nos
constituit et ad coelos fuerit ascendat

Consequens se porrigit ad quod Christus pro nobis fecit ad salutem,
non neque ad porrigit electio per ipsum facta

Ad omnia bona porrigit quod Christus fecit pro nostra salute
igitur ad omnia porrigit electio facta per ipsum

Maior probatur. licet firmius electi per Christum Ephes. 1

Minor probatur Johan. 6 Descendit de caelo ut
dat vitam ~~[illegible]~~ MVNDO. 1 Joh. 4 Pater
misit Filium salvatorem MVNDI. 1 Tim. 2
Dedit se pro omnibus in remissionem. 2 Cor. 5 De-
us erat in Christo MVNDVM reconcilians sibi.

Sam: Hub. D. 1595. 26 Janu.
Witeb.

... Calvini scripta ...

... scripta ...